

June

2358

2358
XXX = 6

3.324






DIES ANGELICI
AUGUSTINIANI,
SIVE
EXPLICATIO DIERUM CREATIONIS
AD MENTEM
M. P. AUGUSTINI.

Es de la licteria de S. ta María la R. de P.
de campo orde^s de AUCTORE
R. P. MAG. D. Fr. BERNARDO DE AGUIRRE,
Ordinis Candidi, & Canonici Præmonstratensis,
Sacra Theologie Lectore emerito, Congregat. Hispan.,
nuper à Secretis, modò Abbe Regalis
Conventus Sancti Salvatoris
de Urdax.

Salmanticæ: Typis Eugenij Garcia de Honorato
& San Miguèl, Typographi Catholicæ
Majestatis, Universitatis,
& Civitatis.



VERBO ÆTERNO

PER QUOD FACTA SUNT OMNIA;
SINE QUO
FACTUM EST NIHIL.
AQUILÆ GRANDI
COELORUM CULMINA PETENTI,
ET PENETRANTI,
SANCTISSIMO SALVATORI MUNDI,
URDAXENSIS REGALIS ABBATIÆ
NORBERTINÆ
TITULARI PATRONO.



QUI L A sublimè fertur, sursumque in cœlesti loço volans , māximè procul ab ali q æthere in-
feriora videt : inquit ex Aristotele Ælianuſ. Hinc apud Gentiles divinam haberi , familiare
fuit. Et revera divinum quid præferre credidisse,mirum non
foret; si inferiora, si ab alto æthere videret humilia, non
ut sœvis ea unguibus raperet , discerperet, devoraret;
sed ut sub alarum suarum benigno tegmine foveret.

Sublimiorem aliam, & planè Divinam , appellare, ejusque modò fotum ambire gestio ; Sanctissimum Salvatorem , sub ascendentis in cœlum typo, in pulcherrima Thaumaturga Imagine, in nostræ Ur- daxensis Canopæ Ecclesia , ad radices Pyræneorum Montium , ab aliquot sœculis , Titularem Patronum, eximio cum beneficentia fœnore veneratum. Hic profectò, secundùm Psalmistam, est excelsus ille Dominus, qui humilia respicit; at ut soveat: & alta, idest, superba, à longè cognoscit, ut prosternat. * 2 Hoc

Hoc fotsu, hic foetus. Tanta videlicet Aquilæ generosa Proles, legitimus Pullus, in tuto positus, Augustinus, inquam, qui meritò audit Doctorum Aquila, vindicatus. Sed quisnam ego, ferè ullius nominis homuncio, vix alicujus notæ Theologus, qui Summi Doctoris Magni Parentis Augustini partes suscipiam, & mentem ejus in expositione illa subtilissima primi Capitis Geneseos exploraturus, litteræque tex-tus consonam ipsius etiam de diebus Angelicis senten-tiam propugnaturus, in arenam è suggestu descen-dam? Qui campum, à nemine usquam, quem vide-rim, ex professò calcatum, viam, vix ab ullo pro Au-gustino tritam, currere ausim?

At, ut facerem, dedit umbra vigorem. Sub um-bra alarum tuarum, Salvator optime, speravi: sub qua à suscepti Candidi nostri Instituti incunabulis adscribi obtinui; & si nondum merui. Video, Domine, quod de summo Cœlo in terram benignus aspicis, & humilia, & abjecta non deseris, ut fortia quæque confundas. O! si, qui linguas infantium facis esse disertas, linguam meam erudisses, ut pro servo tuo Augustino, Magis-tro nostro, Parente nostro, Legislatore nostro, pro dig-nitate, & sine cuiusquam offensione, vindicias agerem.

Ad Te configlio, spes nostra, salus nostra, re-fugium nostrum, & virtus, errantem corrige, devian-tem dirige, intellectum illumina, affectum inflamma: ut, solo veritatis amore ductus, profundissimam, vel in ipso limine Scripturarum, eloquij tui abyssum, præ-lucente Augustini face, securus penetrem. Et quem nu-per, nullis suffragantibus meritis, Ecclesiæ tuæ Urdaxensi præfici permisisti, custodi, protege, rege, & gu-berna. Sic optat: sic orat:

Ad tuas Aras provolutus,
Urdaxensem infimus
Fr. BERNARDUS DE AGUIRRE,

HUJUS OPERIS
SAPIENTISSIMO AUTHORI
CONVENTUS AUGUSTINIANUS
SALMANTICENSES
EX VOTO, DEBITO, ET ANIMO
GRATULATUR.



MNES qui legimas , nitimur hoc indagare,
atque comprehendere quod voluit ille, quem
legimus: aiebat M. P. Aug. lib. 12. Conf.
cap. 18. Ergo etiam quando Augustinum
legimus , hoc nitimur indagare , atque
comprehendere, quod voluit nos ipse do-
cere. Ita sane. Sed numquid ab omnibus
comprehenditur? Numquid omnis lectio est ejus com-
prehensio? Utinam. Non quidem omnes qui Augustinum le-
gunt, ipsum intelligunt. Nec mirum: est enim Aquila, qua-
ni si ab aquilinis oculis intueri clare non sinitur. Aquila qui-
dem semper, sed præcipue in quibusdam Sacrae Scripturae
Mysterijs, quorum Augustiniana expositio quasi per mon-
tium cacumina volans, ipsum Parentem inter alios Docto-
res, Aquilam grandem demonstrat.

Inter alia divinae Scripturae profundissima Mysteria,
illud nobis, Sapientiss. Mag. in praesenti suo Opusculo , in-
tuendum proponit, quod à Moysè de Creatione Mundi des-
critbitur. Narrat Propheta sex dies , quibus totam hujus
Mundi machinam Supremus formavit Artifex. Narrat septi-
mum, in quo requievit Deus ab universo opere, quod patra-
rat. Dies isti quales fuerint? indagare contendit. Difficilis
sane, & alta Disputatio. Profundum Mysterium. Quis illud
declarabit? In promptu est responsio: Aug. Par. cui Deus, ut
canit Ecclesia, abditiora sapientiae suæ arcana revelavit. Non
enim dies illi, ait S. Par. naturales fuerunt: non sicut isti,

Gen. cap. 13
& 2.

Eccles. in
Orat. S. Pa.

qui vigintiquatuor horarum spatio peraguntur. Neque opera, quæ tunc Deus fecit, facta fuerunt secundum temporum intervalla; cum tantum deberent fieri in instanti ab eo, qui in operando nunquam indiget aliquo temporis spatio. Fuerunt itaque dies illi, dicit Aug. spirituales, & angelici. Sed ubi sensus literalis, qui secundum eundem Aug. in verbis Sacrae Scripturae semper servari debet, si alioquin absurdum aliquod non sequatur?

Jam incipis (Reverendiss. Pat.) jam incipis difficultatem istam gravissimam enodare. Jam in hoc tuo Sapientissimo Opusculo ad oculum demonstras, hanc Aug. expositionem non figuratam esse, sed literalē: Quod gravissimis ostendis fundamentis, præcipue Aug. Par. & Ang. Doct. Legisti Aug: legisti & D. Th. & in isto, tamquam in vero, & legitimo Augustinianæ doctrinæ Interpretate invenisti, quod doceres. Invenisti quod desiderabas, ut sententiam Aug. nobis conspicuam, & luce clariorem redderes. Dicit D. Thom. quod Aug. Expositio circa dies Creationis mundi est subtilior. Dicit, quod magis ab irrisione infidelium Scripturam defendit. Dicit, quod est rationabilior. Dicit, quod est literalis. Quid plura? Dicit tandem: *Hec opinio plus mihi placet.* Porro quantum sit D. Th. Aug. explicanti credendum, altissimè suadet commune effatum, quo circumfertur, Aug. animam videri migrasse in Thomam.

Fatemur quidem, hanc Aug. sententiam subtilissimam esse: fatemur esse partum illius intellectus, quem D. Th. à Villanova prope divinum vocat. Sed quia alta, quia profunda, quia subtilis deserenda non erit. Si ad tantam celsitudinem, tanquam parvuli, & infirmi pervenire non valemus, legamus Aug. Interpretes: legamus D. Fundam. B. Aegid. Rom. qui pro hac expositione, & alijs Augustinianis sententijs semper extitit, & verus filius, & strenuus propugnator. Legamus D. Th. & ab eo postulemus, ut nobiscum faciat, quod aliquando aliquis ex Apostolis fecit cum Eunucho Candacis Reginæ Athiopum. Legebat Eunuchus, ut refert S. Lucas, Isaï prophetam; sed quam legebat, non intelligebat. Accessit Philippus divino spiritu plenus, & secreta prophetia, quæ noverat, Eunucho revelavit. Aug. legentibus, & non intelligentibus accedat D. Thom. ut veluti alter Philippus, divina scientia illustratus, secreta Aug. quæ noxit, nobis reuelat.

In Disp. q. 4.
ptt. 2.

In 2. Sent.
dist. 12. ar. 2.

Serm. 2. Par.
Aug.

Actorum 8.

Sci-

Scimus nihilominus, D. Th. venerari etiam aliorum PP. sententiam, tametsi Augustinianæ contrariam. Scimus S. Doct. neutræ sententiæ voluisse præjudicare. Sed non ideo dissentit ab Aug. immò judicamus, magnum in hoc ipsi præstissime obsequium, & ad genium illius mirificè fuisse locutum. Ingenium Aug. Par. etsi sublimè, & altum, non tamen elatum. Tanta quippè fuit ejus humilitas, ut fateatur ingenuè non esse impossibile inveniri aliam sententiam præferendam. Unde de sua, lib. 4. de Gen. dicit: *Neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, que preponenda sit, inveniri non posse contendam.* Hinc Sapientiss. Scriptor h̄jbs Opusculi, tanquam verus Aug. filius, sui, & nostri Par. exemplum sequens, protestatur, quod sine præjudicio alterius sententiæ Augustinianam suscipit defensandam. Initio enim Operis pag. 3. ita dicit de sententia ab ipso propugnanda: *In qua sic procedere curabo, ut licet dabim ad mentem N. Aug. resolvam, nullum tamen aliorum sententiæ præjudicium inferre presumam.* Cum hac cautela, quam non semel in hoc Opusculo repetit, procedit iste Sapientiss. & Prudentiss. Mag. fecit quod promiserat: loquitur quidem cum illa modestia, & veneratione, quam aliorum PP. & gravissimorum DD. sententia meretur, & quam Augustiniani non immeror postulare possumus ab aliquibus AA. qui in hac controversia minus modeste, quam par erat, de Aug. loquuntur.

Quicumque autem illi sint, audiant D. Hieronym. de Aug. Par. dicentem: *Augustinus Episcopus volans per montium cacumina quasi Aquila, & ea qua in montium radicibus fiant, non considerans, multa Cœlorum spatia, terrarumque situs, & aquarum circulum, claro sermone pronuntiat. Qui enim in lignum fructuosum ascendere vult, paulatim superiora, & majora carpere poma festinat: proximos autem ramos parvulis relinquit. Et nos qui parvuli sumus, infirmi, atque minores, si inferiora congregare volumus, nobiscum bene agetur.* Hæc Doct. Max. Ergo qui hanc Aug. expositionem (quæ partus legitimus est intellectus propè divini) comprehendere non valent, illam tamen ut sublimem venerentur, & ad alias faciliores convertantur, quibus contenti sint.

Ad te redimus, Sapientiss. Mag. ut tandem dicamus, quod de tuo Opusculo sentimus. Sed quid de volumine isto sentire possumus; nisi quod est præstantissimum opus, omnibus

Lib. de re:
DD.apudN.
Urbinat in
Prologo.

Milleloq. P.
Aug.

bis numeris absolutum, acutè, solideque concinnatum? Quid nisi quod est non tantum eruditione, sed etiam summa prudētia plenum? Quid nisi quod non perfunditorie, ut ab alijs frequenter, sed abundē, & pro dignitate, ut materia poscit, est elaboratum? Quid nisi quod totum est plenum affectu, & amore erga Aug. Par.? Hęc & alia, qui opus istud pacato, & non contentioso animo legerit, & vera probabit, atque summa cum jucunditate experietur. Unde ad ejus lectionem Augustinianos mittimus, ut videant, & simul mirentur, quanta Author iste emolliat facilitate præsentem difficultatem, alias apud plures fatis asperam, & intrincatam. Ut videant quantum rei obscure lucis affundat: & quanta fœlicitate, quod ex Aug. Præcept. & Par. didicit, nobis, summa eruditione plenum legendum proponat.

Legamus omnes, & gratulemur, atque debitas gratias Authori referamus. Nec tantum Auth. sed ejus etiam Sacratissimę & Graviss. Religioni, & Matri, qua talem nobis Augustinianis dedit Aluminum, ut pro Aug. Par. sententia, & defensione nostrę caufa certaret. Nostrę dicamus, an suę? Sed ut fateamur verius, & suę, & nostrę dicamus. Causa enim Aug. caufa est utriusque Religionis; communis est ad Præmonstratenses, & Augustinianos. Omnes enim eundem Aug. Patrem, & Præcept. habemus: Omnes sub ejus Sanctissima Regula militamus. Ergo si ad omnes pertinet, omnes gaudemus, omnes lætemur, & simul omnes Auth. gratulemur. Salmantica. Ex hoc N. Augustiniano Convētu. Die 12. mensis Novembris. Anno Domini 1735.

Mag. Fr. Franciscus Borja,
Prior,

Mag. Fr. Mathias Teran,
Primar. Sacré Script.
Moderator.

Mag. Fr. Emmanuel Vidal,
Philosophia Cath, olim
Moderator,

Mag. Fr. Josephus Cabriada,
Philosophia Cath, olim
Moderator.

Fr. Martinus Vidal,
Sacré Theologia
Lector,

Fr. Francisco Gomez,
Sacra Theologia
Lector.
Fr. Petrus Velasco,
Magister Studen-
tium.

CEN.

CENSURA

R. P. M. Fr. ILDEPHONSI GONZALEZ
de Apodaca, Ordinis Praemonstratenſis, in Alma Universitate
Salmantina Doctoris Theologi, & Regentia Cathedrae
moderatoris, Collegij S. P. Norberti S. Theologie
Lectoris, & Studiorum Praefecti.



E mandato N. R. mi P. M. D. Fr. Josephi Stephani de Noriega, Lectoris Jubilati, Catholicae Majestatis pro immaculatae Conceptionis Marianae Regali Congresu Theologi, Congregationis Hispanicae Praemonstratenſis Generalis Reformatoris, Abbatis Monasterij S. Mariae de Retuerta, &c. Opusculum, cui titulus: *Dies Angelici Augustiniani*, sive, *Explicatio diem creationis ad mentem M. P. Augustini*, in hoc S. P. N. Norberti Collegio e suggestu dictatum à R. P. M. Fr. Bernardo ab Aguirre, emerito Lectore, & nostra Congreg. Secretario Generali, attente vidi, sedulò inspexi, & non exigua voluptate lustravi; nec tantum lexitavī, sed immò volvi, & revolvi pellucidum hoc, & planè mirabile, non sine laborioso pervigilio, indefessa qae lucubratione elaboratum opus; altissima quidem, & nisi Aquileis, non spurijs, oculis inaccessa, Phœbē Lampadis luce ditatum; sed quod tanti Solis micantes radios familiariter pertractat, dolciter temperat, suaviter disponit: cibum quidem sapientiae solidissimum propinans; sed felici genio, ingenio mirabili, dispositione rara sic conditum, ut lac potum dare nobis videatur: tanta subtilitate enucleatum, tanta claritate pertractatum, tanta specierum concinna varietate dispositum, ut vel fastidiosiori stomacho tædio esse non possit, sed sane gratissimum.

Sex natales dies, quibus initio Genesis, nascentis mundi primordia nobis revealantur, & prima hujus Universitatis structura, omniumque partium ejus distinctio, forma-

tio, exornatio, venustas describitur, nova, & veteri Augustiniana luce in hoc Opusculo perfunduntur, & Omnipotens dexteræ dignum opus, inseparabile opificium (si fas sit ita loqui) mensurantes, indivisibili Angelicæ cogitationis iactu, successionis temporaneæ nescio, dumtaxat mensurabiles commendantur. De inaccessa illa, præ splendoris magnitudine, caligine Auctor perspicacissimus in apertum prodire facit sublimem illam explicacionem, & solidissimam subtilitatem, qua magnum illud ingeniorum monstrum Aug. P. in arduis, tamquam generosa inter Doctores Aquila, ponens nidum suum, quasi piguerit in terra ambulare, senarium dierum creationis numerum usque ad Sanctorum, & sublimum Spirituum perfectissimam contemplationem evexit; & evacuata succedanea, & morosa dierum materialium multiplicatione, ad spiritualis diei unitatem confugiens, in unica Angeli cognitione matutina, & vespertina altissimè collocavit: unum solummodo diem assignans, sed sexies in ordine ad sex rerum creatarum genera repetitum; ut sic Moyse, sex genera rerum senaria dierum repetitione describenti, concordaret; & pariter Scripturæ alteri, simul (*a*) omnia Deum creasse affirmanti, consentiret.

(*a*) Eccl. 18.
Qui vi-
vit in
eternum
creavit
omnia si-
mul.

(*b*) Isaie
29. v. 11
(*c*) Ibide-

(*d*) Mar-
tialis 14.
epigram
179.

Hæc sententia sic abscondita, & non intellecta hucusque permanxit, ut forsan in illa Isaiae vaticinium impletum existimes: (*b*) *Erit vobis visio, sicut verba libri signati.* Ita enim altè, atque stylo angelico Angelicos dies explicat Augustinus, ut si sacrarum scientiarum professori legendum porrugas, prudenter, & sincerè respondeat: (*c*) *Non possum signatus est enim.* Ita hujus expositionis sublimitas occulta, & abstrusa extitit, ac si essent verba libri ob-signati, complicati, & clausi. Signatus erat Augustini liber, quasi per arcana notas, characteres, & signa scriptus foret: ita ut sicut horum scriptorum sensus percipi nequit, nisi ab eo, qui arcana notarum, & ciphrarum autem calleat; ita in Augustini de diebus creationis scriptis verba quidem videre omnibus facillimum, sed verborum sensum callere, & intimius rimari, nulli datum est, quin ipsius magisterio fuerit edocitus. Unde ipsis decantare libet, quod Martialis, ajebat:

*Current verba licet, manus est velocior illis:
nendum lingua suum, duxira peregit opus.*

Lamentabatur sanc*t*e Candid*a* Præmonstratensis Familia, hinc
sui SS. Legislatoris ingeniosam sententiam sensuum altitu-
dine omnibus venerabilem videns; inde immanum difficul-
tatum nebulis, & caligine obductam, & sacrorum velami-
num involucris circumseptam. Amar*e* flebar, quia nemo hu-
c usque dignus iuventus est aperire librum, & solvere signa-
cula ejus. Sed ne fleveris, merito dixerim: ecce adest de Fa-
milia tua Candid*a*, de Augustiniana tribu, alumnus dignus
aperire librum, & solvere septem signacula ejus. Si enim, tes-
te Alapide, (*e*) aperire librum idem est, quod eum alijs legen-
dum proponere, hoc est, mysteria co contenta alijs enarrare;
ecce Auctor N. Augustini de diebus creationis librum, sep-
tem, hoc est, innumeris, ut exponit idem Cornelius, sigillis sig-
natum, idest, difficultatibus circumvolutum, aperit, sol-
vit, & intrincatissimas & nodosissimas objectiones discrimi-
nat, & eliminat. Librum signatum sigillis septem merito ape-
rire crediderim Auctorem N. cum unam in se matutinam, &
vespertinam cognitionem, unicunque Angelicum diem,
relatè ad septem objecta (sex videlicet opera creationis,
& septimam requiem Dei) septies numeratum, ex Augus-
tiniana doctrina nobis pandit, manifestat, & explicat. Non
novo lucem affert, sed illam eamdem Augustiniani So-
lis micantissimam, tanto fulgore radiantem, ut debilis
ægrive oculi aciem superet, sic temperat, & mitigat, ut qui-
vis eam fixo obtutu valeat contemplari. Opusculum N. Auct.
Augustiniana luce fulget, ut Sole Luna; ita ut nec vel minu-
tissimum doctrinæ radium in ipso aspicere queas, qui non à
tanto Sole originem habeat. Tunc Luna incipit apparere,
cum à Sole primum incipit illuminari: quo fit, ut in ipsa non
tam ipsius decor, quam Solis splendor ostendatur. Non ab-
simili modo Opusculum nostri Auct. inspicias. Totum, quod
in ipso apparet, Augustini lumine fulget.

At hæsitabit forsitan nemo, & dicet: Nonne plu-
res, & præcipue difficultates, quæ in hoc Opusculo versan-
tur, Angelici Præcept. doctrinæ enodantur? Nonne ferè om-
nia asserta, D. Thomæ humeris sustentantur, & firmissimis
ejus principijs iunctuntur? Planè quidem fateor. Qui ergo
fieri potest, ut unica Augustini luce Opusculum fulgeat?
Qui Thomisticam lucem alias ab Augustiniana putat, pro-
fectò

(e) Cor-
nelius in
Apocal.
s. v. 2.

festò D. Thomam Auguſtinum esse contrarium nescit. Au-
gustinus lux est, lucerna Thomas: tantum in mundo Tho-
mas luxit, quantum ab Augustino lucis accepit. Nisi mavis,
Thomam contemplari purissimum speculum splendorem re-
flectens Augustinianum: simillimam imaginem prototypon
referentem Augustinum; non quidem torpiter dirutum,
crudeliter lacerum, sedē maculosum, (ut in nonnullis cer-
nere est, qui immerito se jaſtant Augustini splendore perfu-
ſos) sed robustum, integrum, pulchrum, fine rima, fine
macula, fine ruga. Unico ergo splendore micat Auctor Noſ-
ter in hoc Opusculo, velut speculo, dum Augustini lucem,
alioqui inacceſſibilem, Thomæ assumptâ lucernâ, querit,
invenit, detegit. Iſti ſunt Patroni ſententiaz, quæ in hoc
Opusculo explicatur. Hi Alantes fortissimi, quorum infa-
tigabilibus humeris ſublimis hujus doctrina machina, nulla
unquam oppugnatione ruitura, requieſcit: quibus alios ſi
conferas, futuros alioqui procera magnitudine montes, mi-
ris statim modis videas decreviſſe.

Hæc cùm ita ſint, quis non miretur, quod in tantum
processerit aliquorum AA. audacia, ut Augustini de diebus
Angelicis ſublimem ſententiam, potentissimis, ineluctabili-
bus, & irrefragabilibus argumentis prostratam dicitantes,
quasi pro parva victoria triumphum decantantes, misere di-
lacerent; infuper que in judicium adducentes, tamquam
mortis ream, velut ex tripode, aut censorio ſubſellio, in ma-
lè oſentium opinionum, atque errorum catalogum buccis
crepantibus adſcribant? Res ſeſta proſectò, & exeranda: que
quamvis eo ſolū titulo contemnenda foret, quod Sapienti-
um Oraculum, & Doctorum Magister erroris redarguatur;
eo magis adhuc eſt, aut compassionē ſumma, aut effuſo ri-
ſu excipienda, vel magis publicè exſibilanda, quod tota hæc
Augustiniana ſententia cetera ita debilibus fun-
damentis innixa, ita parvis armis parvi ſlipati procedunt, ut
non tela ex vera theophyli firmiſimo armamentatio, ſed
ſpīcula ex arundinero accepisse videas: & nihil minus gla-
dio lingua accincti, declamantes, & ſubſannatione ſubſan-
nantes, Pygmæi iſti contra Gigantem, vel ſola eximia pro-
ceritatis fama formidandum, in paleſtram & certamen pro-
cedunt, ſententiam ejus inexpugnabili ſubſentaram vigore

evertere, & prostrare conantes. Quis autem hæc videns à
risu se confineat? Nunquam appositiū illud Juvenalis:

(f)

*Ad subitas Tracum volvunt, nubemque sonorant
Pygmaeus parvis currit bellator in armis:
mox impar hosti, raptusque per aera curvis
unguis à fœva fertur grue. Si videas hoc
gentibus in nostris, risu quatire.*

(f) Ju-
venalis
Sat. 13.

Cæterum ne ultrò videar pugnare cum larvis, & ne
quis hucusque dicta vana omnino fingentis hostem tela exis-
timet; opera pretium duxi exhibere ob oculos convitia, &
censura; quibus Neoterici aliqui Augustinianam sententiam
inurunt, tanticque Solis micantem hanc lucem obnubilare
conantur, dicentes, quid sententia de diibus Angelicis est
nimis subtilis, parabolica, & nullo fundamento Scriptura
innixa: Quod rejectur à Doctoribus Catholicis: Quod rejectu-
tur ab omnibus ut improbabili: Quod dannata fuisset ut her-
etica, si Augustinum Patronum non haberet: Quod authori-
tatem Scriptura enervat, & iam forte coram infidelibus ludi-
brio exponit. Sed forte hæc levia sunt; paulò majora lugea-
mus. Non defuit Auctor, alioqui gravis authoritatis, qui
sententiam Augustini ita strictim pertractans, ut in ejus enar-
ratione, & fundamenti principi, quo innitur, solutione,
nec medianam paginam impleat; & nihilominus ex tanta charæ
angustia spatiolum campum sibi delegerit, quo dumosum
hoc, & spinis insitum de Augustini sententia locaret clo-
gium: Contrarium docent alij Patres, id que omnino con-
vinit similes, & historica narratio Moyssis. Et quasi non
ei ista sufficiant, Augustinianam sententiam hac audacter
taxat centura: Quare jam erroneum est dicere omnia uno die
esse producta.

Hæc & alia, M.P. Augustine, contra tuam senten-
tiā proclamant Adversarij. Nihil ad ea, quæ tibi objiciunt,
respondes? Quantum ad dictoria omnino nihil: (g) Abstinea-
mus nos à convicijs, ne tempus inaniter impendamus, & ad id,
quod agitur, potius advertamus. Sed de tua sententia quid
dicis? (h) Quis quis non eam, quam pro nostro modulo vel in-
digare, vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum

(g) Aug.
Epistola
179.

(h)
4.0
ad litteras
cap. 28.
die.

dierum enumeratione sententiam, quæ non in prophetia figuratè, sed in hac creaturarum conditione propriè, meliusque possit intelligi, querat, & divinitus adjutus inveniat: Neque enim hanc ita confirmo, ut aliam, quæ preponenda sit, inveniri non posse contendam. Hæc Augustini humillima sententia, tantisper meditata, sat est ad totam Adversariorum veluti pavonum rotam dissipandam, atque ut ad bonam tandem

O Div. Thomas quodlib. 10. art. 3.
mentem redeant, quicumque sibi niniùm plumarum fulgore blandiuntur. Quamobrem Adversariorum convicia reverenti silentio obvolverem, nisi me aliundè honor Patris, & Legislatori N. male impeditus accenderet, atque in D. Thom. scriptum legerem, quòd (i) contemptus famæ ratione sui ipsius humilitatis est, ratione verò proximi ignavia, & crudelitas. Has ut vitarem, quæ odi verba invitus usurpo; si enim proximum, quantò magis Parentem & Magistrum ab injustè impositis calumnijs vindicare debet discipulus, & filios?

(K) Div. Prosper lib. 2. dist. 5.
Ecquis enim, non dico filius, non discipulus tanti Parentis, & Magistri, sed qui religiosam pietatem, & in SS. PP. debitam reverentiam vel à lumine salutaverit, tolerare poterit, quòd improbabilis dicatur sententia tot tantisque fundamentis innixa, & à Magistro tradita, qui est (k) saluberrima Evangelice doctrinae intelligentia? Quis æquo animo ferat dicere audentes, quòd à Doctoribus Catholicis, insuper que ab omnibus rejicitur ut improbabilis, sententia à pluribus SS. & Expositoribus amplexata, (Vide in hoc Opusculo art. 3. à num. 121. insuper totum art. 5.) quæ D. Thomas (l) plus placet, & de qua Albertus Magn. dicit, quòd (m) sine præjudicio melioris sententia videtur Augustino consentendum?

Nanquid isti aut homines non sunt, aut Doctores Catholicci non sunt? Ergo vos soli estis homines, & vobiscum morietur sapientia? Quis audiat temere proferentem, quòd autoritatem Scripturæ enervat, & eam forte ludibrio hereticorum exponit, sententia ab Augustino firmata (n) omnium difficultatum Ecclesia pace, & quiete, & quæ est (o) rationabilior, magisque ab irrisione infidelium Scripturam defendens? Quis non llueat, dum damnabilem censiū audit sententiam Doctoris, qui & (p) illustrator fidei, & (q) fideli magister consetur, quicne (r) omnia, quæ fidem perturbare poterant, hereticorum venena evacuat?

Duo denique ultimus ex productis Censoribus inculcabat. Primum forsè non ab eruditissimo Scriptore pronuntiatum legerem, si ipse quod scripsit Augustinus vel per transennam legisset: (f) *De obscuris naturalium rerum, que Omnipotente Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed querendo tractandum est, in libris maxime, quas nobis commendat authoritas; in quibus temeritas afferenda incertæ dubiaque opinionis difficilè sacrilegij crimen evitat.* Poiò, quòd contrarium Augustinianæ opinioni non omnino convincat simplex, & historica narratio Moysis, ignorare non poterit, qui hoc Opusculum legerit; in ipso siquidem probabilitas Augustinianæ sententiae evidenter demonstratur. Nec secundum dictum, profectò injuriosius, novus ille Augustini Encomiastes protulisset, si saniori, antiquiori que crederet Volusiano: (f) *Legi Dei (inquit) deest quidquid Augustinum contigerit ignorare: Si Tindensis horret judicium: (u) Qui audet (ait) dicere: Male dixit Augustinus, blasphemias profert. Verum ramen est, quòd harum censuratum Auctor, ut illarum rigorem temperet, & mitiget, immediatè subjungit: Augustinus ergo dubie. O disputanter loquitur in questione, ut ipse ait, tunc difficultissimi: nec satis se ipsum explicat, an hæc adferat pro mystico, an pro literali sensu. Sed utrumque infelicitet in dubium adducitur; ni dicatur, quòd Augustinus dubie, & disputanter procedit, quia non ita temaciter sua sententiae adhæret, ut aliam, quæ præponenda sit, inveniri non posse contendat: sed sic procedendam esse in his adhuc quæ ut magis probabilia amplectimur, jam nos docuerat ipse modestissimus Doctor verbis nuper ex ipso laudatis. Dicere autem, quòd Aug. propriè disputativè processerit, solus ille ignoranter poterit, qui ipsius scripta nec ostiranter legerit; cum luce clarius videre licet lib. 4. super Gen. ad lit. cap. 21. & 22. & alibi passim, cujus verba, ne lectorem gravem, omittenda duxi. Sufficiat dicere, quòd hanc Augustinus D. sententiam suam frequentissimè vocat. Quod autem in sensu literali procedat, præterquamquod vel ipse titulus libri, in quo hanc sententiam uberrimè pertractat, qui de Genesi ad literam inscritbitur, aperte convincit; ita manifestè docet q. de Gen. ad lit. cap. 28. ut persuasum habeam, quòd hic Auctor vel hæc M. Augustini opera non*

(f) M.P.
Aug. de
Gen. ad
lit. Im-
perfecto
cap. 1.

(f) Volut-
sianus
ep. 2.

(u) Les-
cas T. +
densis

(x) Aug.
lib. i. d.
Gen. a.
lit. cap.
47.

legit, vel ea intelligere noluit. Sed ut hoc evidenter demonstretur, addendum duxi, quod ipse M.P. Augustinus, (x) ex eo impugnat quandam expositionem circa illa verba dies unus, quod sit allegorica, & non literalis interpretatio: Sed hec, inquit, allegoria propheticæ disputatio est, quam non isto sermone suscepimus: instituimus enim de Scripturis nunc loqui secundum proprietatem rerum gestarum, non secundum enigmata figurarum. Nota, quod hæc verba ponit Augustinus, quando totus est in explicando lucem illam spiritualem, & divisionem inter lucem, & tenebras. Cum ergo P. N. Augustinus adeò aperte sensum, sententiamque suam, conceptis verbis, exponat: quis de sensu, in quo procedebat, nisi sensa invertere, aut pervertere velit, deinceps ambigat?

Ab his abstinuisse filialis necessitudo passa non est, ne in dies inulta crescens audacia iteratis latratis, vel etiam morsibus Augustiū P. impetrat, aliosve ad idem facinus patrandū excite. (y) Tempus tacendi, & tempus loquendi. Si aliquando, Basilio M. consentiendo, silentium pro defensione, & depulsione calumnia subrogare licuit: nonnunquam etiam, tanti Doctoris exemplo, nec sine laude, ut matra fiant labia dolosa, vindicias parare opportunum est, tunc potissimum cum éadem utrobique causa silere verat: (z) Quoniam vero multos (inquit Basilius) jam silentium nostrum & rapuisse video, ut ex illo intentatas calumnias confirmarint, nosque non lenitatis ac patientie gratia, sed quod ad exprimendam veritatem os aperire neutquam ausim, eoque silere me arbitrantur, ob eam vobis causam scribere conatus sum. In hoc quippe cautione, & circumspectione maxima opus est; ne forsitan aliqui inani terriculamento consternati, panicco terrore percussi, & latratis, criminationibus que Augustiniæ sententiae adversantium conturbati, ibi trepidantes timore ubi non erat timor, dulcis aquæ scaturiginem derelinquant, & cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, incautè sodiant, ignoranter bibant, misere pereant: si, quod absit Deus, eorum animus, fortassis nimiam credulitas, levitate magis quam ratione ductus, his Oraculis fidem adjungat.

Ut ergo lapis hic offensionis, & petra scandali erga parvulos omnipiù conteratur, criminationes accusatorum in exa-

(y) Eccliesiast. 5.
p. 7. 7.

(z) Basilius M.
Orat. 73.

Examen adduxi: non quod M. P. Augustini verè detur patrum honorem sentiam. Nec enim me later, quod quæ adversarij spicula vibrant in Augustini P. pupillam, in ipsius dico ingeniosam sententiam, tanti Patris honorem tantum vel in minimo labefactant; quantavis quippe virtute & impulsu ejaculetur, quantocumque conatu in ipsum emitatur, ad excelsum Augustini solium jaculam non pertingit; Cœlum namque nulla sagitta ferit. Non ergo angatur animus tuus, Augustini filius, quasi deplorans, quod adversantium acuta lingua secum abduxit captivam Augustini autoritatem: labilis sanè foret tanti Patris honoris, si à tantillorum hostium penderet injuria. Haud quia ventus fiat in ignem, extinguit; immò accendit. Occultur Augustinianus splendor, sicut lux in lagenis Gedeonis: frangat licet collisione adversarius, minimè fulgorem minuit; quin potius iœtu gravi, quo extingue cogitavit, splendor ipsius authoritatis magis illuxit.

Infirmata sunt ergo contra adversantes M. P. Augustino inter Doctorum omnium luminosam turmam, diademate redimicte, & coronatae Aquilæ, linguae eorum. Sagitta, qua configere volebat, in ipsum recidit sagittarium. Simul peccat, & plectitur, quem miserè hæc pestis invasit. Quare parcatur illi, & oretur pro eo. (a) *Siquis modestia nescius, & pectoris ignarus, improbo, petulantique animo, maledictio nomina nostra crediderit lacessenda, & temulentia turbulentus, obtrectator temporum nostrorum fuerit, cum penitus nullum subjugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere. Quantam si id ex levitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab injuria, remittendum.* Ecce immunis ab omni pena Imperatorum edicto judicatur, qui flagitium flagitiosissimum fecit, primam in dignitate personam injuriosè obtrectando & maledicendo. Sed quid hoc? Specie quidem, nulla; re vera tamen atrocissima pena molestatum hoc sceleris genus gravissimum. Nulla siquidem offendenti major pena, quam benefica remissio culpa. Sufficit sanè in vindictam offendere, & quidem molestiorem, ipsius offendere remissio, unde supervacuus est gladius. Vindicatur aptius injuria remissionis favore, quam gladio. Peregit ictum indulgens remissio acrius, quam possit vel crudelis ultio. Siquis ergo in N. P. Augustinum ex

(a) *Leges unica c.
Siquis,*

injuriae animo convicia, & maledicta effutierit, omnino illi parcatur. Sed cum viros Sapientes, & Religiosos vel ex insania, vel ex injuriae animo præfatas censuras in Augustinum intulisse nefas sit vel suspicari, ex animi levitate processisse persuasum habeo, ob idque ejusmodi convicia, & dictoria propterea contemnenda sunt.

Sed, quod admiratione ac stupore dignum est, adhuc in Augustini castris strenue pro suis dimicans, & de tanti Magistri discipulatu gloriosum sese ostentans, dum ad hanc de diebus Angelicis questionem ventum est, non solùm pro Augustino non militat; sed, quod lachrymabile dictu, contra tanti Patris sententiam tantam accinctus hostis, toto contendit conatu, totas exerit vires pro Augustiniana sententia eliminanda. Quod irremediabilibus lachrymis ploratum dignum meritò existimes cum Cicerone dicente: (b) *Adversarius est enim (Dij immortales! sine gemitu hoc dici non potest) in illo sacrario Reip. in ipsa inquam Curia nonnemo adversarius est.* Hoc si in una vel altera per transennam à S. Doct. pertractata sententia experiremur, esset tolerabile malum: sed in re tanta, tanta latitudine, tanto rationum pondere, tanta diligentia examinata sententia, quis ab Aug. ipsius discipulum recessurum suspicaretur? Maximè cum hoc mirabile de diebus Angelicis inventum, jure optimo *opus Augustini* antonomastice, sive per excellentiam nuncupari debeat; quia inter maxima tanti Doctoris opera hoc unum fuit maximum, & excellentissimum. Quodque de Bruto dixit Poeta: *Et magnum magni Cæsaris illud opus;* illud longè verius dicas de hoc Angelicorum dierum invento: *Et magnum Magni Præfuli's illud opus.* Quid namque præ isto admirabili opere curiosius quæsivit Augustinus? Quid invenerit doctiūs? Quid consideravit attentiūs? Quid distinxit acutiūs? Quid diligenter, pleniūsque conscripsit? Quid si venustate, suavitate, & eloquij elegantia satis fulget; doctrina tamen, atque sententijs ita refertus est, ut plus avidum rerum doceat, quam verborum studiosum delcet.

Hac de causa, & quia in Candida Præmonstratenſi Familia non exaruit vividus ille affectus, & filialis amor, quo Norbertus Parens, & Majores nostri SS. sui Legislatoris & legem, & doctrinam sunt amplexati, (Meritò quidem nam

(b) Ci-
cero pro
L. Mu-
rena.

nam ut ait V. N. Philippus Abbas: (c) *Non mediocriter ar-
guendas est culpe, qui Clericum profitetur, nisi Augustinum
Preceptorem suum tenerè diligat, devotè recolat, sedulò ve-
neretur; ipse quippe est decus, & forma hujus nostræ profes-
sionis: ipse est Speculum, & regula nostræ Religionis.*) sed
in discipulos, & filios latè, vernaanter, & fecundè cum Nor-
bertino candore est propagatus: feracissimæ hujus vineæ
propago nobilis surrexit Auctor N. & ad vindicandam soli-
dissimam Augustini subtilitatem, qua dies creationis expli-
cat, generosus athleta sese accinxit. Et licet ejus oculis ob-
versaretur arduitas, & difficultas in tam profundæ doctrinæ
intelligentia; licet offusam tenebris viam, qua iter agendum,
inspiceret: præ magnitudine tamen amoris, & pietatis acu-
leato zelo percitus, timorem exxit, & impavidus sese ad
tam procellosi pelagi tranandas aquas immittit, illo fretus
Augustiniano documento: (d) *Nihil tam durum, & ferreum,
quod non igne amoris vincatur.* Nec mirum; qui enim arden-
tiùs diligunt, profundiùs conspiciunt, subtilius discernunt,
evidentiūs cognoscunt. Quanto majori benevolentia affec-
tu, & pietatis studio procedit Lector, tanto perfectius cog-
noscit, penetrat, & comprehendit: (e) *Ille tenet, inquit M.P.
Augustinus, & quod patet, & quod latet in divinis sermoni-
bus, qui charitatem tenet in moribus: amore petitur, amore
quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique
in eo quod revelatum fuerit permanet.* Ardens igitur N.
Auctoris amor, & pietas in M. Augustinum discretionem
multiplicavit inquisitionis, illius omni superioris eloquio de
diēbus Angelicis sententia; ipsi namque verè (f) *amanti se-
mel asperisse non sufficit.* Non satiatur oculus visu perfunc-
toriæ, & transcursum amati bona, artes, doctrinam prætervo-
lante. Sed quid inde? (g) *Contigit, ut inveniret.* Hic fructus
veræ pietatis, rectæ intentionis, & sedulæ considerationis.
Inspexit lynceis oculis Augustini doctrinam, & eam avidè
fixa acie contemplatus, è literæ cortice omnium aspectibus
pervio profundissimum, & latentem spiritum usque pertin-
gens, nucleus veritatis eruere lucratus est. *Quod desidera-
bat, invenit, & ecce*

(c) Phi-
lippus
Abb. Bo-
na sp. in
vita Par.
August.
cap. 31.

(d) M. P.
Aug. lib.
de Mori-
bus Ec-
cles. cap.
22.

(e) Aug.
Sermon.
139. de
temp.

(f) M.
Gregor.
Homil.
26. in
Evang.

(g) Greg.
ibid. em.

(b) *Obstupet, obtutuque hæret defixus in uno.*

(b) Virg.
I. Aeneid

Er.

Ergo ex hoc Augustini amoenissimo viridario opimos decerpens fructus Auctor N. instar argumentosae apis ex melligeris hisce floribus plura nectaris itillicidia gutatim decerpens, favum mellis ingeniosè construxit; omnibus que veris Augustini discipulis de Augustini verbis dulcem panem consicit, & de ipsorum nectare suavissimum, delicatisimum, & dulci veritate plenum potum propinat in hoc Opusculo; quod non tantum sanam, puram, & claram Augustini doctrinam continet, sed etiam tanti Patris modestiam redoleat; utpote in quo omnis dicacitatis, dicterij, scommatis, concivij, vel aculei ipsa unbra procul amandatur. Nec enim aliud satagit, quam sententiam de diebus Angelicis, nulla satis commendabilem laude, à M. Aug. adinventram, sed à nonnullis oppugnatam, vindicate, sincerè intelligere, omnibus impensè amandam proponere, devotè revereri, constanter animosèque defendere. Hoc optavit, hoc apprimè gloriosèque est assecutus.

Et licet ex ferventiore, quo astuat, amoris ardore in Augustinum, intolerabile sibi fieret, quidquid contra ipsum effutiri videbat; non ideo tamen aspero, hispido, & aculeato stylo in adversarios invehitur; sed leni, miti, & suavi eloquio fundamenta proponit, objectionibus satisficit: non asperitate sentium, sed ubertate doctrinæ, qua omnis erumpentis hinc inde nugæ fucata argumentorum structura solo æquata est, omnia adversantium tela confracta, & funditus sunt commiuuta. Hoc, non illud pertinet ad doctos, pios, & morigeratos Theologos, solius veritatis amantes; ut enim scriptum legimus: (i) *Quæ desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordie, & fratribus bonis.* Nec illa disciplina alienior à garrulitate sit oportet, quam ista divisa; nam ut divinum Verbum corde, (k) non ore Paterno pronuntiari dicitur: ad hunc ferè modum scientia divina magis debet esse cordis, quam oris: eaque maximè in arbore Persico adumbratur, de qua Pierius ita loquitur: (l) *Inter picturas omnino multas, quibus Ægypti silentium significabant, Persicum etiam bis admisere, eaque de causa arborem eam Harpocrati dedicarunt; fructum enim habet cordi, folium lingua simile: quasi sermonem, qui fructus est intel-*

(i) Jaco-
bi 3.

(K) Psal.
44 Bruc
tavit cor
meum
Verum
bonum.

(l) Pier.
Val. lib.
34.

intelligentia, sedem in corde, non in lingua habere deceat. Sic ergo Theologi in pretio aliquo lingua, sed ut folium; mens sola estimetur ut fructus. Sic se gerit Auctor N. qui non gladio lingue, sed rationum fortissimis armis debellatur us hostes progreditur: verè cygnus, sicut in Norbertini habitus candore, sic & in Theologico munere exequendo: (m) Cygnus ore non canit hirundinum, luscinarum que more: sed modulatione, motuque alarum per ventorum afflatus extensarum, admirandum illud carmen efficitur.

Micco plura alia, quorum insinuationem brevitas hujus scripti non patitur, & ad injuncti muneris executionem venio. Sed quis sum ego ut iudex super hoc opus constituar? Sanè, uti jam dixi, doctrina in toto Opusculo contenta, ipsa rotunda Augustiniana est: & ego censor Augustini, cuius non sum dignus solvere corrigam calzeamenti? Si ad explicationem, & explanationem ejas oculos verto; ipsa nomine N. Auctoris est, cuius magisterio nobilitatus oblector, cuius honor gloria mea, quo & luce, & Duce, siquid in me est, ab ipso est? Non ergo mei muneris est de ipsa iudicium ferre, sed eam magnopere revereri. Cor ergo præceptum urget, ut de hoc opere iudiciam meum proferam? Sed, ut reor, aliud præcipit Superior, aliò ducit Superioris præceptum. Duo inspicit præcientis intentio, (n) & id ad quod per præceptum inducere intendit, & id de quo intendit præceptum ferre. Alius est præcepti finis, alias finis præcientis. Præceptum censuram inspicit, Præceptor censurantis profectum. Prudenter igitur mihi occasio proficiendi proponitur ipsius magisterio, a quo primum edoceri coepi. Quām accurate, & religiosè per hoc præceptum meus Superior monito Sapientis obtemperat! utpote quī, teste Alapide, per illa verba: (o) *Da Sapienti occasionem Doc. significat Parentes, Magistros, & Superiores debere subinde filijs, discipulis, & subditis dare occasionem proficiendi in sapientia, & virtute, ejus exercendae occasionses suggerendo, & objiciendo.* Ergo occasio profectus mili proponitur: utinam præcientis finem esse afferatur. Ut autem ad præcepti finem, & rei præceptæ debitam observantiam accedam, sincere dicendum censeo, quod in toto hoc Opusculo nihil Lector offendere poterit, quod vel leviter lauan doctrinam fidei, & morum offen-

(m) Elias
Cret. ita
Nazian.
Orat. 2.
de Theo-
logia.

(n) Div.
Thomas
1. 2. q.
100. art.
9. ad 2.

(o) Cor-
nelius in
Prover.
cap. 9. vs.
9.

offendat: quinimò P. N. Aug. doctrinam in ipso maximè illustrari affero; quod concedere non renuet quisquis judicij face ductus, non odij, vel invidiae fumo cæcutiens, ad hujus Opusculi lectionem accesserit. Liceat ergo (usurpatis verbis ex epist. Henrici VIII. ad Joann. Ludov. Vives) quem non sine rubore Censorem, Auctoris, Magistrique mei agere tandem Encomiastem: (p) Augustinus de Genesi ad literam tua illustatus expositione simul atque ad manus nostras pervenit, nobis gratus, effect ut prorsus dubitemus, cui in primis gratulari debeamus: tibine, cuius tam erudito labore tam egregium opus absolutum est; an Augustino, qui diu mutilus, obscurus ex densissimis tandem tenebris luci datus, pristinæ restitutus est integritati: an toti posteritati, cui ipsa tua expositio ingenti erit fructui. Datum in hoc S. P. N. Norberti Salmantino Collegio die 24. Aprilis, anni Domini 1735.

M. Fr. Ildephonsus Gonzalez
de Apodaca.

(p) Ex
epistol.
Henrici
8. Inter
opera
August.
Tom. 5.
in princ.

LICEN:

LICENTIA ORDINIS.

NOS MAG. D. Fr. JOSEPHUS STEPHANUS DE Noriega, Lector Jubilatus, Catholicae Majestatis pro Immaculatae Conceptionis Marianae Regali Congressu Theologus, Congreg. Hispan. Praemonstratensis Generalis Reformato, Abbas Monasterij Sancte Mariae de Retorta &c.

Præsentium vigore facultatem impertimur R. P. Mag. Fr. Bernardo de Aguirre, Lectori Jubilato, & ejusdem nostræ Congregationis à Secretis, ut in lucem edere posse, ac valeat Opusculum Theologico-expositivum, ab ipso elaboratum, cuius titulus: *Dies Angelici Augustiniani*, sive *Explicatio dierum creationis ad mentem M. P. Augustini*; quandoquidem ex commissione nostra à R.P. Mag. Fr. Ildephonsio Gonzalez de Apodaca, Universitatis Salmanticensis Doctore Theologo, & Cathedralico Regente, Collegij SS. P. N. Norberti S. Theologiae Lectore, & studiorum Praefecto, approbatum est, & utile judicatum ad enucleandam subtilem mentem, ac SS. P. & Legislatoris Augustini vindicandam authoritatem: dummodo serventur alias servanda. In quorum fidem dari jussimus præsentes litteras, nostro nomine subscriptas, sigilli nostri impressione munitas, & Secretarij nostri subscriptione toboratas, in prefato nostro Monasterio Sancte Mariae de Retorta die prima Maij. Anno Domini millesimo septingentesimo trigesimo quinto.

*Mag. Fr. Josephus Stephanus
de Noriega,
Generalis Reformato Ordini-
nis Praemonstratensis, &
Abbas de Retorta.*

*De mandato Rmi P. nostri
Generalis.*

*Fr. Bernardus de Aguirre,
Secretarius Generalis.*

CEN-

CENSURA

RR. P. M. Fr. BENEDICTI MARIN,
Sacri Ordinis Benedictini Congregationis Hispanicae
Emeriti Lectoris, & Magistri Generalis, insignis Div.
Vincentij Conventus insulati quondam Presulis, & Stu-
diorum Praefecti, in Salmanticensi Academia Laureati
Doctoris, & Vespertinae Theologiae Cathedrae
dignissimi moderatoris, &c.



LLUSTRISSIMI D. D. JOSE-
phi Sancho & Granados, Epis-
copi Salmantini, Regisque Con-
filiarij mandato, librum, cui ti-
tulus *Dies Angelici Augustinian-*
tant, sive Explicatio dierum crea-
tionis juxta mentem Augustini,
mira facilitate, & dexteritate
compositum à RR.P.M. Fr. Ber-

nardo de Aguirre ex Candida Canonorum Regularium
*Praemonstratensi Familia, non semel evolvi, sed vidi, cœ-
pi, legi, & quidem omnia simul ad oculum, ut prius pene*
*ad calorem pre studiō pervenisse, quam ex carceribus pro-
movisse me senserim; siquidem in eo cuncta ita exquisita,
eruditaque resolutione ad amissim Augustini disputata
inveni, quod dignior illo*

Ang. Polit.
lib. 3. epist.
ad Ludov.

Barnab.
Pramp. ad
Nat. Com.

Interpres, mundo judge, nullus erit.

Jam pridem optatum qui verteret ingens de diebus
creationis opus nemo repertus. Tali enim & tanta Ge-
neseos historia videbatur tenebrarum caligine obtecta,
ut olim in Synagoga nulli ejus maxime in initio disserta-
cio permetteretur, nisi hominibus proiectæ etatis, qui
haberent notitiam legis. Et estò haud longævus, sanc-
tæ discrimine doctus

*Desperatum alijs sumis tu viribus aquis
Materiam, numeris condecorasque suis.*

Idem ibid.

Nec

Nec mirum. *A cespite suo virgulta non discrepat: propago vitis propriæ servit origini, & discrepabo ego à mea fuisse initio? Studio doctrinæ Parris & Magistri Augustini à teneris addictus Premonstratensis simulque Augustinianus Auctor adeo in eo scientiæ genere excelluit, ut Scriba velox, sicut alter Esdras, appellari merito debat, nomine indito, non tam ex facilitate scribendi, sed ex intima patriæ doctrina cognitione; quippe minime discrepans ab initio, propriæ servit origini vera propago, succum trahit cespitis, & resonant avibus virgulta canoris,*

Casiod.lib. 2
var. ep. 14.

Efd. 1. 7. 6.

Calm. præfat. in 1. lib.
Efd.

Ipsa enim, quæ sedulo pertractatur materia, multis quidem involuta difficultatum tenebris, aliquid sibi luminis aliunde sperare non poterat, nisi ex perenni illa radiorum copia, quam divinus capacissimè Augustini menti Spiritus fuit impertitus. Illuxit equidem S. Parens, dividensque lucem à tenebris, exposuit mire creationis opera, quin ulla luci appareret opposita nebula. Sed cum ex oriente Sole pinguem nebulam soleant movere lucernæ, claram expositionem Augustini obnubilare judicantes Neoterici, illam parabolam, allegoriam, peregrinam, & intentioni Moysis minime consentaneam dixerunt. In hos invehitur RR. Author. Ille sapit scelus, aliquæ volitant velvet umbræ: nam pro artis, sociisque propugnans, surrexit filius pro Patre, & ab ejus radiorum copia lumen accipiens, Theseus alter in labyrintho viarum ambagibus inflexo iter pervium & facile sternit, quo clarissime percipiatur Patris doctrina litteræ consentanea, rationi consona, & apud omnes vera. *Quid enim justus (ajebat Claud. Mamil.) quam ut ipse sit Patri interpres eloqui.*

Claud. Mam.
lib. 2. cap. 2. §

Dan. 8. 26.

Ibid.

Ibid. v. 17.

Visio ergo vespere & mane, quæ dicta est, vera est.
Sed unde apparebit vera, si omnibus visio signata, seu sub signaculo posita? *Tu ergo visionem signa, dixit Daniel Gabriel, quia post multos dies erit.* Signata quidem, sed non semper. Praestabil filio intelligentiam Pater. *Intellige fili, quoniam in tempore finis complebitur visio.* Non dum advenerat tempus expositioni statutum, quo usque Pater filio difficile explicaret argumentum, Filio

Vincent. Ly-
rinens. cap.
27. Advers.
prophan. Hę-
ret. novit.

Isai. 8. 1.

Calmet sup.
Isai. ib.

Lactant. Fir-
min.

Calmet Pręf.
in Eccles.

designatus dies , ut clare explicaret opus, quod fecit si-
mul ab initio Deus : apparetque visio vera , quæ prius
jam fuerat dicta ; siquidem post multos dies venit tem-
pus, in quo filius explicans ad amissim Patrem, comple-
ti facit exacte occultam ejus visionem. O traclator. O
Doctor. Adjice splendorem , gratiam , venustatem: adorna
sapienter: intelligatur te exponente illustrius , quod antea
obscurius credebatur : per te posteritas intellectum gratu-
letur quod antea vetustas non intellectum venerabatur.

Siccine judico Auctori dicendum jure, quod olim
Dominus dixerat Isaiæ. *Sume tibi librum grandem , &
scribe in eo stylo hominis.* Ea nempe ratione (addit eru-
ditissimus meus Calmet) quæ facile legi atque intelligi
possit. Enuntia p̄spicue ac distincte quidquid contige-
rit eo pacto quo vulgatae rei narrationem contexis signifi-
cantibus verbis, ac ab omni æquivoco procul. Stylus
namque nitidus & candidus, & quodammodo præferens
nobilitatem suam in dicendo, mirandum se se præstat,
præbetque Auctorem videnti.

Tantus ibi decor est , tantus abundat honor.

Ut igitur indicium meum de opere absolvam , unico
verbo concludam. *Vir sapientis personam gerit* (RR.
Magister) in utramque partem disputantis , qui post expo-
sitas varias sententias omnia penderat, omnia discutit , &
æqua judicij lance ut riuisque partis momentis librans, tan-
dem in saniorem inclinat. Sic sentio salvo meliori judicio,
cui libenter subscribam. Salmanticæ in hoc Benedictino-
rum Collegio D. Vincentio sacro , 10. Augusti , 1735.

M. Fr. BENEDICTUS MARIN.

LICEN-

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS el Licenciado D. Gregorio Ortiz Cabeza, Abogado de los Reales Consejos, Proto-Notario Apostolico, Juez in Curia, y del Numero de el Tribunal de la Nunciatura de su Santidad en estos Reynos de España, Provisor, y Vicario General de esta Ciudad, y Obispado,

POR la presente damos licencia à qualquiera Im-
pressor de esta Ciudad, para que pueda impri-
mir, è imprima un Libro intitulado : *Dies An-
gelici Augustiniani, sive Explicatio dierum creationis
juxta mentem Augustini*, facado à luz por el R. P. M.
Fr. Bernardo Aguirre, Orden de Premonstratenses,
mediante, à que de orden del Ilustrissimo Señor
Obispo de esta Ciudad, y nuestra, està visto, y exami-
nado, y no tiene cosa contra nuestra Santa Fè, y
buenas costumbres, sin por ello incurrir en pena.
Salamanca, y Septiembre primero de mil setecien-
tos y treinta y cinco años.

*Lic. Don Gregorio Ortiz
Cabeza,
Vic. GEN.*

Por mandado del señor
Provisor

*Pedro Vicente,
Not.*

CENSURA

R. P. MAG. Fr. FRANCISCI ECHEVERRIA,
Congregationis Hispanicae , Sacri ,^o Canonici Ordinis
Præmonstratensis, Lectoris emeriti, Collegij Sancto Nor-
berto Sacri olim Abbatis, litteralique exercitamento Præ-
fetti, Generalis Magisterij primum, Vicarij posmodum,
Diffinitoris tandem munere decorati , in Salmanticensi
Academia ad doctoratus lauream evecti , in eadem
quondam Philosophiae Catbedram
moderantis.

X Supremi Senatus decreto disputatio-
nem de diebus Angelicis Augustinianis,
cui annexa est capitulis primi Geneseos
ad mentem August. P. expositio , Auc-
tore R. admodum Pat. Mag. D. Frat.
Bernardo de Aguirre , Congregationis
Hispanicae Sacri , & Canonici Ordinis Præmonstratensis
Sacra Theologia Lectore jam emerito , mox ejusdem
Congregationis Secretario , nunc autem Regij Cœnobij
Sancti Salvatoris de Urdax vigilantissimo Abate , ac-
curate perlegi.

Nihil profecto in hoc opere offendit , quod pla-
cere non possit , nisi quod cito legerim. Quo namque
pacto legisse placeat , quod legere delectabat ? Delectabar
equidem argumenti sublimitate , soliditate doctrinæ , erudi-
tionis copia , eloquij venustate. Nimirum tamen legendi
voluptas à voleptate cessare compellit , dum opus uni-
versum festinanter percurrit. Rapit namque animum
operis elegantia , nec invitum quidem à lui contempla-
tione discedere finit. Inveni itaque contractius , quam
cuperet animus , volumen. Quid autem , si longius inven-
issim protensum ? proculdubio avidus nibilominus re-
mansim. Quisquis enim opus hoc mentis acie perspe-
xerit , experietur sane veritatem Sacri eloquij : non satu-
ratur oculus visu.

Porro argumentum operis Auctoris pliū votum commendat, & ingenij extollit acumen. Nam id sibi operis, atque negotij præscribit, ut Praeexcelsi Augusti doctrinam in diebus Angelicis constitutis evolvat, eamdemque ab argumentis vindicatam exhibeat: Quod certe nemo potest studium non laudare, qui parentum non detrahat meritum, filiorumque debitum agnoscat. Non modo pīm, sed sublime etiam argumentum operis invenitur. Quid enim excelsius, aut sublimius via aquile in cœlo, quam Sapiens investigabilem proponit, aut certe inter difficultia nimis numerat? Numquid facilius fuerit Doctorum Aquilæ Augustini sublimes cogitatus, altissimas vias contemplari, insequi, explorare? Nonne arduum prorsus argumentum? Ita quidem. Verum quid non sublime, arduumve ingenium pateretur Auctoris? Neminem, si Senecæ credas, excelsi ingenij virum humilita delectant: magnarum rerum species ad se. Vocat, & extollit.

Vocat ergo, non arcet rerum magnitudo generosum animum: alliciunt potius, quam terreat arduus quæque. Sicut enim flama in rectum surgit, nec jaceret, aut deprimi sustinet; sic, prosequitur Stoicus, *animus nos ter in motu est*, eo mobilior & actuosis, quo vehementius fuerit. Quod ergo sublimiorum in scopum tendit, eo eminentius, vividius que probatur ingenium. Sed fælix, inquit, qui ad meliora bunc imperium dedit. Egregie itaque Auctor ingenij sui operam locat, in vindicando Augustino, enucleanda solida doctrina, scripturarum veritate duplicato vallo cingenda. Huc totus ingenij impetus collimat, eam certe animi præferens indolem, qua nihil virtuti arbitretur inaccessum: qualem videlicet ostendebat Magnanimus Alexander, dicens: *Nihil tam alte natura confluit, quod virtus non possit eniti.*

Hanc vero ingenij celistudinem argumenti vicissim exposcit eminentia, Angelicis duntaxat obtutibus pervia. Sublimes materiae, scribebat Cyprianus, subtilium ingeniorum exigunt tractatores. Si enim, testante Sa-
cro eloquio, Cuncte res difficultes, nec potest homo eas ex-
plicare sermone; vividissimum prorsus acumen exigit

Prov. 308

Sen. Epist.
19.

Curtius lib.
7. de rebus
Alex.

Cyprian. in
pref. ad
serm. de op.
Cardin.

pro-

Ecclesiast. cap. 1. propositi argumenti discussio. Primum eas complectitur res, quæ humanæ mentis captum penè effugient: deinde magni negotij opus est, illa etiam exprimere, quæ mente percepisse contigerit. Unde Magnus Basilius textam Genesis exponens, talium, inquit, *vel prospectus viæ ulli pervius est: atque adeo eorum prorsus, que intellectu-*ris, non nisi magna animi contentione interpretatio elici potest. Hoc magum Ecclesiæ lumen, hoc egregius profetetur Doctor, cujus facundiam merito Nazianzenus extollit. *Quis porro, ait, dictionem habuit animi sensa melius interpretantem? ita ut neutro, multorum in star, claudicaret, nempe vel mente sermonis expertise, vel sermone mentis inope,*

Basil. hom. 2. in exam.

Naziancen.
orat. in laud.
Basil.

Plato in Ti-
mزو.

Plato epist.
z. ad Dio-
pys.

Cernitur in opere isto maximum argumentum pro rei dignitate discussum, sententia Augustini dilucide proposita, auctoritatis pondere, eruditionis copia, rationum denique momentis roborata. In rebus arduis probabilia Plato sufficere putabat argumenta. *Satis quippe putare debetis, inquit, si non minus probabiles, quam quivis alius, rationes attulerim.* At quisquis opus hoc diligenter evolveret, illico sententiam Augustini, non probabilem modo, verum & probabilissimam reputabit; inventet siquidem validissima fundamenta, Sacrae paginæ testimonijs, illustrium Interpretum calculis, solidiorisque Philosophiae assertis innixa. Poterit proinde de Aug. sententia dicere, quod olim de Platonis positione illius affirmabant discipuli: *Hi tamen affirman, quæ auditu quoniam incredibilia maxime videbantur, ea sibi nunc primum valde credibilia videri, atque perspicua.*

Quia vero P. Aug. in expositione Genesis à literali sensu recessisse, & in allegoricos sensus declinasse plerisque persuasum est, qui sententiam tanti Doctoris Sacri textus auctoritate oppugnare nituntur; ex opposito contendit Auctor Aug. à literalis sensus proprietate nec latum quidem anguem discedere; imo eo arctius literalem sensum tenere, quo profundius literæ medullam capit. Quomquam autem objecta omnia contra sententiam Aug. undecumque perantur, discutiat, atque dissolvat; accuratius tamen universa Scriptura loca, quæ Aug. yi;

videntur sententiæ refragari, examinat, illaque, non pro arbitrio, sed juxta regulas interpretandi Scripturas, ex pendit, & explicat. Unde sic agit P. Aug. causam, ut legenti subinde liqueat, quam recte censuerit Casiodorus de libris Aug. in Genesim, dum scripsit: *Nam & Pater August. contra Manicheos duobus libris disputans, ita textum Genesis diligenter exposuit, ut pene nihil relinqueretur probaretur ambiguum.* Quis hæc legat, & Augustini sententiam eo carpendam nomine putet, quod à literali sensu declinet?

Eloquij denique venustas à rerum dignitate minime degenerat, stylisque vis, & elegantia opus hoc summopere commendat. Nam sublimes abditissimosque Augustiniani acuminis cogitatus tanta cum claritate propo nit, ut fere capientem faciat, quem lectorem habuerit. Eanimorum est in verbis proprietas, ea in sententijs significandi virtus, ut mentem, ingeniumque Augustini aspectabilia reddere videatur. Jure itaque optimo verba Senecæ ad Auctorem convertam: *Ingenium Patris tui in visus hominum reduxiſt: & à vera vindicta merte. Egregium hoc Augustiniani ingenij mortuorum ab Scholis exul in oblivionis jacebat confinio, & longa vetustate tabescens diem agebat extremum; imo jam egerat: quippe nullo, nisi honore atque fama ingenium vivit.*

Modo autem ingenij tui beneficio, legitur, floret, in manus hominum in pectora receptus vetustatem nullam timet. Quid enim aliud legendum exhibes prater Augustinum? hic disputat, hic resolvit, hic Sacri textus pandit oracula, hic dubiorum dissipat nebulas, proterit argumenta. Optime sane meruisti de Romanis studijs, (de Orbis universi studijs) optime de posteris, ad quos veniet incorrupta rerum fides auctori suo magno imputata: optime de ipso cuius vigeat, vigebitque memoria. Remulatus es utique paterni ingenij generosam indolem, ostendistiique exemplo, quod magnus verecundia stimulus est laus parentum: dum illis non patimur esse impares, quos gaudemus Auctores. Quin & paternæ gloriæ te superasse fastigium Endius crederet, qui dicebat: plus est occasum repellere, quam dedisse principia. Hæc tamen & hujus generis alia, vel

Casiod. lib.
de instit. di
vin. Script.
cap. 1.

Sen. de con
sol. ad Mar
tiām.

Senec. ibid

Casiod. lib.
9. variar.
epist. 22.

Enod. in
panegyric.
Theoderici,

Prov. cap.
23.
Casiod. lib.
3. var. epist.
LXXX


arrogantia jactaverit, vel induxit adulatio; tibi satis laudis fuerit paterni ingenij monumentum in literariam palæstram nova luce conspicuum immisisse.

Gaudet, igitur, Pater tuus, & Mater tua. Gaudet Aug. talem genuisse filium, cui tantam posset provinciam committere. Cara est principi gloriae & necesse est de illis amplius esse solicitum, unde sibi triumphorum venisse sentit augmentum. Quidni ergo gaudet P. Aug. in filio, qui suam in Genesim expositionem illustrandam assumit, pariter & vindicandam, cum aduersus Manichæos illam scripsit, ex ipsisque triumphum reportat? Unde contigit, ait Casiod. ut nolens prestataret heresis confutata, quatenus, dum illa fortiter vincitur, catholici diligentius instruuntur. Gaudet & mater tua Candida Præmonstratensis Religio, quod filium emisserit paternæ gloriæ zelatorem strenuum, vindicem egregium. Gaudet de tanto fœta fœunda Mater, opusque istud in pristini decoris argumentum ostendat. Opus in quo nihil à recta fide abhorret, nihil à morum honestate recedit, sed omnia tuta, solida, pulchra. Sic censeo in hoc S. P. Norb. Salmantino Collegio. Die 16. Novemb. Anno Dñi, 1735.

M. Fr. FRANCISCUS ECHEVERRIA.

SUMA DE LA LICENCIA.

Tiene licencia de los Señores del Real Consejo de Castilla el R.P.Fr.Bernardo de Aguirre, del Orden Premonstratense, para poder imprimir , y vender un Libro intitulado: *Expositio dierum creationis ad mentem M. P. Aug.* como consta de Certificacion de Don Miguél Fernandez Munilla , Secretario del Rey Nuestro Señor, y Escrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno del Consejo, Dada en Madrid en 29. de Octubre de 1735.



MENDA SIC EMENDA.

FOL. 3. ad fin. additum, lege additum, fol. 5. lin. 4. cap. lege corp. fol. 11. lin. 32. vagantes, lege vagantes, fol. 16. lin. ult. quod, lege quod, fol. 10. n. 28. lin. ult. spiritualibus, lege spiritualis. fol. 30. lin. 1. post primaria distinctionem quod, adde nullum. fol. 33. lin. 33. loco, lege lib. fol. 54. lin. 10. confirmiter, lege confirmiter. fol. 55. lin. 30. Augustinus Parent, lege juxta Augustinum P. fol. 56. lin. 24. quilibet, lege quilibet. fol. 62. lin. 36. compulsi, lege compulsi fol. 66 lin. 28. feminine, lege feminina. fol. 74. lin. 24. Horatianum, lege Horatianum. fol. 75. n. 110. in lin. 2. deruisse, lege deruisse, fol. 79. n. 116. lin. 3. Oceanum, lege Oceanum, & ibi, rodus, lege rodus, & ibi n. 117. lin. 1. ad longe, adde aliter. fol. 87. lin. ultima artificium, lege artificium. fol. 90. n. 132. in medio, subquadratus, lege subquadratus. fol. 104. lin. 12. 35. patribus, lege 35. Parente, fol. 110. lin. 35. priusquam, lege priusquam. fol. 119. lin. 31. Parent, lege Parentis. fol. 122. lin. 3. sciam, lege faciem, fol. 123. n. 188. lin. 9. opera, lege opere. & ibi lin. 22. designu, lege designu. fol. 120. lin. 26. vocant, lege vocant. fol. 133. lin. 10. quitoribus, lege autorit. & ibi lin. 32. affectione, lege afflictione. fol. 15. lin. 15. attemperare, lege attemperaret. fol. 145. lin. 7. ipdorus, lege ipdoro. fol. 147. lin. 13. caii, lege ceti. fol. 151. n. 230. lin. 3. iijesibus, lege iijesibus. fol. 158. lin. 2. incipere, lege inciperet. fol. 184. lin. 18. Unicervum, lege Verbum. fol. 191. n. 316. lin. 9. scrutatur, lege scrutator. fol. 200. lin. 34. genere, lege generis. fol. 203. lin. 6. post ly quinque, adde, & quinti, scilicet duo. Ibidem lin. 7. dele vel quinta, & lin. 19. numerere, lege numeri. fol. 206. lin. 17. diei, lege Dei. fol. 215. lin. 12. causa, lege cura. fol. 217. lin. 22. aggerant, lege aggernerant. fol. 274. lin. 31. Augustinus, lege Augustinum. fol. 273. lin. 2. post sanctis, adde Angelis. fol. 292. lin. 10. genitali, lege genitalis. fol. 309. lin. 17. semper, lege semen. fol. 315. lin. 13. quaz, lege quia. fol. 317. lin. 32. negantes, lege dicentes. fol. 318. lin. 19. suspirari, lege suspicari. fol. 329. lin. 14. interpretationem, lege interpre-

ationum. fol. 336. lin. 13. efficientis, lege efficientis. fol. 337. lin. pe-
nult. quod & , lege quid est. fol. 337. n. 44. lin. 3. commemorantur, lege
commemoratur. fol. 338. lin. 3. à rebus, lege rebus. fol. 339. n. 47. lin. 5.
Domine, lege Domini. fol. 338. n. 6. lin. 7. de, lege de. fol. 339. lin. 7.
remota, lege remota. fol. 334. n. 86. lin. 16. sensus abhorret, lege non
abhorret. fol. 335. lin. 7. germinavit, lege germinabit. fol. 336. lin.
25. non facit, lege facit. fol. 429. lin. 32. Pactum, lege fallum.

Lib. r h̄c de Diebus Creationis Mundi, juxta mentem D. Augustini,
nunc primum in lucem editus ab a modum R. P. Fr. Bernardo de
Aguirre, Ordinis Praemonstratensis, Lectore Jubilato, his mendis ex-
ceptis correspōdet originali. Matriti pridie idus Octobris anni Do-
mini MDCC.XXXV.

Lic. D. Emmanuel Garcia Aleson,
C.M. Generalis Corrector.

T A S S A.

DON Miguel Fernandez Munilla, Secretario del Rey
nuestro Señor, su Escrivano de Camara mas antiguo,
y de Govierno del Consejo.

Certifico, que aviendo visto por los Señores de
él, un Libro intitulado: *de Diebus Creationis Mundi, jux-*
ta mentem Divi Augustini, su Author el Maestro Fr. Ber-
nardo de Aguirre, del Orden Premonstratense, y Secre-
tario General de su Religion, que con licencia de dichos
Señores, concedió al susodicho, ha fido impresso, tassaron
a seis maravedis cada pliego; y dicho Libro parece tiene
cincuenta y cuatro, sin principios, ni tablas, que à este
respecto importa trecientos y veinte y cuatro maravedis;
y al dicho precio, y no mas, mandaron se venda; y que
esta Certificacion se ponga al principio de cada Libro,
para que se sepa el à que se ha de vender; y para que conste
lo firmé en Madrid à cinco de Noviembre de mil seten-
cientos y treinta y cinco.

Don Miguel Fernandez Munilla.


PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.



ENEVOLUM Lectorem alloquuturus , nihil
aptius , quam verbis N. Philippi Abb. in
Lib. de obedient. Cleric. fol. 485. ipsi ma-
nifestabo impulsus , & motus valde sibi ad-
versantes , quos in negotio hujus opaculi
præsenfi : *Ad quartum (inquit ille ibi) iti-
neris propositi gradum deveniens , O ad-
censum ejus obscurum pariter , & præruptum nimis invenerit ,*
aliquanto , fator , tempore filii , & impar viribus , in silentio ,
*O in spe sustinat , qui animam meam novo gratie levaret ad-
jumento , que infirmitatis sue pondere adhæsit pavimento .*
(Quid rogo , obscurius , periculosisque anfractibus plenus ,
quam caput i. Genesos , cuius expositionem secundum Aug.
P. enucleandam assumo? Jure ergo aliquanti filii , gratia
sperans adjumentum , quæ animam meam , præ infirmitate ,
pavimento inharentem , erigeret , ut altissimum historiæ
Moysis sensum , secundum subtilem Aug. P. interpretatio-
nem , quodammodo pertingeret) *Pulsant me hinc inde diver-
sa consilia diversorum , & utinam non sibi invicem adverso-
rum , ut cum uni cedo , alterum non offendam , & pace alterius ,*
alteri satisfacere me offendam . (Nec defuerunt consilia , quæ
me ad aggrediendum difficultatem arduam pulsarent , quo-
rum unum , quia Prælati , quia Magistri , vim proinde habe-
ret præcepti) *Timor , & spes mibi , quasi medio , a lateribus*
confungitur , qui diversa satis ad invicem obloquuntur , dum
*ille ingerit , ne , quod ferre non valco , assumam , & ista fugi-
gerit , ut confisas in Domino , humiliter hoc presumam . Ille ,*
Forficta te , inquit , ne scrutatus fueris : Ista: Beati , ait , qui
scrutantur testimonia ejus . Ille: Antequam loqueris , disce:
*Ista: Aperi os tuum , & implebo illud . Ille: Tempus , ait , ta-
cendit Ista: Tempus , ait , loquendi . Si plerumque agilitate sua*
*timoris molestias spes evadit , plerumque autem , magno victa
timore , cadit . Sed quoniam spes , ut Scriptura dicit , non con-
fundit , cum in nostris cordibus charitas se diffundit , tandem*
*aggrediar , non terrena cuiusquam utilitatis , sed intitu fra-
terne charitatis ; (& præcipue Paternæ pietatis , & honoris)*
Aggrediar , inquam , præcedente gratia , sic timere , ut ad in-
qui-

quisita ultra non differam respondere (hoc est, objectiones contra Augustinianam positionem diluere) Per augustinum, O lubricum iter pede gemino sic incodam, ut altero innixus spei, altero à timoris modestia non recedam; ut si forte spes tenta. Verit ulterius debito prossilire, t inq̄r eam compellat paulò citius resiliere; O si timor mergi experit in abyssum, O focam desp̄verandi, spes revocans, O confortans, infundat ei fiduciam transfretandi. Et hoc mihi sua Deus gratia dignabitur impen- tire, cum in hoc opusculo tam suet, quam suorum voluntati de- siderem obedire. Hęc, inquam, eleganter à N. Philippo dic- ta sunt, qaz animo volyebam, cum Augustinianam de die- bus Angelicis subtilem, solidamque doctrinam, à plerisque desp̄ctam, ab alijs nimia censura taxatam, debito honori, filiali obligatione, restitutam, in lucem prodere conabar; quod tandem, urgentibus præallegatis motivis, præfici; gra- tum fore sperans veris Augustinianæ doctrinæ solidissimæ amatoribus hoc meum, in gratiam Augustini, aliquale stu- dium. Aliorum tamen conradicentium murmur præsen- tio, sine quibus nulla clucubratio. Verum his cum N. Flo- gencio Cocq in præfatione suę Theologię, respondeo, quod legant hoc opusculum, qui volunt: qui nolunt, adjicant: Even- tient apices, literas calumniarentur: Magis sinceri Lectoris ju- dicio (quod, ut mihi renuntient in charitate, fideles Amicos præmonui, & rogavi) provocabor ad studium, quam illorum pætraffione, O otio deterrebor. Nec enim affecto laudes ho- minum, nec vituperationes expavesco, sed veritatem queri- mus, O prout fragilitati humane conceditur, in veritate am- bulare nitimur. Hinc reprobenses non quodio, sed sequor Ma- gistros: (intellige Augustinum) Carpere enim, O detrahere, vel imperiti possunt, docere non item. Quare tu, bnevole Lector, labore nostro utere, & si quid proficuum inveneris, illud honorum omnium largitori, & veritatis studio mecum adscrive, & vale.



PROE M I U M,

ET DIVISIO OPERIS.



IDI AFFLICIONEM, QUAM DEDIT Deus filiis hominum, ut distendatur in ea: cuncta fecit Deus bona in tempore suo, & mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem, dicitur Ecclesiastes 3. Hanc afflictionem experti sunt Sancti Patres, & S. Expositores,

qui primam mundi institutionem à Moysè initio Gen. insinuatam, explicare aggressi sunt. Hinc M. P. Aug. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 12: *Quemadmodum, inquit, ipse, qui mundum fecit, ita & modus, quo fecit, occultus est, & incomprehensibilis.* Et Orig. hom. 4. super 6. cap. Isaix, fatetur, se scire, quod in principio creavit Deus Cœlum, & terram, & cætera, quæ narrantur Gen. 1.: *Quomodo vero ista, inquit, facta sint, nescio; velantur enim à Seraphin priora operum Dei.* Et teste Doct. Max. in prologo in Ezech. apud Hebræos nemini permettebatur ante trigesimum annum legere primum caput Genes. utique quia sensus ejus profundissimus est, & ab humano captu remotissimus: cuius non leve inditium est, quod Sancti Patres (alioqui Aquilæ perspicacissimæ, & Spiritu Sancto illustrati) plerumque in intelligentia plurium locorum hujus 1. cap. caligant. Sic M. P. Aug. lib. 11. de Civit. Dei, cap. 7. inquit de luce primi diei: *Qualis illa sit lux, & quo alternante*

2 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

motu, qualemque vesperam, & mane fecerit, remotum est a sensibus nostris, nec ita, ut est, a nobis intelligi potest, quod tamen sine ulla hesitatione credendum est. Et S. Chrysostom. hom. 4. in Gen. Sed quid tandem, inquit, esse dicemus hoc firmamentum? Aquam ne densatam, vel aerem quendam convolutum, vel contractum, vel aliam aliquam essentiam? Haud quis prudenter hoc temere asseveraverit. Oportet enim magna modestia, & gratitudine ea, quae dicuntur, a nobis accipi, & non ultra naturam nostram progredi, & scrutari, quae supra nos sunt: sed hoc solum scire, & tenere apud nos, quod precepto Domini factum est firmamentum. Intelligentia ergo, & scrutatio naturæ firmamenti, quod est opus 2. diei, est aliquid excedens acumen subtilissimum Chrysostomi. Hæc ad disputationem prælibare utile duxi, quoniam legi quosdam hujus materiae tractatores, contendentes, quod litera Moyse, quippe historica, debet adstrui, cuique, etiam rudi, pervia, & utens verbis in communi hominum usu & acceptione ad explicandum rem accommodatis: hoc autem quo pacto concendum erit, cum Augustinum lateat, quid nomine lucis 1. diei intelligendum venit? Aut cur asseremus, nomen firmamenti in 2. die, adeo vulgari usu apud homines usurpari, quod cuique in promptu sit, rem voce significatam, illicè designare, quod Chrysostomi desuper illustrata vivacitas non audet determinare? Aut (ut pro nunc alia omittam) quomodo vera erit sententia Ecclesiast. 3. consultò in opusculi frontispicio posita, quod, nimirum, universi hujus prima opera disputationi hominum sunt tradita? S. e. hac omnia minus rete coherent cum recensita maxima; quoniam cum litera utitur verbis in vulgi usu acceptis, nulla præfusus est contentio, nullaque disputatio, præcipue apud Sapientes, quid sibi vellet in illis historia, aut quænam sit natura, vel rei essentia illis nominibus significata. Altiori ergo stylo, proprio quidem, sed non ad humorum imbecillem captum adeo accommodato, & obvio, usus est Moyse in historia creationis mundi. Hinc sit, quod diversimode illam SS. PP. intellexerint: Sciebant enim (inquit N. Philippus Abbas epist. ad Vvedericum, ubi hanc rem veit) quod divina Scriptura plerisque in locis parit varios intellectus, quorum nullus dignus est reprobari, quavis altero possit amplius approbari: sic quippe di-

vini tractatores eloquij sensum suum nituntur approbare, ut tamen non presumant alterius improbare: nisi forte illum à fiducia sana cognoverint deviare, vel ei circumstantiam lectionis manifestius obviare. Et ideo plerique sic alterum eorum diligunt, & commendant, ut tanen eos, qui aliter senserint, errare non contendant. Hunc morem secutus est M. P. Aug. in materia, quam tractandam proposui; ait enim 4. de Gen. ad lit. cap. 28: *Quisquis ergo non eam, quam pro nostro modulo vel indagare, vel putare potuimus, sed aliam requirit in illorum dierum enumeratione sententiam, que non in prophetia figura- te, sed in hac creaturarum conditione proprio, meliusque possit intelligi, querat, & divinitus adjutus inveniat. Fieri enim pos- test, ut etiam ego aliam his divinae Scripturae verbis congruen- tiorem fortassis inveniam: neque enim ita hanc confirmo, ut aliam, que preponenda sit, inveniri non posse contendam: sicut confirmo, requiem Dei Scripturam S., non quasi post la- situdi- nem, vel curae molestiam nobis insinuare voluisse. Ut enim ipse alibi ait: In rebus difficillimis Scripturae S. magis debemus præstare diligentiam inquirendi, quam temeritatem affirman- di. Ex his ergo quæstionibus, quæ circa opus 6. dierum occur- runt, difficillima sane est, quam ad mentem M. P. enuclean- dam proponimus; num, videlicet, dies creationis mundi sint spirituales, & Angelici, an potius naturales, qui cursu solis spatio 24. horarum peraguntur? In qua sic procedere curabo, ut licet dubium ad mentem N. Aug. resolvam, nullum tame- nis aliorum Patrum sententia præjudicium inferre presumam, nec eorum placita ab Scripturae S. vero sensu aliena reputem, vel literæ minus consentanea; quippe, ut infra latius expen- dam, fieri potest, ut omnium sensus verus sit, literæque cir- cumentia conformis: quoniam hic modus impræfentiarum nobis præscribitur à SS. N. Legislatore Aug., ut ex ipso dictum est. Quia tamen plena expeditio quæstionis propositæ plurium difficultatum examen requirit, ut commodius, & clari- rius mentem Aug. aperiam, hoc opusculum in varios articulos secabo, in quibus diversas objectiones ex multiplici capite scaturientes enodare curabo. Primo itaque additum principali intento præparabo disquirendo: quo sensu intelli- genda, vel accipienda sit narratio Moysis Gen. 1., præcipue à Theologis? 2. examinabo, num lux propriè in spiritualibus*

4. DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

dicatur? 3. utrum opificium mundi, ut ex omnibus sui partibus constat, sit à Deo in principio simul conditum, & ordine, quo nunc extat, dispositum? 4. num dies creationis mundi à Moyse descripti, fuerint naturales, & successivi? 5. principale assertum de diebus Angelicis, & spiritualibus statuam. Et demum literam Gen. 1. cap. ad mentem Aug. exponam. Hæc omnia, fateor, majori ingenio, & studio, quam quod tenuitas mea præstare quibit, ad plenam, dignamque sui expeditionem exigebant. Enimvero, opitulante gratia Dei, & patrocinio M. P. suffragante, in gratiam ejusdem, qualem quam laborem meum curamque impendam: donet Dominus, ut fœlici progressu, quod promitto, assequar, in cuius nomine fit.

A R T. I.

QUO SENSU LITERA MOYSIS GENES. 1. CAP.
Sit intelligenda, maxime à Theologis?

CONSULTO in titulo ultimam particulam addidi: aliter enim Theologi pro suis positionibus Scripturam S. usurpant, aliter alii: Theologi namque præcipuè Scholasitici firmant suas conclusiones ex locis Scripturæ S. literaliter acceptis; quoniam ipsis incumbit catholicas veritates contra Judaicam perfidiam, & hæreticam pravitatem tueri, eorumque versutias ex principijs revelatis in Scriptura S. profigare, penitusque falsitatis arguere; hoc autem juxta M. P. Aug. contra Vincenzium Donatistam, & alibi, non nisi ex sensu literali, ex quo firmum sumitur argumentum, elicetur. At aliarum scientiarum, & artium professores ad alios Scripturæ sensus plerumque divertunt, Concionatores, v. g., seu S. Oratores, prout materia illis proponitur, diversos sensus in litera excogitant; moralem, nimirum, si ad mores corrigendos orationem convertant: allegoricum vero, vel anagogicum, si mysteriorum vel Sanctorum Encomialem agunt, vel mortuos parentant; quamvis in his omnibus etiam literalis sensus sit laudabilior, si modo secundum illum suo muneri recte, & congruè satisfaciant.

2. Ut ergo propositam quasi. resolvam, breviter
sen.

Sensuum Scripturæ notitiam præmittam ex Ang. P. 1. p. q. r.
art. 10. ubi quatuor enumerat S. D., literalem, videlicet,
vel historicum, allegoricum, moralē, & anagogicum. Litera-
lē, inquit S. D. in fine cap., est, quem Auctor intendit.
Allegorius sensus sumitur, secundum quod ea, quæ sunt ve-
teris legis, significant ea, quæ sunt novæ legis. Moralē at-
tendit, secundum quod ea, quæ in Christo sunt facta, vel in his
quæ Christum significant, sunt signa eorum, quæ nos agere
debemus. Anagogicus denique consideratur, secundum quod
significant ea, quæ sunt in æterna gloria. In his tribus, que
sensum spiritualem Scripturæ S. dividunt, non oportet im-
morari; quippe nostra non interest in aliquo eorum Moysis
caput primum tractare.

3. Literalem autem congruens erit, pro dicendo-
rum luce, amplius expendere. Pro quo sciendum 1. , quod ad
rigorem, majoremque proprietatem hujus sensus pertinet,
quod id, quod Auctor Scripturæ S. , nempe Deus , in litera
intendit, per voces Scripturæ significetur, ut ait Ang. Præc.
in principio corp. art. hæc antem vocum significatio propria
debet esse, & non metaphorica, ut sensus pariter sit propriè
literalis, si autem duntaxat reductivè erit literalis. At pro-
pria voci significatio non semper debet censi illa, quæ ma-
gis in usu est apud Grammaticos, v. g. vel apud vulgus. Con-
tingit namque, inquit Ang. Præc. ibi in corp., ex Aug. P. 12.
confess., *Quid etiam secundum literalem sensum in una litera
Scriptura plures sint sensus.* Unde necesse est, quod tunc una
illa litera, & vox non restringatur ad unicam, & communem
vulgī significationem, & usurpationem; plures namque illas
expositiones oportet fieri secundum plures nominis accep-
tiones: alioquin non plures essent sensus, sed duntaxat unicus.
Et licet quandoque voces etiam apud vulgus, & Gram-
maticos plures habeant significationes, secundum quas pos-
sunt literæ aptari plures expositiones literales; enimverò
multoties vocis propria significatio, secundum quam fit
Grammaticalis constructio, omnino impertinens erit ad in-
telligendum Scripturam literaliter. Exempli gratia, illud
Psalm. 109.: *Dixit Dominus Domino meo*, apud vulgus, &
Grammaticos locutionem quandam inter duos significat, uti-
gue captui ipsorum proportionatam, videlicet, vocalem; ac
apud

6 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

apud Doctores S. ad literam exprimit aeternam verbi generationem, qua Pater Aeternus interna mentis locutione dicit, & generat Verbum. Unde propria vocis usurpatio, secundum quam tribuitur literalis sensus, debet esse illa, quam habet ex usu Sapientum cum proprietate, ad quam ipsi voces extendunt, vel ex ipsorum placito cum fundamento in re, vel ex literae exigentia, ut infra latius patebit.

4 Differentia autem hæc inde ortum ducit, quod Grammaticus, & rudis attendit, & considerat duntaxat literam secundum corticem ejus, in quo sensu plerumque litera noxia est, & occidit: at Sapientes, præcipue Thologoi Scholastici, & Expositivi cautores procedunt ad determinandum Scripturæ S. sensum; nimirum, profunda investigatione scrutando, an litera superficialiter accepta intentioni Auctoris conveniat? Num cohæreat, & sibi constet Scriptura cum alijs ejusdem locis collata? Et demum examinando utrum principijs fidei, alibi manifestè traditis prædictus sensus, vel expressè, vel illativè obstat? Quod si diligentè examine præmisso, aliquid horum viderint alicui intelligētiæ obviare, ipsis incumbit, omnibus bene pensatis, sensum cohærentem Scripturæ assignare, omniaque vero sensui obviantia enervare. Hinc pulchritudo Doct. Max. in comment. sup. i. cap. Epist. ad Galat.: *Nec putemus, inquit, in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu: non in superficie sed in medulla: non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Non ergo in verbis Scriptura utcumque sumptis, nec in superficie textus, nec denique in sermonum folijs querendus est verus Scripturæ sensus, sed in radice rationis: hoc est, in intentione Auctoris, introspectis omnibus literæ circumstantijs, adhibitoque diligentè scrutinio omnium, quæ nuper recensuimus.

5 Unde Christus Dominus Iudeos ad profundam scrutationem Scripturarum amandabat, ut de se dicta in eis manifestè intelligerent, hæc dicens Joan. 5.: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam eternam babere, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* Quæ verba reflectens Burgensis in proemio sui scrutinij, hæc, vel similia habet: quod videlicet per scrutinium Scripturarum contra Iudeos non est querendus sensus mysticus, sed literalis, à quo solo, secundum Aug. contra Vincentium Donatistam, efficax sumi-

mitur argumentum; & ideo postquam Joan. 5. dicitur: *Scrutamini Scripturas, &c.* subditur: *Illa sunt, quae testimonium perhibent de me.* Testimonium autem probationem dicit manifestam, quæ ex solo sensu literali habetur.

6. Statim objicit contra hoc dicens: quod sensus literalis, qui ex primariè significatis per vocem accipitur, non indiger scrutinio, cum talis sensus se offerat intellectui; & ideo de tali sensu impropiè diceretur: *Scrutamini Scripturas;* sufficeret enim dicere: legite, seu intelligite Scripturas. Respondet: dicendum, quod licet sensus literalis S. Scripturæ ex significatis primariè per vocem accipiatur; non tamen ex hoc sequitur, quod scrutinio non indigeat ad verum literè sensum requirendum. Sunt enim in Scriptura multæ dictiones equivocæ, significantes diversa, quæ ad hoc, ut scias- tur, sub quo sensu accipi debent, requiritur rationis scrutinium. Similiter sunt in Scriptura aliqua parabolæ tradita, in quibus aliquid propriè, aliquid significativè traditur. Unde ad sciendum, quomodo debeant accipi, requiritur scrutinium. Similiter cum veritas alicujus Scripturæ literaliter intellecta veritati alterius repugnare videtur; quod sape contingit in Sacris Scripturis ad literam intellectis, cōportet recurrere ad rationis indaginem, ut repugnantia inter S. au- toritates tollatur, quæ & similia occurrunt contra Judaicam cœcitatem disputando, ut infrà patebit. Quorum respectu, & similium ratione Christus dicit: *Scrutamini Scripturas.* Unde Chrysost. sup. hoc verbum ita dicit: *Non autem ad lectionem simplicem Scripturarum, sed ad scrutationem exquisitam eos mittebat; quia ea, quæ de eo dicebantur in scripturis, desuper obumbrabantur, nec in superficie exprimebantur, sed velut qui- dam thesaurus recondebantur.* Qua quidem obumbrationes per equivocationes, & apparentes contradictiones, & hujusmodi in mysterijs Christi, præserim in antiquo testamento tradi- tis, sæpè occurrunt. Proptereaque propriè Christus eis præ- cipiebat: *Scrutamini Scripturas.*

7. Hæc Burgensis, quibus satis elucidantur à nobis superiùs dicta, & robur accipient inferius dicenda; quoniam in materia, quam disputandam proponimus, similes equivo- cationes, & apparentes contradictiones occurrunt.

8. Cum ergo has ita manifesta sint ex doctrina P.P.
alle-

8 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

allegatorum, & Burgenis, rectaque rationi consona, miror, Benedictum Pererium, virum eruditum, in Gen. fol. mihi 5. n. 16. sequentia proferte, pro regulaque in expositione Genesis litera prafigere: *Ex his*, inquit, *perspicue intelligitur*, si narratio Moysis historica est, consequens esse, ut is proprius, & germanus, atque, ut vocant, *literalis sensus* sit *verborum Moysis*, quem reddunt verba ejus, secundum propriam, & vulgo usitatam eorum significationem accepta. Quoniam vel per significationem verborum vulgo usitatam intellexit præludatus Pater usum verborum communem apud Sapientes; & sic idem nos dicimus, & in nullo dissentimus; vel vult, quod expositio literalis debet fieri penes vocum significationem, quæ est in usu rudium, & imperitorum, qui intentionem Auctoris penetrare nesciunt; & in hoc sensu plane contradicit Max. Doct., qui non in verbis Scripturarum, sed in sensu, non in sermonum folijs, & superficie textus, sed in medulla, & radice rationis præcipit sensum Scripturæ, & veritatem ejus querere; rudes autem, & illiterati solummodo valent aciem in cortice, & superficie literæ. minimè autem in profundo medullæ figere, minusque possunt radicem rationis artificiose, supra præscripto, modo, cutando investigare: non ergo intelligentia literalis textus usurpanda est ex significatione verborum in usu communi vulgi.

9 Præterea, si verba in vulgi usu sunt accipienda ad literalem sensum, undenam oritur inter PP., & S. Expositores tanta varietas ad determinandum literalem sensum i. Geneseos cap.? Quoniam cum vulgaris significatio vocum omnibus sit apertissima, secundum eam, necedum PP. desuper illustratis, verum cuilibet, etiam rudi, facilis, & pervia erit historię Geneseos literalis intelligentia. Quorsum ergo prohibitio Hebreis, apud Hieron., facta, donec provectam 30. annorum etatem pertingerent, ne cap. i. Gen. legerent? Aut quomodo verificabitur afflictio hominum, quin & Heroum, scilicet, PP., in disputando fabricam mundi, quam statuit Ecclesiastes, & in se experitur quicumque saxum hoc volvere tentat?

10 Sed restat, ut examinemus principium, ex quo latus Auctor deduxit illam sequelam. Premisserat Pererius cum anteced. i. regul. ad dignoscendum, quænam sit Exposi-

tho doctrinæ Moysis de mundi generatione vera, vel falsa, magis, minusvè probabilis, quam sic statuit: *Doctrina Moysis, quæ de creatione mundi traditur, est planè historica.* Fundat suam regulam auctoritate M. P. Aug. initio lib. 8. de Gen. ad lit. pér hēc verba: *Narratio Moysis in lib. Geneseos non est genus locutionis figuratarum rerum, sicut in Canticis. Cantorum, sed est expositio rerum omnino gestarum, sicut in regnorum libris, & ceteris ejusmodi.* Sed quia in his ea dicuntur, quæ vita humana usus notissimus habet: non difficile, immo promptissimè primitus accipiuntur ad literam: *in libro autem Geneseos, quod ea dicuntur, quæ usitatum naturæ cursum intuentibus non occurrunt, propterea nollunt ea quidam propriè, sed figuratè dicta intelligi;* atque ex illo loco incipere pónunt *historicam narrationem hujus libri, ex quo dimisi de Paradiso Adam, & Eva convenerunt, atque genererunt; quasi vero usitatum nobis sit, vel quod tot annos illi vixerunt, vel quod Enoch translatus est, vel quod grandeva, & sterilis Sara filium peperit, & cetera hujusmodi.* Hæc ex Aug. Peterius. Veram in illis nullam invenio causam conclusionis à Peretio illate, nisi forte ut talis assumatur illa clausula: *Sed est expositio rerum omnino gestarum, sicut in regnorum libris:* at hēc verba unice concludunt quod Moysis narratio *historica* est, & *literalissimè* vero præscribunt, quomodo voces sint accipiente, ut secundūm eas *historia literaliter exponatur; expositio* namque rerum gestarum, præsertim quæ fit instinctu, & impulsu Spiritus S., uti est præsens à Moysi tradita, fieri tenendum est, secundūm placitum dictantis, qui ad nostram exercitatem disponere consuevit, ut ejus intentio in verbis latens, profundissima sit: *quod provisum est,* inquit M. P. Aug. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 7., ad edemandam labore superbiā, & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata, plerūmque viluerunt.

In ceteris verbis M. P. unicè designatur causa, cur aliqui non propriè, sed figuratè volunt accipere initium Gen., & horum impugnatio ad hominem; quia nimirum si primum cap. Gen. non debet propriè exponi, quoniam ibi ea dicuntur, quæ usitatum naturæ cursum intuentibus non occurunt, similia occurrunt in ea parte Gen., quam propriè contendunt accipere: videlicet, quod tot annos vixerunt

Adam, & Eva, quod nunc non intueniuntur homines vivere &c.

12 Nec alia Aug. P. verba, ab ipso n. 16. jam cit. adducta, ipsi favent; quoniam Aug. verba lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 2. hec sunt: *Scripsi ego contra Manichaeos duos libros super Genesim recenti tempore conversionis mea: Et quia non occurrebat mihi tunc omnia quemadmodum propriè possent accipi, quid figuratè significarent ea, que ad literam non potui invenire, quam a valui brevitatem, Et perspicuitate explicavi, memor tamen quid maximè voluerim, nec potuerim, ut non figuratè, sed propriè primitus cuncta intellegerentur: nec omnino desperans etiam sic posse intelligi, id ipsum in 1.p. 2.libri, hoc est in cap. 2., ita posui: quisquis voluerit omnia, quæ dicta sunt à Moyse, secundum literam accipere, nec aliter intelligere, quam litera sonat; idque citra omnem fideli injuriam faciat, non solum ei non est invidendum, sed præcipius, multumque laudabilis intellector habendus est. Hæc tunc dixi. Nunc autem, quia voluit Dominus, ut ea diligentius intuens, atque considerans, non frustra, quantum opinor, existimarem etiam per me posse secundum propriam, non autem secundum allegoricam locutionem hæc dicta esse à Moyse demonstrari; sicut ea que superius voluimus offendere; sic etiam que sequuntur de Paradiſo perscrutemur.*

13 Sed neque in his verbis aliud ostendit Augustinus P., quam quod literaliter proponit perscrutandum Paradiſum, & quæ de illo in Scriptura S. dicuntur, cum recenti tempore conversionis suæ, adhuc modicum lumen habens, hoc non potuerit assequi. Unicè potest aliqua vis detegi ad intentum in illis verbis: *Nec aliter intelligere, quam litera sonat. Sed tamen hoc non amplius denotat ad intentum Aug. P., quam quod proprietate significationis accipienda sunt verba, & non figuratè, ut colligitur ex his, quæ in fine auctoritatis habet S. Doctor.*

14 Et sane, si in his libris de Genesi ad lit. Augustinus P. contendit textum ad literam exponere, ut verbis allegatis fatetur SS. D., & operis inscriptio præfert, cur non habebitur, & literalis reputabitur intelligentia ejus de diebus spiritualibus, & Angelicis in mundi creatione? Quippè sicut hic proponit Paradiſum literaliter perscrutandum, sic 4. de Gen. ad literam pariter intelligentiam lucis 1. diei, & reliquo-

quorum accipit proprie, & non figuratè, diesque creationis mundi in ordine ad cognitionem matutinam, & vespertinam Angelorum constituit. Cur ergo magis credendum Augustino ibi, scilicet, lib. 8. quam hic lib. 4. ubique enim, præcipue in his libris, quos jam in senectate scripsisse creditur, eadem est Augustini auctoritas. Vel ergo hic debet fidem facere ejus doctrina, vel nullibi. In meritò ergo Augustinus communiter respuitur, cum docet, dies creationis mundi spirituales fuisse, præcipue ab his, qui ejus doctrinis in his lib. de Gen. ad lit. utuntur. Demùm dicta auctoritas tunc contra nos urgebet, cum circa propositum de diebus creationis mundi aliquid designaretur docuisse Augustinus, in lib. de Gen. contra Manicheos, quod nunc retractasset, secùs si hic ad literam Genesim exponens id ipsum iteratò confirmet, ut contingit in difficultate proposita.

15 Quod autem Pererius addit n. 17. & 18. ibi ex Basilio, & Beda, solum probat, non esse recurrendum ad allegorias, relinquendo sensum literalem, sed ita sensibus allegorici studium debere impendi, quatenus aperta historiæ fides allegorizando non relinquatur: de quo vitio communiter reprehendunt SS. PP. Originem. Unde Basilius hom. 3. super Gen. citans opinionem Orig. suppresso ejus nomine, quod intellexerit per aquas supercœlestes Angelos bonos, per sublunares verò malos spiritus, subdit: *Et quidem isti, pretextu anagogici sensus, & sublimioris intelligentie, ad allegorias transferunt omnia: nos verò bisce interpretationibus, ut quæ somnijs, & anillis fabulis similes sunt, relegatis, nomine aquæ intelligimus veram aquam, & ceteras res similiter.* Doct. Max. lib. 5. comment. in Isaiam cap. 13. similiter eundem reprehendit, dicens: *Spiritualis interpretatio sequi debet ordinem historiæ, quod plerique ignorantis, lymphatico in Scripturis vaganter errore.* Idem monet M. P. Aug. lib. 83. qq. q. 65. dicens: *Res factæ, cum allegorizantur, rei gestæ fidem non amittunt, sicut duorum filiorum Abrahæ allegoriam Paulus exponit, duo esse testamenta; nunquid ideo aut Abrahæ non fuit, aut illos non habuit?* Similia apud alios PP. passim offendit.

16 Quod autem ibi n. 18. Pererius contendit; *Quod, scilicet, videtur, inquit, etiam Aug. ensura hec sane verissima, quodammodo attingere; siquidem is verba Moysis, que pro-*

priè significant res corporeas, ut cælum, lux, tenebre, dies, nox, manè, & vespéra, à propria earum significatione, ad expositionem, & intelligentiam rerum spiritualium, quasi figuratè accipi debeant, sèpè traducit, impræsentiarùm investigandum non est; de hoc quippè infrà latior redibit sermo. Interim hoc unum præmitto, quòd hac censura plures Aug. P. inurunt; at verbo tenus asserunt, lucem, tenebras, diem, noctem, vespere, & manè non dici propriè in spiritualibus; Aug. autem oppositum, & dicit, & gravissimis Script. S. testimonij ostendit; & similiter Ang. Præc., quorum testimonia inferius proferam.

17 Ad propositum ergo redux, ulterius noto ex Ang. Præc. art. cit. ad 3. quòd sensus Parabolicus sub literali continetur. Et rationem reddit S. Doct., *Nam per voces significatur aliquid propriè, & aliquid figurativè: nec est literalis sensus ipsa figura, sed id, quod est figuratum. Non enim cum Scriptura nominat Dei brachium, est literalis sensus, quòd in Deo sit hujusmodi membrum corporale; sed id, quod per hoc membrum significatur, scilicet, virtus operativa; in quo patet, quod sensui literali Scripture numquā potest subesse falsum.* In exponendis parabolis hic modus procedendi præscribitur a S. Chrysostomo, hom. 65. in Math.: *In parabolis, inquit, non oportet nimia in singulis cura angi, sed cum quod per parabolam intendit didicerimus, inde utilitate collecta, nihil ulterius anxio est conatu investigandum.* Unde solum oportet attendere, ad quem scopum illæ dirigantur, & in illo immorari convenit, & reliqua, quæ assumpta sunt ad eam texendam, relinquere. Nam si universa, quæ de Job dicuntur, Christo tribuamus, plurima absurdâ fateri cogemur. Ut autem mentem, & scopum parabolarum valeas attingere, memento verborum Hieron. Math. 22. Omnes, inquit, parabolas brevi sermone Dominus comprehendit; quod in opere vineæ, & ædificatio- ne domus, & in convivio nuptiali fit palam, quia in illis non initia, sed finis queritur. Parabola quidem nuptialis hac clausula finitur. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Vineæ vero hac: *Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricollis.* At quantum ad nostrum institutum Moyses non scripsit hoc genere locutionis; quippè historialis communiter censetur ejus narratio.

Quod

18 Quod autem suprà diximus ex Ang. Præc. & M.

P. Aug. non esse inconveniens in una S. Scripturæ litera plures sensus adhuc literales contineri, quia, videlicet, sensus literalis est, quem Auctor intendit; Auctor autem Scripturarum Deus est, qui omnia simul suo intellectu comprehendit, uberioris docet q. 4. de pot. art. 1. in corp. dicens: Cavendum est, ne aliquis ita Scripturam ad unum sensum cogere velit, quod alios sensus, qui in se veritatem continent, & possunt, salva circumstantia literæ, Scripturæ aptari, penitus excludantur: hoc enim ad dignitatem Scripturæ pertinet, ut sub una litera plures sensus contineat, ut sic & diversis intellectibus hominum conveniat, & unusquisque miretur, se in divina Scriptura posse invenire veritatem, quam mente conceperit, & per hoc etiam contra infideles facilius defendatur, dum si aliquid, quod quisque ex S. Scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum possit haberi recursus: unde non est incredibile Moysi, & alijs S. Script. Auctoriis hoc divinitus esse concessum, ut diversa vera, quæ homines possent intelligere, ipsi cognoscerent, & ea sub una serie literæ designarent, ut sic quilibet illorum sit sensus Auctoris. Unde si etiam aliqua vera ab Expositoribus S. Scripturæ literæ aptentur, quæ Auctor non intelligit, non est dubium, quin Spiritus S. intellexerit, qui est principalis Auctor. Unde omnis veritas, quæ salva literæ circumstantia potest divine Scripturæ aptari, est sensus ejus. Hæc præclaraissima ad nostrum intentum Ang. Præc.

19 Quapropter D. Thomas vera SS. PP. mens, plus que ipsorum cultor, quod bene noverat, literæ circumstantiam, & P. Aug. & aliorum PP. expositionem admittere Genes. 1., utramque diligenter curavit Scripturæ S. secundum veritatem ejus aptare. Nec ullum offendiculum in significacione harum vocum lux, tenebrae, dies, nox, vespere, & mane invenit S. D., cùm illas literæ secundum placitum Aug. P., accommodavit. Eandem numero antecedenti ex D. Th. doctrinam tradiderat ante N. Philip. Abb. epist. ad Vvedericum dicens: Potest enim idem Spiritus, qui famulo suo Moysi ad scribendum verba sua dictavit, qui eorumdem verborum sensum ei congruum inspiravit: potest, inquam, & alij in eisdem verbis intellectum alterum demonstrare, & utrumque tamen à cognitione veri minime defraudare. Est autem vero si

miliis, ut in his, quæ Moyses scripsit, quidquid posteri ejus videre veraciter potuerunt, qui nimirum diversi diversis modis ea intellexerunt, ipse quoque Moyses ad liquidum intellexerit, & hanc ei dignatus sit Deus gratiam impertire, ut verbis suis non adversos, sed diversos intellectus viderit convenire. Hæc N. Philippus Doct. D. Bernardo synchronus, styli ve- bustate sibi familiare, qui cum adeo conformis doctrinæ D. Thomæ inveniatur, non dubitaverim, quin uterque eam ex eodem limpidissimo fonte Augustini hauserit.

20 At dices: si sensus literalis Scripturæ S. potest multiplicari, nulla erit certitudo, quis eorum sit intentus ad literam ab Authore; quilibet enim præferet expositionem suam alterius expositioni; cum autem de intentione Dei non aliter constet, oportebit, omnes literæ expositiones, ut literales acceptare, aut certè nullam. Respondeo conformiter ad doctrinam N. Philippi & D. Thomæ nuper datam; quod cum literæ circumstantia aliquem sensum, ut literalem admittit, licet alia expositio diversa, pariter intentioni Autoris consenteant, conformior alicui appareat, non propterea debet altera excludi; omnis quippe expositio, que salva literæ circumstantia ad intentionem Autoris potest S. Scripturæ aptari, ille est sensus ejus literalis: unde omnes hujusmodi expositiones admitti debent. Ad cognoscendam autem, que interpretatio circumstantia literæ est accommodata, sciendum ex Cayetano in exposit. illius art. 10. D. Thom.: Quod litera habens multas expositiones dupliciter potest se habere ad illas: primo compatiens illas tam absolute, quam in ordine ad reliquias, que sunt fidei; & tunc multitudo expositionum literalium ad exercitationem nostram, confert, dignitatibus Autoris attestatur, ut Aug. ibidem vult. (hoc est 2. confess.) Secundò ut compatiens illas in se, non tamen collata cum alijs literis S. Scriptura (ecce quomodo in literali sensu attendenda est maximè collatio locorum Scripturæ S.) & tunc ex tali collatione excludi possunt omnes illæ expositiones repugnantes, non repugnantem, vero admitti; sicut enim in responsione ad 1. in lit. diciatur, nihil necessarium ad salutem continetur in Script. , quod non per literalem sensum alicubi manifeste tradatur, quamvis in aliqua litera obscure inveniatur, propter multitudinem expositionum. Et si deficeret collatio literæ obscuræ ad manifes-

tandum, nāquam deficeret collatio ad Sanctā Ecclesiā auctoritatem, à qua non solum certificari possumus de literali sensu Scripturæ, sed certificati sumus de Script. ipsa. Evangelio, inquit Augustinus Epist. contra fundam., non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas admoneret. Hęc Cayetanus, ex quibus patet solutio ad argumentum. Ad id quod additur, nimirum, quod quilibet preferet expositionem suam alterius expositioni, respondeo ex Augustino P. lib. 1. super Gen. ad lit. cap. 18. dicente: *In rebus obscuris, & à nostris sensibus remotissimis, si que inde scripta, etiam diversa legerimus, que possint, salva fide, qua imbuimur, alias, atque alias parere sententias, in nullam eorum nos præcipiti affirmatione ita projiciamus, ut si forte diligentius discussa veritas, eam rectè labefactaverit, corruamus, non pro sententia divinarum Scripturarum, sed pro nostra ita dimicantes, ut eam velimus Scripturarum esse, quæ nostra est; cum potius eam, quæ Scripturarum est, nostram esse velle debeamus.* Ergo secundum Aug. P. illa prælatio cuiuscumque expositionis, relate ad alteram, quam circunstancia literæ patitur, noxia est. His præmissis, sit.

C O N C L U S I O.

21 Litera Moysis in 1. cap. Gen. in sensu literali, & proprio exponenda est. Non contendo in conclusione, quod sensus spiritualis locum non habeat in 1. cap. Genesis, immò, ut inquit Aug. P. lib. 1. de Gen. ad lit. Non esse accipiendam figuraliter nullus Christianus dicere audebit, attendens Apostolum dicentem: *omnia autem hæc in figura contingebant illis.* Et illud quod cap. 2. scriptum est: erunt duo in carne una, magnum Sacramentum commendantem in Christo, & in Ecclesia. Dico ergo, quod præcipue scrutanda est in primo cap. Genesis intelligentia literalis. In quo sensu, probatur 1. conclusio ex regula Tyconij explicata ab Augustino P., quod verba S. Scripturæ strictè, & rigorosè sunt intelligenda, salva fide, qua imbuimur, & modò grave inconveniens ex illis sic acceptis non resultet; sed fidei non obest, nec grave inconveniens resultat ex literali intelligentia verborum Moysis Gen. 1. ergo. Maj. est communiter à Theologis recepta. Et insuper probatur ex auct. Basilij, & Hieronymi n. 15. Originem carpensium,

16 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

Eum, quod hoc caput allegoricè duntaxat intellecterit. Min-
etiam est nota, & conseq. infertur.

22 Probatur ulterius conclusio: quia ad fidem crea-
tionis mundi pertinet narratio Moysis Gen. 1.; sed ea, qua
ad fidem pertinent ex sensu literali suadenda sunt, ut supra ex
Aug., & Burgensi dictum est: ergo Maj. est perspicua; quippe
in Script. S. in hoc loco habetur primo creationis rerum no-
titia. Min. præterquamquod ex dictis constat, probatur ex eo-
dem Aug. Math. 13. dicente: Nunquam parabolæ, & dubia
& Enigmatum intelligentia, possunt ad auctoritatem dogmatum
proficere. Et Greg. Mag. hom. 4. in Evang. ait: In verbis S.
Scripturae prius servanda est veritas historicæ, & postmodum
requirienda spiritualis intelligentia allegoria; tunc namque al-
legoria fructus suavitè capit, cum prius post historiam in
veritatis radice solidatur. Ergo radix veritatis est sensus lite-
ralis, aut historialis. Confirmatur ex Beato Hieron. com-
ment. in Habacuc cap. 1.: Historia, inquit, stricta est, & eva-
gandi non habet facultatem. Tropologia libera, & his tantum
legibus circumscripta, ut pietatem sequatur intelligentie, sermo-
nisque contextum; nec in rebus multum in se contrarijs copulan-
dis violenta sit.

23 Hinc Augustinus P. lib. 1. de Gen. ad lit. cap.
17. ait: Instituimus de Scripturis nunc loqui secundum pro-
prietatem rerum gestarum, non secundum enigmata figurarum.
Et eodem lib. cap. 7. ait: In narratione rerum gestarum, res
ipsæ prius intelligenda sunt, ut narrantur; tunc demum si quid
aliud significant, oportet perscrutari. (An ne quod promisit
Augustinus, implesse putandus est? ita sanè.) Literalis ergo
sensus, utpote ex quo firmus habetur de intentione Auctoris
assensus, & firmum contra Judæos, & Hæreticos argumen-
tum, & in quo non est hinc inde evagandi libertas, & est no-
bis veritatis assequendæ firma radix, debet esse in litera Moy-
sis principalis scopus; sic enim PP., ut ex premissis constat,
literalem sensum, veluti aliorum fundamentum, primò stabili-
liebant, & demum ad spiritualem gradum faciebant. Nec con-
tra hoc assertum, & adjectam explicationem quidquam solide
fundatum objici posse arbitror; nisi forrè cuiquam videatur,
obesse illud Apostoli: Litera occidit. At hoc intelligendum
de ipsa quod superficiem, & corticem accepta, nec bene quo-

ad intentionem Auctoris, & secundum circumstantiam literæ,
& collationem ejus cum alijs Scripturæ locis, & principijs
fidei introspecta. Unde ad secundum, quod promissi in proce-
mio gradum facio.

A . R . T . II.

**UTRUM LUX PROPRIE IN SPIRITUALIBUS
D I C A T U R?**

PRæmissi num. 3. quòd ut Scriptura S. propriè lité-
raliter accipiatur, opus est, ut verba ejus pariter
in propria significatione usurpentur, quapropter
cum lux primo die memoretur, & similiter quar-
to, operè pretium est examinare significationem hujus vocis,
ut inde liquidò demonstretur, nūm Augustinus P. lucem ad
spiritualia significanda secundum proprietatem extendens,
propriè illam accipiat, an figuratè? Ad hoc autem discernen-
dum sciri oportet ex Cayet. in exposit. art. 3. q. 13. primæ
partis, quod ly propriè sumi potest dupliciter. Uno modo, ut
dīst̄ i ḡuitur contra communiter, & sic hoc nomen animal non
dicitur propriè de hominè, quia dicitur de alijs. Alio modo, ut
dīst̄ i ḡuitur contra metaphorice, & sic animal dicitur propriè
de homine, florere autem non. Propriè enim dici est, significa-
tum nominis inveniri in eo, de quo dicitur secundum se. Meta-
phorice autem est significatum nominis inveniri in eo, de quo
dicitur secundum suam similitudinem tantum. Hinc deducitur,
quòd tunc aliquod nomen propriè, & non figurate, seu meta-
phorice dicitur de aliquo subiecto, cùm significatum nomi-
nis secundum se verè in subiecto invenitur; quòd si non se-
cundum se, sed secundum suam similitudinem subiecto con-
veniat, metaphorice de illo prædicabitur nomen. Unde ut
lux propriè de spiritualibus dicatur, oportet, ut significatum
ejus secundum se rebus spiritualibus verè conveniat. Quod
ita evenire contendit M. P. Augustinus locis infra citandis;
secus autem communiter alijs SS. PP., & Doctores Scholasti-
ci, & Expositivi, paucis, licet primæ notę, aliquibus dem-
p̄tis. Augustini tamen sententiam tuendam assumo, cum quo
sit.

C O N C L U S I O .

25 *Lux propriè in spiritualibus dicitur, & non metaphoricè.* Hanc tenet Augustinus P. 4. de Gen. ad lit. cap. 28. dicens: *Nec quisquam arbitretur, illud, quod dixi de luce spirituali, & de condito die spirituali, & Angelica creatura, & contemplatione quam habet in Verbo Dei: non jam propriè, sed quasi figuratè, atque allegoricè convenire ad intelligendum diem, & vesperam, & mane. Sed aliter quidem quam in hac consuetudine quotidiane lucis hujus, & corporalis; non tam tamquam hic propriè, ibi figuratè. Ubi enim melior, & certior lux, ibi verior etiam dies: cur ergo non tam verior vespera, & verius mane: Neque enim & Christus sic dicitur lux, quomodo dicitur lapis, sed illud propriè, hoc utique figuratè.* Sentic ergo Augustinus P., quod necdum verè, & propriè est lux in spiritualibus, verùm melior, & certior, quam in corporalibus; quod fundat in eo, quod Christus Dominus aliter dicitur lux, aliter lapis: illud propriè; erat, enim, *lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* ut dicitur Joan. 3.. Non quidem corporalis, quæ se conspicendam daret carnalibus oculis, sine ope lucis materialis: hoc enim referente Augustino P. in Joan. cap. 34., deliramentum fuit Manichæorum, qui solem istum corporeum Christum esse dicebant: sed de spirituali intelligendum est. Hunc locum Augustini P. duntaxat produco, ibi enim S. Parens suam mentem expressiùs aperuit. Idem docet ibi à cap. 21. & ubicumque propositam de diebus creationis mundi difficultatem versat, ut videre est 11. de Civit. Dei, cap. 70. & lib. 12. cap. 7.19. & 20. & de Gen. imperfecto cap. 5. & ad lit. lib. 1. à cap. 10. usque ad 20. & contra Faustum 12. cap. 10. & contra adversarium legis & prophetarum libro 1. capite 11. & 12. & pluribus alijs locis, ubi per lucem primi dici intelligit Angelum.

26 Sequitur suum & communem Mag. Ang. Præc. pluribus in locis. Prima parte q.67.art.1.pulchra hac præmissa distinctione, solvit quæst. *De aliquo, inquit, nomine, duplicitè convenit loqui: uno modo secundum 1. ejus impositionem. Alio modo secundum usum nominis, sicut patet in nomine vi-*

sionis, quod i. impositum est ad significandum actum sensus visus: sed propter dignitatem, & certitudinem hujus sensus, extensum est hoc nomen secundum usum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum; dicimus enim, vide quomodo sapit, vel quomodo redolet, vel quomodo est calidum; & ulterius etiam ad cognitionem intellectus secundum illud Mathei 5.: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Et similiter dicendum de nomine lucis; nam i. quidem est institutum ad significandum id, quod facit manifestationem in sensu visus: postmodum autem extensum est ad significandum omne illud, quod facit manifestationem secundum quancumque cognitionem. Si ergo accipiatur nomen luminis secundum suam primam impositionem, metaphorice in spiritualibus dicitur, ut Ambrosius dicit. Si autem accipiatur secundum quod est in usu loquentium ad omnem manifestationem extensum, sic propriè in spiritualibus dicitur. Ex quibus patet, quod licet lux secundum primam hominum impositionem (quam non attendunt Sapientes principaliter) manifestationem in corporibus factam significet; enimvero considerato usu loquentium (non quidem vulgi, & imperitorum, sed S. Scripturæ, & doctissimorum Virorum) extensum est ad significandum manifestationem secundum cognitionem.

27 Ex quibus sic in forma: D. Thomas aequè philosophatur de significatione hujus nominis visio, vel videre, ac lucis; sed hoc nomen videre propriè dicitur in phrasi Scripturæ, & Theologorum de cognitione spirituali, & intellectuali: ergo idem dicendum de luce, vel lumine. Maj. est litera D. Thomæ. Min. est Scripturæ, tum Mathei 5. citato. Tum in Psalmo 35. Quoniam apud te est fons vite, & in lumine tuo videbimus lumen. Et item i. Ioan. 3. Similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. In quibus locis literalis intelligentia (quam nullum vitat inconveniens, aut aliquid sancte fidei obsistens) haberi non potest, quin videre propriè intellectualem cognitionem, & spiritualem summi boni contemplationem significet. Neque enim corporalis visus coaptari aliquando potest, quippe in infimo corporali ordine, & gradu consistens, ad altissimam spiritualem summi boni vitalem attingentiam: ergo. Eadem min. quantum ad Theologorum usum manifesta est; quoniam passim apud eos hujusmodi vo-

20. *DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.*
cis usum offendes: Unde ultimam hominis felicitatem, & beatitudinem in visione clara Dei statuunt. Et scientiam visionis in Deo contradistinctam à scientia simplis intelligentie adstruunt: ergo.

28 Ut conclusionem ulterius probemus, recolenda est doctrina Cayet. num. 24. posita. Ex qua, & Scriptura. sic argumentor: Propriè enim dici est, significatum nominis inveniri in eo, de quo dicitur, secundum se; sed significatum hujus nominis lux secundum se invenitur in spiritualibus: ergo lux propriè dicitur in spiritualibus. Maj. est ipsa notio propriè prædicationis nominis de aliquo subjecto. Min. prob. ex illo ad Ephes. 5. *Omne, quod manifestatur, lumen est.* (intellige, quod manifestatur per se, & ratione sui; nam ratione alterius etiam corpora opaca manifestantur) Ergo significatum ut sic, vel secundum se hujus nominis lumen, est manifestatio: ergo ubicumque est propria manifestatio, ibi est proprium significatum hujus nominis lux. Nunc sic; sed manifestatio propriè invenitur in spiritualibus: ergo significatum hujus nominis lux secundum se propriè invenitur in spiritualibus: ergo & nomen propriè in illis dicitur. Antecedens est Apost. consequentia inferuntur. Subsumptam probo: in intellectu enim activa, & formalis manifestatio propriè invenitur; activa quidem, in ipsa vi, & efficacia ad productionem verbi, seu speciei expressæ, quæ est manifestativa objecti, quæ vis inest intellectui ratione sui respectu objecti sibi proportionati: & dum ad aliquid, quod vires & facultates naturales ejus excedit, intelligendum ordinatur, ut ad videndum Deum, sicuti est in se clarè, & intuitivè, infunditur ipsi aliqua qualitas supernaturalis, confortans ipsum, disponens, atque simul vim conferens ad videndum, quæ vocatur à Theologis *lumen gloriae*, de quo Psalmista: *In lumine tuo videbimus lumen.* Formalis manifestatio consistit in specie expressa, notitia, seu verbo, quod intentionaliter est ipsum objectum, quoniam ipsum palam facit, & expressè representat intellectui; proptereraque in ipso verbo, quod est spiritualibus lux, videt, & detegit objectum: ergo.

29 Idem docet Dionysius 4. cap. de divinis nominibus lect. 4. dicens: *Dicendum, quod lumen intelligibile Bonus dicitur.* Et ibi Aug. Præc. subdit: *Non enim est intentio bu-*

hujus libri tractare de nominibus sensibilium translatis in Deum, sed de nominibus intelligibiliis. Cum ergo nomina intelligibilia propriè dicantur de Deo, & non metaphorice, & rursus juxta D. Thom. non sit intentio hujus libri tractare de nominibus sensibiliibus translatis in Deum, Dionysiusque asserat, quod bonus, vel Deus lumen intelligibile dicitur; consequens est, quod lumen propriè de spiritualibus prædicetur. Unde Joannis 8. dicitur: *Ego sum lux mundi.* Et 1. Joan. 1.4 Quoniam Deus lux est, & tenebra in eo non sunt uliae. Et ppter 2. ad Corinth. 4.: *Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris.* Sanè in his locis literaliter acceptis, nisi locutio parabolica asseratur, aut metaphorica, nescio quo pacto sensus literalis adstruetur, qui primò, tanquam fundamentum allegoriae, iuvestigandus est, ut ex Patribus num. 22. dictum est.

30 Ex quibus sic argumentor: in predictis locis sensus literalis, juxta dicta conclusione præcedenti, quoad fieri potest, tanquam fundamentum aliorum sensuum statuendus est; sed in illis nequit hujusmodi sensus verificari, nisi lux manifestationem spiritualem significet: ergo. Maj. est doctrina PP. ibi, qui docent, veritatem ex rigore literalis sensus Scriptura sumendam esse: & hunc sensum ad allegoriam præire debere; quippe in allegoria est evagandi libertas, & in illa, prout quisque solertia abundat, sic multiplicem sensum, exigua tamen firmitate constantem, excogitat. E contraria autem literalis sensus strictus est, & soliditatem habet ad arguendum ex Scriptura S. Unde Hieron. apud Martinum Martini Casapret. in hipotyposcon lib. 7. sic ait: Prima expositio historica debet esse, velut fundamentum quoddam in inferioribus positum. Secunda mystica, quæ superior, & excelsior est, mysterium magnum, quod est in Christo, & Ecclesia continens: ergo. Min. patet. ex dictis in notabilibus præcedentis articuli. Rursum: illæ locutiones non sunt parabolice; tum, quia, ut probavimus hucusque non verificantur secundum similitudinem: tum etiam colligitur ex M. P. Aug. de Doctrina Christiana, cap. 10., ubi SS. Parés statuit regulam ad cognoscendam figuratam locutionem dicens: *Quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognosce. Morum honestas ad diligen-*

gondum Deum, & proximum; fidei veritas ad cognoscendum Deum pertinet. Ex quibus sic: quod ergo ad cognoscendum Deum in Divinis Scripturis confert, non figuratè, sed propriè accipi debet. Nunc sic, illæ locutiones ordinantur ad hoc, ut Deus innotescat hominibus, per hoc, quòd in se est lux per essentiam, & ab ipsa lux gratiæ infunditur in cordibus nostris; ac per consequens etiam ut innotescat, quid fiat creatura ex participatione illius lucis, nimirum, Deiformis, divina naturæ confors, & Deus per participationem: ergo non debent figuratè, & secundum ænigmata figurarum, vel parabolæ accipi, sed propriè; atque in illis, sic sumptis, lux manifestationem spiritualem significat. Videatur etiam Rupertus in comment. in Gen. lib. 1. cap. 10. & 11. in quorum 1., impugnata priùs sententia illorum, qui lucem primigeniam quandam aëris illustrationem esse dicebant; approbat expositionem, dicentem, naturam Angelicam lucis nomine fuisse significatam. Et in 11. afferit, non pro similitudine, sed pro re vera lucem fuisse appellatam.

31 His fundamentis, satis, ut opinor, probabilibus munitur sententia M. P., de eo, quòd lux propriè in spiritualibus dicitur. Neque in Auctoribus ipsi adversantibus aliquid invenio, vim specialem faciens, contra hujusmodi lucis acceptancem: quę enim objiciunt, ad probandum, lucem primi diei fuisse corporalem, pro nunc ad rem non spectant; quoniam in præsenti duntaxat defendimus abstractè conclusionem afferentem, lucem propriè dici in spiritualibus, contracturi illam postmodum ad lucem primi diei. Verūm quia in probatione illam acceptancem M. P. Augustinus ad Christum Dominum determinavit, placet contra ipsum ex eodem arguere.

OBJECTIO PROPONITUR, ET SOLVITUR.

32 Eatenus potuit dicere M. P., quòd Christus Dominus verè, & non figuratè dicitur lux, quatenus Joan. 1. dicitur de illo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum;* sed etiam Christus de se dixit, Joan. 15: *Ego sum vitis vera, & nihilominus secundum Aug.* *Vitis dicitur per similitudinem, non per proprietatem, quemadmodum dicitur agnus, leo, petra, &c.* Ergo ex quo dicatur Joan.

Joan. 1.: *Lux vera, non verè, & propriè dicitur lux, sed metaphoricè.* Maj. videtur certa; licet enim M. P. non alleget locum Joannis, nullus apertior ad intentum ejus apparet. Min. autem à paritate constat; utrobique enim ijsdem verbis, & eodem tenore loquitur Scriptura: ergo sicut Christus Dominus cùm vitis vera dicitur, non verè, & propriè vitis intelligitur, sed figuratè; ita cùm lux vera nuncupatur, non verè, & propriè lux de illo prædicatur; sed ut inquit Maldonatus ad hunc versiculum, dicitur lux vera metonymicè; quia, quod facit lux ista vera in corporalibus, id verius, & perfectius ille in animis facit; magis enim, & verius ille animum, quam sol corpora illuminat. Eodem prorsus modo, quo vitis vera dicitus est Joan. 15. Non quòd verè & propriè vitis sit, sed quòd verius eos, qui in se credunt, quam vitis palmites nutriat, atque sustentet. Et cibus verus, non quòd sit verè cibus, cùm non panem, sed verum corpus suum nobis cibum dederit: sed quòd verius, & melius animos nostros, quam verus iste cibus, quo utimur, corpora nutriat. Joan. 6. ¶ 55.

33 Respondeo distinguendo maj. quatenus lux vera dicitur Christus Joan. 1. ita quòd lucis significatum secundum se verè, & propriè inveniatur in Christo Domino, cōcedo maj. Quatenus lux vera præcisè dicitur, citra examen, an lucis significatum propriè in Christo reperiatur, nego maj. Et dist. min. Joan. 15. Christus *vitis vera* dicitur, & vitis significatum secundum se propriè in Christo Domino invenitur, nego translative, concedo; & nego conseq. Certè uterque locus allegatus eumdem verborum stylum servat; at *Evangelium*, ut num. 4. ex Hieron. diximus, *non est in verbis Scripturarum, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis.* Inspecta autem, & scrutata radice rationis, quantum ad præsens, diversus est utrobique verborum Joannis sensus, & *Evangelium*: quoniam radix, & ratio dignoscendi, utrum aliquod nomen verè, & propriè de subjecto dicatur est, quòd significatum ejus secundum se illi verè, & propriè competit. In Christo autem Domino, & in spiritualibus verè, & propriè esse manifestationem, quæ est significatum lucis, immò verius, quam in corporalibus, abunde ostensum est, neandum ex Aug. & D. Thom., verū etiam ex Dionysio, qui eadem proprietate attribuit lumen Deo, ac bo-

24 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

bonitatem, vitam, sapientiam, & alia hujusmodi. Vide ipsum loco cit. At contraria accedit in altero paritatis extremo: *Vitis* namque illius generis est nomen, quod in ipso significatio importat conditionem corporalem, sicut *lapis, leo, &c.* Quoniam significat quandam plantam, que secundum communem rationem aliarum plantarum, ex terra, cui per radices est affixa, sugit succum, quo nutrit, & alit palmites. Manifestum autem est, hanc significationem, quippe convenientem propriè omni generi plantarum, ut contradistinguitur ab alijs viventibus corporalibus in modo sumendi alimentum ad suum augmentum, & ad palmitum, qui sunt quasi ejus filii, alimentum esse corporalium rerum propriam. Unde solum figuraliter dicitur de Christo Domino, modo in argumendo assignato. Patet ergo disparitas, & solatio ad argumentum. Augustinus enim cum *luem* de Christo Domino praedicari vult propriè, & vitem figurat, benè noverat discrimen magnum inter utrumque adesse.

34 Solutio fundatur amplius in D. Thom. i. p. q. 13. art 3. ad 1. ubi: *Dicendum, inquit, quod quedam nomina significant hujusmodi perfectiones à Deo procedentes in res creatas, hoc modo, quod ipse modus imperfectus, quo à creatura participatur divina perfectio, in ipso significatio nominis includitur: sicut lapis significat aliquid materialiter ens.* Et hujusmodi nomina non possunt attribui Deo, nisi metaphoricè. Quedam verò nomina significant ipsas perfectiones absolute, absque hoc, quod aliquis modus participandi c' iudatur in eorum significazione: ut *ens, bonum, vivens,* & hujusmodi, & talia propriè dicuntur de Deo; ergo juxta Ang. P. nomina significantia perfectiones absolute absque hoc, quod aliquis modus participandi claudatur in eorum significatione, propriè dicuntur de Deo; sed hujusmodi est lumen: absolute enim, & præcisivè ab aliqua participatione, perfectionem in exprimendo, & manifestando significat, ut dicitur ad Eph. 5.: ergo propriè dicitur de Deo. Hinc Verbum Divinum à D. Thom. i. p. q. 34. art. 3. in corp. Expressivum Patris, & creaturarum nuncupatur. Et ad 5. expressivum, & factivum entium, non entium autem expressivum, & manifestativum. Et ad Hebr. 1. Splendor gloria.

Audiendus insuper est pro pleniore luce solutionis

nisi Ang. P. in cap. i. Joan. lect. 5. Ubi versans illam clausulam Joan. Erat lux vera, hæc ad intentum præclarissima habet: Notandum ergo, inquit, ad hujusmodi evidentiam, quod verum in Scriptura tribus opponitur: aliquando enim dividitur contra falsum, sicut illud ad Eph. 4. deponentes mendacium, loquimini veritatem: aliquando autem dividitur contra figurale, sicut illud Joan. 1. lex per Moysen data est &c. quia veritas figurarum legis, facta est per Christum. Aliquando vero dividitur contra participans, sicut illud 1. Joan. ultimo, ut simus in vero filio ejus, qui scilicet non est filius per participationem: fuit autem ante adventum verbi in mundo quedam lux, quam scilicet Philosophi se habere jaetabant. Sed hæc quidem falsa fuit, quia ut dicitur Rom. 1. Evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes &c. Hierem. 10., stultus factus est omnis homo à scientia sua. Fuit etiam quedam alia lux, quam glorabantur se habere Iudei ex doctrina legis. Sed hæc quidem lux erat lux figuralis, Hebr. 10. umbram habens lex futurorum honorum, non ipsam imaginem rerum. Erat etiam in Angelis, & sanctis hominibus quedam lux, in quantum specialiori modo per gratiam Deum cognoscebant. Sed hæc lux participata erat. Job. 35. super quem non resplendet lumen illius? Quasi dicatur: Quicumque lucidi sunt in tantum lucent, in quantum participant lumen illius, id est Dei. Sed Verbum Dei non erat lux falsa, non figuralis, non participata, sed lux vera, id est, per essentiam suam. Et ideo dicit, erat lux vera. In quo quidem verbo excluditur duplex error, scilicet, Photini, qui Christum opinatus est, ex virginе initium sumpsiſſe, & ideo ne aliquis hoc suspicari posset, Evangelista loquens de Incarnatione Verbi, dicit, erat lux vera, scilicet, ab aeterno, non solùm ante Virginem, sed ante omnem creaturam. Excluditur etiam error Arij, & Originis, dicentium, Christum non fuisse verum Deum, sed per participationem tantum; quod si verum esset, non esset lux vera, ut Evangelista dicit. Sicut enim dicitur 1. Joan. 1. Deus lux est, non per participationem, sed lux vera. Si ergo Verbum erat lux vera, manifestum est illud esse verum Deum.

En qua ratione Christus Dominus dicitur lux vera, quia, scilicet, non falsa, non figuralis est: ergo hec locutio erat lux vera non est figurativa, ut Maldonatus contendit, sed


propria, quia *li vera* ibi sumitur contrapositivè ad *figuralem*. Rursus erat lux *vera*, hoc est per essentiam suam, & non participata, ita ut per hoc Evangelista præoccupaverit errorem Photini, & Arij: ergo propriè erat lux. Patet consequentia: ut enim suprà ex Augustino Parente, & alijs determinavi, argumentum contra Hæreticos ad probandam veritatem Catholícam ex literali sensu desumitur, qui ex significatione propria verborum fit. Præterea: illa doctrina Evangelistæ ad ostendendam Verbi divinitatem, ejusque æternam à Patre generationem dirigitur; sed juxta Aug. n. 30. citatum, quod ad cognoscendum Deum in divinis Scripturis confert, non est figuratum, vel figuratè accipendum: ergo idem quod priùs. Unde Christus Dominus in symbolo *lumen de lumine, Deus verus de Deo vero* dicitur: ergo non metonymicè tantum, sed propriè. Hinc sit, quòd immerito dixerunt P. Pererius & alij, quòd Augustinus has voces dies, lux, &c. non in propria significatione accepit.

35 Rursus: docuerat Ang. Præc. ibi le&t. 3., satis ad intentum opportuna sequentia: *Considerandum est*, inquit, *quòd secundum Aug.*, & plures alios, *nomen lucis magis propriè* dicitur *in spiritualibus*, quam *in sensibiliibus*. Ambrosius tamen vult, quòd *splendor metaphorice* dicatur de Deo. Sed *in hoc non est magna vis facienda*. Nam de quocumque *nomen lucis* dicitur, *ad manifestationem* refertur; siue *illa manifestatio* sit *in intellectualibus*, siue *in sensibiliibus*. Si ergo comparentur *manifestatio intelligibilis*, & *sensibilis*, *secundum naturam prius intelligitur lux in spiritualibus*, *sed quoad nos*, qui *nomina rebus imponimus* *secundum proprietates earum nobis notas*, *prius inventur in sensibiliibus*, quia prius *impositum est à nobis* *hoc nomen ad significandum lucem sensibilem*, quam *intelligibilem*: quamvis *secundum virtutem prius*, & *verius conveniat spiritualibus*, quam *sensibiliibus*. Ergo licet quantum ad id, à quo *nomen est impositum*, & in ejus significato nobis est notius, *prius dicitur lux in sensibiliibus*; tamen respectivè ad id, ad quod *significandum est impositum*, nempe *ad manifestationem designandam*, per prius, *principalius*, & *verius dicitur in spiritualibus*; in *Theologica autem consideratione*, & *expositiva nomina considerantur*, & *accipiuntur penes id*, ad quod *significandum sunt imposita*: ergo idem quod prius.

UTRUM OPIFICIUM MUNDI, UT EX OMNIBUS suis partibus constat, sit à Deo simul conditum, & ordine, quo nunc extat, dispositum?



S. I.



Aliquibus præmissis, prima conclusio stabilitur:

36 **T**ERTIUM, quod examinandum promisi, est proposita difficultas; circa quam supponendum est i., & est articulus fidei, mundum esse creatum, seu ex nihilo à Deo productum. Quod clare constat ex symbolo fidei, in quo Deum Patrem Omnipotentem Creatorem Cœli, & terræ, visibilium omnium, scilicet corporalium, & invisibilium (nimirūm spiritualium) profitemur; & quidem non ab æterno, sed in tempore: dicitur enim Joan. 17.: *Clarifica me Pater apud temetipsum, claritate, quam habui prius, quam mundus esset, apud te.* Et Proverb. 8.: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquā faceret à principio.* Neque ex necessitate naturæ, sed voluntariè, & liberè: *Dixit enim ipse, & facta sunt, mandavit, & creata sunt.* Et omnia quæcumque voluit, fecit in Cœlo, & in terra. Item fecit omnia Deus valde bona, quippè emanantia à summo bono. Unde Aug. P. 11. de Civit. Dei, cap. 21.: *Si querimus, inquit, quis fecerit? Deus est. Si per quid? Dixit, fiat, & facta sunt. Si quare fecerit? Quia bonum est.* Neque enim Auctore est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo, nec causa melior, quam ut bonum crearetur à Deo bono.

37 Quia ergo opus primæ institutionis rerum est totus hic mundus, valde perfectus, & omnibus numeris absolutus, quem Auctore Ecclesiast. tradidit Deus disputationi nostræ, non abs re erit in presenti ejus pulchritudinem, perfectionem, & bonitatem tantisper ex nostro Joanne Zanh describere. Igitur ille tom. 1. mirab. mundi œconomia sic ait: *Celebratur potissimè tam apud veteres, quam novos Philosophos, & Theologos acceptio mundi quintuplex, ac dicitur alius archetypus, alius Angelicus, alius elementaris, alius mundus*

magnus, sive Megacosmus, & tandem alius mundus parvus, sive Microcosmus, qui est homo. Idcō autem hic parvus mundus nominatur, quod omnium in unum confluentium naturarum possessionem, & totius universitatis summam in se contineat. Magnus verò mundus vocatur propriè Universum, estque tota creaturarum omnium collectio. Per mundum Archetypum, sive intelligibilem, ac idæalem intelligitur mens Divina, in qua sunt omnes forma, & exemplaria rerum faciendarum. Vel ut rectius diffinit Aug. P. 1. retract. cap. 1. dum ait: Mundum istum alium non esse, quam rationem sempiternam, & incommutabilem, qua fecit Deus Mundum. Angelicus mundus multiplici Angelorum Hierarchia constat. Elementaris seu potius corporeus, qui componitur ex corpore cœlesti, & quatuor elementis. Alij tamen cœleste corpus distinguere ab elementari, & Hylæo mundo, ac sydereum mundum vocare placet, ita ut sydereus vocetur illa compages superior, que ex lucidissimis quarumvis stellarum facibus coordinatur aptissimè. Hylæus verò sit compages illa inferior, que ex quatuor elementorum, & alijs quibusdam mixtorum clasibus construitur. Unde sextuplex potius mundi acceptio adnotanda est.

38 Tria potissimum mundi perfectionem commendare, & mirè illustrare videntur; singularum, nempe, rerum, ex quibus constat, perfecta absolutio, naturarum absoluta varietas, & distinctio, & omnium partium distinctiarum ordo perfectissimus. Mira imprimis creatarum rerum varietas. Aliæ enim sunt incorporeæ, ut Angeli, iisque in varias species, Hierarchias, & choros distributi, suntque plurimi, & penè innumeri. Aliæ sunt corporeæ, quarum rursus aliæ incorruptibiles, ut coeli, & sydera; aliæ corruptibles, eaque denuò duplices, scilicet, inanimæ, & animatæ. Harum rursus quedam sunt vegetabiles, ut plantæ diversarum specierum, que mira planè gaudent varietate, ac differentia. Quaedam animales, que innumerorum, ac diversorum animalium cætum constituant. Horum denique in serie, quedam sunt corporea per totum, eaque vel perfecta, vel imperfecta; alia partim corporea, ac partim incorporea, veluti homines. Quis porrò hominum varias differentias in corporis habitu, in vultu, seu facie, in gressu, voce, ingenio, moribus, lingua, studijs, legibus, institutis, ac religionibus enumeret? Mira igitur varietas ista Megacosmo etiam mi-

ART. III. AN OPIFICIUM MUNDI, &c. 29
ram dignitatem, & excellentiam merito conferre debet.

39 Admirandus planè rerum omnium mundanarum cernitur ordo, & aptissima dispositio. Unde licet mundus talis, as tantus sit, tanta, inquam, rerum varietate, & copia instruc-
tus, eo nihilominus ordine, & situ omnia ordinata, & disposita sunt, ut suum qualibet locum perfectè teneat: ita res nobiliores summum obtinent locum, ignobiliores infimum, medie medium, eaque per superiores servantur, & reguntur. Sic etiam Deus ordinavit Universum, ut in superiori ejus loco, sive cælo sint mera gaudia sine luctu, & dolore ullo, ac perpetua latitia sine ulla tristitia; in mundo medio omnia miseria, cum nempe docente Salomone Proverb. 14.: Risus dolore misceatur, & ex-
trema gaudij luctus occupet; in infimo porrò loco, sive inferno, velut sentina malorum, sint meri dolores, luctus, ac gemitus, sine ullo gaudio, ac consolatione, atque ibidem nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitet. Ut dicitur Job 10. Et quāvis omnia mundi corpora invicem planè diversa sint, in unum tamen perfectè conspirant: ac licet innumeri alij globi, nobis ignoti, in cæli expansi traclibus bareant extra omnium sensuum comprehensionem remotissimi: ita nihilominus aptè tamen per naturam connectuntur, ut unus sine altero, absque totius dissolutione, esse non possit.

40 Arcta porrò etiam connexio omnium in mundo partium est, eaque valdè excisia, non modo secundum quantitatem, ut nihil sit uspiam inane, & vacuum, sed etiam in serie contextuque naturalium specierum. Sic nulla est illibit interruptio, sed omnia aptissimè sibi invicem obstricta, & devincta conjunguntur. Quocircà talis est inferioris, & superioris naturæ connexio, ut tamen in medio coincident: talis etiam inter diversas species combinationis ordo, ut suprema generis species cum infima mediatione superioris conveniat, non alia de causa, nisi ut sit unum continuum perfectissimumque Universum.

41 „ Admiranda valdè quoque est rerum mundana-
„ rum discors concordia, qua, nempe, res inconvenientes
„ in natura, ac specie, in aliquo tamen convenient, & con-
„ cordant. Quocircà & Thrifmegistus Harmoniam quandam
„ perfectissimam in mundo cognoscebat, & Pythagoras Uni-
„ versum dicebat ad modum lyre esse compositum. Et profec-
„ to, si res omnes in mundo bene consideremus, videbimus,

30 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS. AUGUSTIN.

„ quod sit corpus tam exile , quod unum ad aliud , & omnia
 „ ad singula perfecta quadam unione , & absolutissima con-
 „ cordent , ac consonent .

42 „ Illud planè consideratione , haud minùs admi-
 „ ratione dignissimum est , quod licet tantus sit rerum om-
 „ nium in mundo apparatus , tanta omnium copia , & varie-
 „ tas , eç tamen omnes , & singula in hominis bonum , & uti-
 „ litatem à Max. conditore sint ordinata ; nam aliae pertinent
 „ ad vitę humanę necessitates , & commoditates ; alię ad va-
 „ rias hominum oblationes , aliae sunt morborum remedia ,
 „ & sanitatis præsidia , multę ad exemplum , & imitationem
 „ propositę ; omnes conducunt ad scientiam rerum , & maxi-
 „ mē ad Dei notitiam , amorem , & religionem ; à magnitu-
 „ dine enim speciei , & creaturæ cognoscibilitè poterit creator
 „ horum videri , ut ait Sapiens cap. 13.

43 „ Nihil in mundo reperitur , quod sit independens
 „ ab alio ; sed si rectè perpendatur , unum semper ab alio , &
 „ omnia à prima causa creativa , velut principio dependent ;
 „ quae & erit causa determinata , à qua cætera omnia ema-
 „ nant . Sicut itaque in humano corpore , sive Microcosmo ,
 „ unum membrum fovet aliud , & reciproco quodam fotu om-
 „ nia singula , & singula omnia afficiunt ; ita in Megacosmo ,
 „ sive majori mundo ejus corpora , veluti membra quædam ,
 „ influxibus reciprocis , viribusque unicuique proprijs se af-
 „ ficiunt , ac sive immediato vicinorum , sive mediante inter-
 „ mediorum influxu , se invicem fovent , alunt , roborant , &
 „ denudò hoc mutuo unionis fædere colligata , perpetuò con-
 „ servant . Unde commune est apud Philosophos , conserva-
 „ tionem à creatione non nisi ratione distinguere ; cum ejus-
 „ dem agentis sit effectum primò producere , & eundem dein
 „ de influxu perpetuo conservare , ac velut manutenere . Nul-
 „ la igitur rēs in mundo à seipsa conservari , multò minùs
 „ produci , aut creari potest , sed omnes res , mīro inter se
 „ nexu , ab invicem dependent ; atque hoc in bonum Univer-
 „ si , ut omnes , dum ad sui conservationem naturali quædam
 „ propensione tendunt , & etiam totum in suo esse conservent .
 „ Quocirca etiam certum est omnium Philosophorum ora-
 „ culo , inferiora supernis lationibus substare , tantam que
 „ esse inter hæc connexionem , ut impossibile sit inferiorem

„ mundum sine perenni superiorum corporum influxu posse
 „ subsistere; sicuti fieri non potest, ut principium passivum de-
 „ se sine activo quicquam producat. Ut igitur terra germinet,
 „ animalia procrecentur, & vivant, ut metalla sub terra exco-
 „ quantur, necessariò aliquid ab activa superioris mundi par-
 „ te delabi debet, quod spermaticas rationes, unicuique mix-
 „ to inditas, ad generationem solicet, quod generatum est
 „ foveat, ac in propagationis vigore, quod fotum est, con-
 „ servet. Itaque haud secùs ac in mundo Angelico, eo ordine
 „ dispositi sunt Angeli, ut unus alteri necessariò subdatur, &
 „ superiores illuminent, & perficiant inferiores; ita & in
 „ mundo sensibili summus quidam, & admirandus in ejus cor-
 „ poribus etiam est nexus, ut etiam remotissima corpora in
 „ sibi subdita influant, virtutibusque varijs impleant.

44 „ Ex his itaque concludere licet, omnes mundi
 „ partes, omnes cœlorum ambitus, omnes quorumlibet cœ-
 „ lestium globorum magnitudines, distantias, motus, elon-
 „ gationes ab invicèm, aut approximationes, emnia denique
 „ mundana corpora ita ab omnipotenti manu Dei in admis-
 „ randa quadam symetria, & proportionatissima unius cor-
 „ poris ad aliud intercapidine, tum etiam in quantitatibus, si-
 „ ve magnitudinis unicuique ad finem suum appropriata me-
 „ sura exactissima constituta esse, ut absolutæ perfectioni in
 „ tali rerum mundanarum statu nec quicquam deesse possit.
 „ Benè itaque omnia fecit Universitatis Opifex Deus ter op-
 „ timus; omnia enim in sapientia fecit. Omnia, ut loquili-
 „ tur Sap. cap. i. i.: *In numero, pondere, & mensura dis-*
„ posuit.

45 Hæc insignis noster Mathematico-Philosophus,
 quæ propterea sic ad longum transcripti, quia & terminum
 primæ productionis rerum mirificè explicant, & describunt
 & ordinem, & sapientiam, quam effudit Deus super opera
 sua, eleganter notificant; & demum infrà dicenda non modi-
 cam lucem ex eis accipient.

46 Sciendum præterea, quòd partes mundi sunt in
 duplice differentia. Aliæ sunt principales, & per veram crea-
 tionem productæ, quasque statuit Deus in æternum duratu-
 ras; hujusmodi sunt Angeli, omnia corpora cœlestia, & ele-
 mentaria. Aliæ sunt minus principales, & quæ sunt veluti
 quod.

quoddam ornamentum partium principalium mundi, quod ex varijs speciebus mixtorum, mundum mira varietate decorantium, conlurgit. Unde Universum ad hæc comparatur veluti quedam magna Regia, ex multiplici plantarum, avium, piscium, animalium terrestrium specie, repleti apta. Has species, mundum sua varietate venustantes, non computari inter principales partes Universi, ex eo fit manifestum; quod partes constituentes aliquod totum durant, & permanent in ipso donec totum dissolvatur; mixta autem in finali judicio, Universo quoad principalia integro permanente, creduntur dissolvenda: ergo non debent inter partes principales universi computari. Dixi, partes principales Universi, & per veram creationem productas, in æternum esse duraturas, quod sufficienter indicat Regius Vates Psalm. 148., ubi, postquam illas excitat ad laudem Dei, dicens: *Laudate Dominum de Cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli ejus. Laudate eum omnes virtutes ejus. Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes stelle & lumen. Laudate eum Cœli Cœlorum, & aquæ omnes, que super Cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipsi dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt.* Statim subdit: *Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi.* Et mox enumerat mixta, ipsaque similiter ad laudandum creatorum sollicitat sine tali addito, quasi inveniens, ipsa non ita permanens in sæculum sæculi.

47 Aliter autem sentit M. P. Aug. de mundi principalibus partibus in sui prima institutione; aliter de mixtis, & corruptilibus. De primis dicit, quod in prima rerum institutione fuerunt acti, & in propria natura producta, & per species proprias distincta. De mixtis autem ait, fuisse in seminalibus rationibus producta, ut animalia, plantæ, & homines, que omnia postmodum in naturis proprijs producta sunt illo opere, quo post senarium illorum numerum, Deus iatram prius conditam administrat; de quo opere dicitur unus 5.: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.*

ego operatione ex virtute, seu seminali ratione, quam mentis in sui creatione indidit, post opus sex dierum secundum species proprias mixta corruptibilia pro-

cap. 4. ubi postq; iam de plantarum productione in tertio die,
latè disseruerat, facta collatione verborum, quæ de hac die
cap. 1. habet Moyses, & eorum, quæ cap. 2. iterum de eius-
dem profert, sic concludit: *Causaliter ergo tunc (idest 3. die)*
dictum est, produxisse terram herbam, & lignum, idest, pro-
*ducendi accepisse virtutem. In ea quippe jam tamquam in radici-
bus, ut ita dixerim, temporum facta erant, que per tempora
futura erant; nam utique postea plantavit Deus Paradisum
juxta Orientem, & ejecit ibi de terra omne lignum speciosum
ad aspectum, & bonum ad escam.*

Et capite 5. sequenti expressè enuntiat, quæ
creaturæ simul sint factæ, quænam actu in prima rerum institu-
tione, quænam potētialiter, & quo ordine; ordine, inquam, non
successionis, & temporum, sed causalitatis, & naturarum,
, dicens: *Quapropter cum primam conditionem creaturarum*
, *cogitamus, à quibus operibus suis Deus in die septimo re-*
, *quievit; nec illos dies, sicut istos solares, nec ipsam opera-*
, *tionem ita cogitare debemus, quemadmodum nunc aliquid*
, *Deus operatur in tempore, sed quemadmodum operatus*
, *est, unde inciperent tempora, quemadmodum operatus est*
, *omnia simul, præstans eis etiam ordinem, non intervallis*
, *temporum, sed connexione causarum: ut ea, quæ simul fac-*
, *ta sunt, senario quoque illius diei numero presentato perfi-*
, *cerentur. Non itaque temporali, sed causaliter ordine prius*
, *facta est informis, formabilisque materies, & spiritualis, &*
, *corporalis, de qua fieret, quod faciendum esset, cum & ipsa,*
, *priusquam instituta est, non fuisset: nec instituta est, nisi ab*
, *illo utique summo Deo, & vero, ex quo omnia. Quæ sive*
, *Cœli, & terræ nomine significata est, quæ in principio fecit*
, *Deus ante illum unum diem, quem condidit, propterea jam*
, *sic appellata, quia inde facta sunt Cœlum, & terra; sive*
, *nomine terræ invisibilis, & incompositæ, atque abyssi te-*
, *nebroſæ, ut jam in primo loco tractatum est. In his vero, quæ*
, *jam ex in formitate formata sunt, evidenterque appellantur*
, *creata, vel facta, vel condita, primū factus est dies.*
, *Oportebat enim, ut primatum creaturæ obtineret illa natu-*
, *ra, quæ creaturam per creatorem, non creatorem per crea-*
, *turam posset agnoscere. Secundò firmamentum, unde cor-*
, *poreus incipit mundus. Tertiò species maris, & terræ, atque*

„ in terra potentialiter, ut ita dicam, naturam herbarum , at-
 „ que lignorum. Sic enim terra ad Dei verbum ea produxit,
 „ antequam exorta essent, accipiens omnes numeros eorum,
 „ quos per tempora exereret secundum suum genus. Deinde
 „ postquam haec velut habitatio rerum condita est , quarto
 „ die luminaria, & sidera creata sunt, ut prius pars mundi su-
 „ perior rebus, quae intra mundum moventur , visibilibus or-
 „ naretur. Quinto aquarum natura, quia cœlo, aërique con-
 „ jungitur , produxit ad Dei verbum indigenas suos , omnia,
 „ scilicet, natatilia, & volatilia, & hec potentialiter in nume-
 „ ris, qui per congruos temporum motus exercentur. Sex-
 „ to terrestria similiter animalia, tanquam ex ultimo elemen-
 „ to mundi, ultima, nihilominus potentialiter , priorum nu-
 „ meros postea tempus visibiliter explicaret:: hic est ergo li-
 „ ber creaturæ Cœli , & terre, quia in principio fecit Deus
 „ Cœlum, & terram, secundum materiam quandam , ut ita di-
 „ cam, formabilitatem, quae consequenter verbo ejus forman-
 „ da fuerat, precedingens formationem suam *non tempore*, sed
 „ origine.

49 Plura in his nos docet Augustinus P., quae seor-
 sim determinare placet, & aliqua pro praesenti controversia
 assumere, alia vero ad infrâ dicenda remittere. Primò igitur
 afferit S. Doct., dies creationis mundi non fuisse Solares , seu
 materiales. De hoc art. 4. & 5. Deinde, quod in prima rerum
 institutione simul duratione omnia sunt producta , cum ordi-
 ne tamen, & connexione causarum,qua ratione ad sex classes,
 & ordines rerum, connexionem in se nuper ex N. Zanh expli-
 catam habentium, senarioque primo perfecto numero com-
 prehensorum, reducit Universum. Et in hoc causali ordine
 rerum primò commemorat informem materiam spiritualis,
 & corporalis creature, nomine Cœli , & terre significatam,quae
 prius natura fuit, quam formaretur. Unde Sap. 11. dicitur:
Manus tua creavit orbem terræ ex materia invisa. Postmodum
 formationem utriusque materiæ hoc ordine cum Scriptura
 designat, primò formationem supremæ,perfectissimæque crea-
 turæ per productionem lucis, & diei; in quo intelligit Augus-
 tinus P. conversionem Angelorum ad Deum,per quod illumi-
 nantur ut adhærent Verbo , & ab ipso accipiunt notitiam
creatrarum, quæ post ipsos factæ sunt, & in ipsomet Verbo
 tan.

tanquam in arte, & sapientia, qua facta sunt, cognoscerent; & hoc vocat Augustinus creaturam per cretorem cognoscere. Sed de hoc late articulis citatis. Secundò intelligit formationem creature corporalis supremæ per opus secundi diei, scilicet, productionem firmamenti. Tertiò elementorum formationem per congregationem aquarum, & apparitionem aridæ, & in terra simul productionem plantarum seminaliter, causaliter, & potentialiter. Et in hoc opere intellexit jam mundum fabricatum, quantum ad ejus formationem substantialem, & secundum quod, ut loquitur Augustinus P., *habitatio quædam verum est.* Et exinde incipit ornatus hujus Universi; & primò Cœlum ornatur luminaribus, & hoc opus actu est productum cum Cœlis, quoniam, ut inquit Augustinus P. 5. de Gen. ad lit. cap. 5.: *Cœli non habent virtutem productivam lumina- rium, sicut terra habet plantarum;* & item, quia luminaria per veram creationem fuerunt producta, & qui vivit in æternum creavit omnia simul, ut dicitur Ecl. 18. Quintò ponitur ornatus aquarum, aërisque potentialiter: & similiter 6. die ornatus terræ causaliter, potentialiter, & seminaliter; & in hoc absolvitur fabrica mundi hujus.

50 Idem docet S. P. ibi cap. 11. in fine, & cap. 20. & 23. & lib. 6. cap. 2. signanter hoc docet de homine; & clarius adhuc cap. 6. dicens: *Quanquam enim precedentibus ser- monibus, quantum potuerim lectorem prastruxerim, plures ta- men arbitror caligare in his locis, & putare, ita fuisse prius ho- minem illo Dei opere, quo cuncta simul creata sunt, ut aliquam vitam duceret, & ut Dei locutionem ad se directam, cum dixit Deus, ecce dedi vobis omne pabulum seminale, discerneret, cre- deret, intelligeret. Noverit ergo qui hoc putat, non hoc modo me sensisse, nec dixisse. Sed si rursus dixerim, non ita fuisse ho- minem in illa prima conditione, qua creavit omnia simul, sicu- ti est, non tantum perfectæ etatis homo, sed nec infans quidem, nec tantum infans, sed ne puerperium quidem in utero Matris, nec tantum hoc, sed ne semen quidem visibile hominis, putabit omni modo non fuisse.* Hæc ibi; & mox determinat quomodo facit homo sexto die, & quomodo extra opus 6. dierum dicens: *Aliter tunc, aliter postea: tunc invisibiliter, potentialiter, cau- saliter, quomodo fiunt futura non facta; postea visibiliter, sicut species humanae constitutionis nota nobis est, non tamen Paren-*

36 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.
tibus generantibus, sed ille (scilicet Adam) de limo, illa (nempe Eva) de costa ejus.

51 His satis apparet sensus M. P. de prima rerum institutione, quantum ad omnes mundi partes, nempe cum discrimine assignato à numero 47., in quo sensu nullum inveni Augustini sectatorem, prèter Ang. P. locis infrà citandis, qui problematicè versat Sanctorum Patrum in hoc punto sententias: licet enim aliquibus placuerit sententia de mundi productione sine temporum mora, quos inferius allegabo, tamen de singulis ejus partibus idem ferunt judicium, & indiscriminatim loquuntur. Mihi tamen, qui literè, & menti M. P. Augustini asequendæ operam dedi, opus est cum distinctione præmissa ipsum defendere. Quod ut clarius fiat, duplice conclusione sententiam ejus proponam, & ex ipso probare conabor. Sit ergo.

PRIMA CONCLUSIO.

52 Mundus, quantum ad mixta, non fuit in opere sex dierum actu, & secundum proprias species, & naturas eorum, productus; sed causaliter, potentialiter, & seminaliter. Præcipuum fundamentum hujus assertionis sumit Augustinus Par. ex littera textus tertij, quinti, & sexti diei, collata cum litera secundi capituli; in tertio enim die memorantur plantæ productæ, & similiter in quinto pisces, & aves, & demum in sexto animalia terrestria, & homo. Et in cap. 2. loquens de plantis Moyses innuere videtur, eas nondum actu fuisse ex terra ortas; sic enim habet ibi sacer textus: *Istæ sunt generationes Cœli, & terre, quando creata sunt, in die, quo fecit Dominus Deus Cœlum, & terram: Omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, prius quam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram.* En ubi virgultum agri nondam asseritur in terra exortum, cùm tamen die tertio dixisset Moyses: *Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumque facieß fructum,* &c. Antylogia ergo apparet inter hæc Scripturæ S. loca, quæ non nisi profunda literæ scrutatione, & recurrendo ad rationis indaginem, secundum præmissa art. 1., vitanda est. Vidimus

Suprà num. 48. & 50. in fine, illis verbis: *Aliter tune, aliter nunc &c.* quomodo Augustinus P. conciliat hæc loca; quod, nimirum tertio die plantæ productæ sunt potentialiter, causaliter, & seminaliter. Unde textum tertij diei dicentem: *Germinet terra herbam virentem*, sic exponit: *Germinandi accipiat virtutem*. Et postea cùm cap. 2. litera dicit: *Omne virgultum agri, antequam oriretur in terra*, sic glossat: nunc extra opus 6. dierum; cùm mundum à se productum administrat, productit per temporum moras, & successivè, species mixtorum in se, quæ antè erant in terra seminaliter.

53. Sublimem hanc, & literæ consentaneam intelligentiam sic probat lib. 5. de Gen. ad lit. cap. 4.: *Quid ergo sibi vult etiam quod sequitur, nam ita sermo contextitur: cum factus est dies, fecit Deus Cœlum, & terram, & omne viride agri, antequam esset super terram, & omne fenum agri, antequam exortum esset. Quid est ergo? Nonne querendum est ubi ea fecerit, antequam essent super terram, & antequam exorta sunt? Quis enim non proclivius crederet, tunc ea Deus fecisse, cum exorta sunt, nisi admoncretur divino eloquio, ista Deum fecisse, antequam exorirentur: ut si, ubi facta sint, invenire non possit, credat tamen antè facta, quā exorta, quisquis huic Scripturæ piè credit::: Quid ergo dicemus? An quod nonnulli putaverunt, in ipso Verbo Dei facta omnia, antequam exorirentur in terra? (sic sentit Philo in de mundi opificio) sed si hoc modo facta sunt, non cùm factus est dies, sed antequam fieret dies, facta sunt: apertè autem Scriptura dicit, cùm factus est dies, fecit Deus Cœlum, & terram, & omne viride agri, antequam esset super terram, & omne fenum, antequam exoriretur. Si ergo cùm factus est dies, non utique antequam fieret dies; ac per hoc, non in Verbo, quod Patri coeterum est, antequam dies, antequam omnino aliquid fieret...: (ecce impugnationem validam Philonis) Ubi ergo? An in ipsa terra causaliter, sicut in seminalibus jam sunt omnia, antequam evolvant quodammodo, atque explicitent incrementa, & species suas per numeros temporum? Sed ista semina, quæ videmus, jam super terram sunt, jam exorta sunt. An non erant super terram, sed infrà terram: & idèo, antequam exorta sunt, facta sunt, quia tunc exorta sunt, cùm semina germinarunt, & accessu incrementorum in auras eruperunt, quod per moras temporum nups fieri videmus suo cuique generi distributas?*

54 Num ergo semina tunc facta sunt, cum factus esse dies, & in ipsis erat omne viride agri, & omne fenum, nondum ea specie, qua sunt super terram jam exorta, sed ea, in qua sunt in ratione seminum? Semina ergo primò produxit. Sed non ita Scriptura loquebatur, cum diceret: & produxit terra herbam pabuli, vel herbam feni seminantem semen secundum genus secum, & secundum similitudinem, & lignum fructuosum faciens fructum, cuius semen in se super terram. His enim verbis magis appetet, semina esse exorta ex herbis, & lignis, non autem illa ex seminibus, sed ex terra, præser-tim quia & ipsa verba Dei sic se habent. Non enim ait: germinent semina in terra herbam feni, & lignum fructuosum; sed ait: germinet terra herbam feni seminantem semen, ut semen ex herba, non herbam insinuaret ex semine. Et sic est factum, & produxit terra: id est, prius sic est factum in cognitione illius dici, & produxit terra jam, ut hoc fieret etiam in ipsa creatura, que condita est. Quomodo ergo antequam essent super terram, & antequam exorirentur; quasi aliud fuerit eis fieri cum Cœlo, & terra, quando factus est dies ille iniustatus, atque incognitus nobis, quem primum Deus fecit: aliud autem exoriri super terram, quod non fit, nisi per hos dies, quos circuitus Solis facit per temporum moras suo cuique generi accommodatas? Quod si ita est, diesque illa societas, atque unitas super celestium Angelorum, atque virtutum est, proculdubio longè aliter nota est Angelis creatura Dei, aliter nobis: excepto quod eam in Verbo Dei neverunt, per quod facta sunt omnia, etiam in seipso dico, longè aliter notam eis esse, quam nobis. Illis enim primordialiter, ut ita dicam, & originaliter, sicut eam Deus primitus condidit, & post eam conditionem à suis operibus requievit, non condendo aliquid amplius: nobis autem secundum rerum antea conditarum administrationem jam per ordines temporum, secundum quam Deus jam illis rebus per senarians perfectionem consummatis, usque modò operatur. Et statim concludit S. Doct. verbis num. 47. relatis: Causaliter ergo tunc dictum est &c.

55 Hanc Augustini P. latam disputationem sic bre-viter ad sequens ratiocinium reduco: in 2. cap. Moyses recapitulando opera sex dierum, dicit, tunc plantas productas fuisse, antequam exorirentur in terra: ergo in operibus 6.

dierum, & plantæ sunt productæ, & illarum produc^{tio} ante ipsarum ortum in terra accipienda est. Nunc sic; sed antequam orientur in terra, non alicet possunt intelligi productæ, quām causaliter, & in semine; neque enim, ut ex Augustino vidimus, hujusmodi produc^{tio} in Verbo Dei est accipienda, cūm Scriptura de produc^{tione} in die facta loquatur, in Verbo autem Dei non sunt in die facta, sed aeterna ipsius à Patre generatione in idēlibus rationibus præsupposita: ergo produc^{tio} plantarum in prima rerum institutione, tertio, nimirum, die, causaliter, potentialiter, & seminaliter est accipienda. Antecedens discursus est litera textus. Consequētia infertur. Min. subsumpta satis est manifesta; res enim antequam fiat in se, nullum aliud habet esse, quām in virtute causæ: cūm ergo terra sit causa plantarum, ipsæ priusquām in auras lucis erumperent, & secundūm suas species manifestè apparet, unice poterant habere aliquod esse in virtute seminali plantarum terre à sui conditione insita.

56 Sed dices i. Augustinum P. hic disputativè procedere, nihilquē tandem ex propria mente determinare; loquitur enim sub conditionali, *quod si ita est &c.* Respondeo, quod profectò in omnibus his libris de Gen. ad lit. frequenter omnia potius disputativè, quām assertivè tractat Augustinus P. Veruntamèn semper in eam propendet sententiam, quod omnia in principio simul fuerunt creata, cum limitatione tamen, & distinctione suprà ex ipso proposita; & quod illi dies Gen. i. non sunt temporales, & usuales, sed Angelici, & spirituales: & quantum ad præsens idem omnino tenet, ut suprà num. 47. 48. & 50. dictum est. Præterquām quod si aliter procederet Augustinus P., sibi ipsi minus conservans deprehenderetur, cūm ipse moneat, quod *in rebus difficillimis Script. S. (uti est præsens, quam versamus) magis debemus prestatre diligentiam inquirendi, quām temeritatem affirmandi.* Nec oppositum evincunt verba Augustini ab Eximio Doctore lib. 3. de opere 6. dierum cap. 4. adducta, quod videlicet S. Doct. lib. 6. de Gen. ad lit. cap. 2. sequentia dixerit: *Sexto die etiam Paradisus plantatus est, & ibi homo collocatus est, & soporatus est, ut Eva formaretur, & ea formata evigilavit, eique nomen imposuit.* Manifestum enim est, quod Augustinus P. hoc loco non loquitur adhuc ex

45. DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

propria mente, sed disputativè; quod non obscènè indicant ejus verba initio cap. illius, ubi sic ait: *Accipiamus ergo eum sexto ipso die in hac perspicua, visibilique forma de limo factum, sed tunc non commemoratum, quod nunc recapitulando insinuatum, & videamus utrum nobiscum ipsa Scriptura concordet.* Hęc sanè apertissimè denotant, ipsum Augustinum hanc positionem ad eum finem præmittere, ut examinet: an sit consentanea Scripturæ Sacré? quod ibi ex propria mente non determinat, sed potius ibi cap. 3. in oppositum declinat, probans ex Gen. 2. & Eccl. 18., & omnia simul fuisse condita, & quantū ad mixta in opere, à quo requievit Deus, non fuisse actu producta, sed eorum productionem pertinere ad illam operationem, qua Pater usquemodo operatur. Unde concludit ibi dicens: *Satis nos admonent hęc non ad illam operationem Dei pertinere, unde requievit in die septimo, sed ad istam potius, qua per temporum cursus, usque nunc operatur.* Cùm enim parásisus plantaretur, ita narrat: *& planta-vit Deus Paradisum in Edem ad Orientem, & posuit ibi hominem, quem finxerat;* & ejecit Deus adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, & bonum ad escam. Cùm dicit ergo: ejecit adhuc de terra omne lignum pulchrum ad aspectum, manifestat utique, quòd aliter nunc ejecerit de terra lignum, aliter tunc: tunc utique potentialiter & causaliter &c., vide amplius pro hoc ipsum num. 50., ubi preme illa verba: *Non hoc modo me sensisse &c.*

57 Sed dices, quòd minùs rectè coherent cum Augustini sententia illa verba Scripturæ S. in tertio die, ubi dicit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen.* Si enī, ut Augustinus vult, terræ inessent semina ad planarum productionem, potius diceret: *Germinent semina in terra herbam virentem;* atqui non sic, sed longè aliter dicit Scriptura, quòd nimirū, potius semen sit ex plantis, quam plantæ ex semine: ergo. Respondeo, quòd si semel terræ insunt semina a summo conditore in creatione Cœli, & terræ indita ad plantarum productionem, ut asserit Augustinus P., perindè est dicere: *Germinent semina in terra herbam virentem;* ac: *Germinet terra herbam virentem;* non minùs atque in hoc loquendi modo: *Ignis calefaciat:* aut, *calor in igne calefaciat.* Immò magis propria est prima locutio, quam se-

cunda; quoniam virtus, vel semen non nisi in subiecto operatur, proinde que operatio non abstractè, sed concretivè ad subiectum competit ipsi. Quod autem predictus loquendi modus Scripturæ S. supponere debeat, terræ inesse semina ad plantarum productionem, ex eo fit verosimile, quod nisi ita esset, frustrâ, & inaniter ipsi præcipiteret, quod ex ea prodirent plantæ, & frutices; incongruè enim unum ex alio erui diceretur, quod in illo saltim causaliter, & virtualiter non contineretur. Ut ergo terra ex se plantas emittat, opus est, quod ipsas in se seminaliter præhabeat. Quod rursus ex eo solidatur, quod Cœlis non præcipitur, ut producant luminaria, sicut terræ respectu plantarum; non utique alia ratione, ut ait Augustinus P., nisi quia Cœli non habent virtutem ad productionem luminarium, sicut terra ad germinationem plantarum.

58 Angelicus P. r. p. q. 69. art. 2. in corp. sic sententiam Augustini P. confirmat: *Quia, inquit, in illis diebus condidit Deus creaturam originaliter, vel causaliter, à quo opere postmodum requievit: qui tamen postmodum secundum administrationem rerum conditarum per opus propagationis usque modo operatur. Producere autem plantas ex terra ad opus propagationis pertinet. Non ergo in tertio die productæ sunt plantæ in actu, sed causaliter tantum.* D. Thomæ ex Augustino Parente confirmatio ad hoc devolvitur, quod aliud est mundum primò creari, aliud ex ipso jam creato Universum propagari; primum pertinet ad primam mundi institutionem; at secundum ad Universi primitus producti temporalem administrationem, & gubernationem. Manifestum autem est, quod plantæ, & mixta omnia non habuerunt esse per creationem, sed ex præjacente materia per generationem.

59 Legendus insuper est Augustinus P. in hoc lib. 5. cap. 23., ubi pulchrè explicat doctrinam de productione seminali plantarum, quam his verbis concludit: *Quæ cùm ita sint, hic est liber creatura Cœli, terræ: Cùm factus est dies, fecit Deus Cœlum & terram, & omne viride agri, antequam esset super terram, & omne fenum agri antequam exortum est: non sic quomodo facit opere, quo nunc usque operatur per pluviam, & hominum agriculturam; ad hoc enim adjunctum est: non enim pluerat Deus super terram, nec erat homo,*

qui operaretur terram : sed illo modo , quo creavit omnia simul , scenario que dierum numero consummavit ; cum diem , quem fecit , eis , que fecit , sexies presentavit , non alternante spatio temporaliter , sed ordinata cognitione causaliter :: Unde nullam ulterius creaturam instituens , sed ea , que omnia simul fecit , administratorio actu gubernans , & movens , sine cessatione operatur , simul & requiescens , & operans , sicut iam ista tractata sunt . His sufficienter , ut reor , probata manet Augustini positio . Unde oportet , ut argumenta contra illam examinemus .

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

60 Argues i. Nostra conclusio non cohæret cum dictis art. 1. : ergo. Prob. antecedens: ibi diximus, narrationem Moysis historicam esse , & in literali sensu accipiendam ; sed conclusio his non cohæret: ergo. Prob. minorem: si namque litera Moysis narratio historica primę institutionis rerum est , utique ad illam pertinet, rerum primitū factarum enūtiatio , non autem prophetica futurorum prænuntiatio ; sed hoc , & nihil aliud ponimus in conclusione respectu mixtorum ; non enim illa ponimus in opere sex dierum actu producta , sed seminaliter pro tunc , postmodùm decursu temporis extra sex dies actu , & secundùm proprias species in lucem proditura : ergo. Respondeo negando antec. ad probationem , nego minorem. Ad hujus probationem distingo majorem: ad historicam narrationem pertinet rerum factarum enūtiatio , eo modo quo facta sunt , concedo ; aliter nego. Bene veram est , quod litera gesta docet , & nos ad literam sumimus explicandam primam rerum institutionem ; neque alia est intentio Augustini P. in libris de Gen. ad lit. , ut præfert operis titulus , & inscriptio. At Augustinus P. , licet asserat mixta actu , & secundùm proprias naturas extra opus sex dierum fuisse condita , non tamen negat in opere sex dierum esse producta , immò docet , quod & tunc , & nunc ; aliter tamen tunc , aliter nunc ; tunc enim potentialiter , causaliter , & seminaliter ; at posteà secundùm visibiles species formaliter. Unde utrobique res gesta designatur in Scriptura S. : scd Gen. 1. adhuc in seminali ratione ; & Gen. 2. secundùm propriam naturam. Solu-

tio patet ex doctrina Augustini P. in probatione conclusio-

61 Neque prophetica prænuntiatio à literali sensu aliena censenda est, modò rem fiendam vocibus propriè illam significantibus tradat. Undè Prophetę passim literaliter accipiuntur, cùm enuntiant eventum, qui, ut in litera exprimitur, effectum sortitur; cuius rei obvia sunt in Scriptura S. in libris Prophetarum exempla. Cæterū in præsenti nulla admittenda est prophetica eventuum futurorum anuntiatio, licet quandoque interveniat aliqua anticipata locutio, quam communiter admittunt, vel afferere tenentur, quicumque Evam extra sextum diem formatam tuentur, ut infrà cum Ang. Præcept. dicemus; & consentit Pererius ad cap. 2. v. 2. num. 171.; quoniam 6. die dicitur: *Masculum, & feminam creavit eos*; cùm tamen Eva postmodùm esset formanda; enim verò, quia jam existebat in costa Adæ, ex qua erat ædificanda, propterea Scriptura de illa loquitur, ac si esset in propria natura. Sic M. Greg. 32. moral. cap. 9. alias 10. dicens: *Necdum Eva facta describitur, & jam homo masculus, & femina prohibetur; sed quia ex costa Adæ proculdubio erat processura, in illo jam computatur per substantiam, ex quo erat producenda per formam.* Ecce de Eva, ut jam facta, loquitur Scriptura, cùm adhuc esset potentialiter, & materialiter in costa Adæ contenta. An hoc propheticè? minimè; sed per anticipatam locutionem, & quia modo diēto jam præcontinebatur in costa Adæ. Similiter discurrit Augustinus P. de mixtis omnibus, quæ quia erant in elementis potentialiter, & seminaliter contenta, propterea de illis, quasi jam existentibus in propria natura loquitur Scriptura S. in opere 6. dierum.

62 Rarsus necdum in Scriptura S. sexto die Eva facta narratur, verū etiam Dei locutio ad Adam, & Evam directa memoratur, ibi: *Benedixitque illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, que moventur super terram.* Et: *ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna: ut sint vobis in escam.* En quomodo locutio Dei ad Eam 6. die nondūm existentem, sed postmodūm extitaram,

44. DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

dirigitur; cur ergo non ita in opere 6. dierum, cum de mixtis Scriptura S. loquitur, ipsa intelligemus tunc potentialiter, seminaliter, & causaliter duntaxat producta? quippe magis urget Scripturæ S. in 2. cap. cum primo collato antylogia ad hoc secundum, quam ad primum, ut considerationes Augustini P. supra relatas contemplanti patebit.

63 Argues præterea: quoniam 2. cap. Gen. in principio, sic dicitur: *Igitur perfecti sunt Cœli, & terra, & omnis ornatus eorum: complevitque Deus die 7. opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patravit.* Nunc sic: sed mixta omnia vel sunt partes adhaerentes alicui parti principali Universi, vel ornatus ejusdem: ergo intra opus sex dierum perfecta sunt. Sed perfecta esse non possunt, cum in sui seminali ratione continentur: ergo. Rursus: completum esse non habet opus, cum adhuc est in virtute sua cause, immò valde diminutum esse habet pro illo statu; sed Deus complevit opus suum septimo die: ergo. Præterea: cessavit Deus, vel requievit die septimo ab universo opere; sed si adhuc mixta restabant producenda, hoc non verificatur; mixta enim aliquod opus sunt: ergo. Confirmatur: quoniam omne opus pertinens ad completam naturæ institutionem, pertinet etiam ad completum ornatum mundi; sed hujusmodi sunt mixta omnia: ergo.

64 Respondeo explicando textum; & i. quantum ad primam clausulam dicendum pro nunc, quod opus creationis intelligitur perfectum, cum dicitur: *Perfecti sunt Cœli, & terra;* his enim duobus clauditur frequenter opus creationis in Scriptura S., extremis media comprehendendo; ut cum dicitur Exodi 20.: *Sex diebus fecit Deus Cœlum, & terram.* Et Psalm. 101.: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli.* Et Mathæi 11.: *Confiteor tibi Domine Cœli, & terra.* Opus autem creationis certè intra 6. dies perfectum est quantum ad omnia, immò in primo, & unico creationis rerum instanti; ut enim dicitur Ecclesiast. 18.: *Qui videt in aterram creavit omnia simul.* At quantum ad ornatum, de quo loquitur textus objectus, cum distinctione loquendum est; & quidem quoad luminaaria, que sunt ornamenta Cœlorum, concedimus, quod simul actu cum corporibus Cœlestibus creata sunt; quoniam

ad yeram creationem pertinent; neque enim sunt generabilia, sicut mixta, neque, ut dictum est ex Augustino P., Cœli habent virtutem productivam luminarium, sicut terra planarum: simul ergo cum Cœlis fuerunt concreata. Cetera verò mixta in opere 6. dierum fuerint perfecta, modo quod ad opus creationis pertinebant, scilicet, potentialiter, seminaliter, & causaliter, non verò secundum proprias species actualiter, & formaliter; sic enim non ad opus creationis, sed ad opus propagationis, & administrationis mundi spectant, & ad illam operationem, qua Pater usque modò operatur, ut ex Augustino P. dictum est.

65 Quod amplius confirmant sequentia verba textus objecti, ubi consideratione dignum est, quod non dicit Sacer textus absolute, & simpliciter, quod complevit Deus omnia omnino opera, sed sic: *Complevitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patravit.* Magnum autem interest discriminus inter hæc dicta; ampliorum enim significationem habet prima propositio, quam reliqua Sacra Scriptura; quippe in istis *li opus suum, quod fecerat, & quod patravit* aliquam restrictionem important. At nunquid limitatio hæc erit à nobis intenta? An congruum apparebit, quod Deus *opus suum* vocet determinate opus creationis? Utique; quippe creationis modus operandi soli Deo competens: unde illud, quod adjicitur, *quod fecerat*, designat cum restrictione opera per creationem facta, quæ sunt partes principales Universi, & luminaria.

66 Et quia hanc considerationem futilem imaginationem meam facile quis reputabit, placet eam ex modo loquendi Scripturę S., & ratione confirmare. Ex Scriptura quidem: quoniam loquens Sacer textus de quounque opere creationis hunc stylum servat: *In principio creavit Deus Cœlum, & terram. Dixit Deus, fiat lux: fiat firmamentum. Congregentur aquæ, & appareat arida: fiant luminaria in firmamento Cœli.* Quo loquendi more innuere videtur Scriptura S., Deum se solo, & per veram creationem ex nihilo, ac per consequens modo sibi proprio hæc creationis opera condidisse. At cùm de mixtorum productione sermonem insituit, longè aliter loquitur Scriptura, sic pimilium: *Germinet terra*

herbam virentem : producant aquæ reptile anima viventis, & volatile super terram : producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptibilia, & bestias terræ. In hoc autem loquendi genere admittere videtur Deus aliqualem concursum clementorum ad productionem mixtorum ; qui operandi modus non est maximè proprius Dei ; quippe ex præjacente materia effectum ad esse suam perducens. Congruenter ergo cum Sacer textus dicit cap. 2. Gen., quod complevit Deus die septimo opus suum, quod fecerat, nos per opus Dei intelligimus opus maximè proprium ipsius, scilicet, opus creationis, & opus in cuius productione se solo agit, nullumque prorsus creaturæ concursum admittit. Et simul insinuata manet ratio, quam supra pro hoc stabiliendo premisimus, quia nempe opus proprium Dei, ut in modo operandi ab agente creato distinguitur, est opus creationis, & ex nihilo ; dum è contrâ agens secundum semper agat ex præsupposito subiecto, & præjacente materia, ut inductione notum est.

67 Pro quo amplius firmando, observatione dignum est, quod cum 6. die Scriptura ad productionem hominis sermonem convertit, postquam ad bestiarum effectiōnē dixerat : *Producat terra animam viventem*; ad hominis conditionem narrandam Dei solius concursum memoravit, dicens : *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; licet enim hominem, qua corporeus est, de terra plasmaverit, quia tamen simili spiritualis est, & anima rationali, solùm creabili, constat, propterea ad ejus productionem, ad differentiam cæterorum mixtorum, solus Deus agens, & conditor ejus à Moysi manifestatur : ergo idem quod prius. Benè verum est, quod mixta etiam opus Dei sunt; *quis enim*, inquit Augustinus P. 5. de Gen. ad lit. cap. 11., *operatur hec omnia, nisi Deus etiam sine illo tali suo motu?* Auctor ergo, & conditor universorum est Deus, veruntamen specialiori modo respectu operum, quæ per veram creationem, & ex nihilo facta sunt : ut propterea hoc opus jure optimo vocet Scriptura opus suum. Hinc patet ad totum argumentum solutio : cum enim mixta in opere creationis seminaliter sunt contenta, perfecta, & completa sunt, prout ad opus creationis spectant, licet postmodum ad
huc

huc sint perficienda secundum quod ad opus propagatio-
nis pertinent. Aliter ergo, inquit Aug. P. tunc, aliter nuac-
producuntur.

68 Quomodo autem mundus perfectus, & comple-
tus sit intelligendus in opere sex dierum cum sola præconti-
nentia mixtorum in seminali ratione eorum, docet Augusti-
nus P. 5. de Genes. ad lit. cap. 23. ubi ait: *Consideremus ergo
cujuslibet arboris pulchritudinem in robore, ramis, frondibus,
pomis: haec species non utique repente tanta, ac talis est exorta,
sed quo etiam ordine novimus. Surrexit à radice, quam terræ
primum germen infixit, atque inde omnia illa formata, &
distincta creverunt. Porro illud germe ex semine: in semine ergo
illa omnia fuerunt primitus, non mole corporee magnitu-
dinis, sed vi, potentiaque causaliter. Nam illa magnitudo
copia terræ humoris congesta est. Sed illa in exiguo grano
mirabilior, prestantiorque vis est, qua valuit adjacens humor
commixtus terre, tanquam materies verti in ligni illius quali-
tatem, in ramorum diffusionem, in foliorum viriditatem, &
figuram, in fructuum formam, & opulentiam, omniunque
ordinatissimam distinctionem. Quid enim ex arbore illa sur-
git, aut pendet, quod non ex quodam occulto thesauro feminis
illius extractum, atque depromptum est :: sicut autem in
ipso grano invisibiliter erant omnia simul, que per tempora
in arborem surgerent: ita & ipse mundus cogitandus est, cum
Deus simul omnia creavit, habuisse simul omnia, que in
illo cum illo facta sunt, quando factus est dies: non solum
Cœlum cum Sole &c., sed etiam illa, que aqua, & terra pro-
duxit potentialiter, atque causaliter, priusquam per tem-
porum moras ita exorirentur, quomodo nobis jam nota sunt in
eis operibus, que Deus usque nunc operatur. Ecce mundus in
principio, cum Deus simul omnia fecit, cogitandus est,
habuisse simul omnia, que in illo cum illo facta sunt, non
solum opera creationis, sed etiam propagationis; verum illa
actu, ista potentialiter; sicut in grano feminis, v. g., con-
tinentur omnia, que postmodum sive in robore arboris,
sive in ramorum diffusione, in foliorum viriditate, in fruc-
tuum forma, & opulentia apparent; quin & mirabiliori
modo velut in occulto thesauro granali illius latent, quam
post in propria specie apparent. Sic mixta in elementis con-
tineri confenda sunt.*

DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

69 Argues praterè ex Suario, & à Sancto Thoma: Unia tertio die non solum dictum est: *Gerninat terra herbam virentem*: sed etiam additum est; *& factum est ita*. Quid autem fuerit factum declaratur, cùm subditur: *Et protulit terra herbam virentem*, *& facientem semen juxta genus suum*, *lignumque faciens fructum &c.* Ubi in his, inquit Suarez, non video, quomodo possit verbum illud: *protulit terra de productione in semine verificari*; quia terra, si prius habuit semen, quèm plantam, non protulit illa semen, sed potius à Deo recepit: ergo si protulit herbam, ut Scriptura dicit, oportet, quòd herbam in actu, non in semine, seu virtute produxerit. Accedit, quòd Scriptura statim declarat, qualis illa herba fuerit, scilicet, *herba virens*, *& faciens semen*, *& lignum faciens fructum*, *& habens fermentem*; ubi distinguendo herbam, & lignum à semente, manifestè declaratur, non produxisse terram herbam in semine, vel lignum in Semine, sed potius produxisse herbam, & lignum, à quibus semina simillimum rerum procedunt. Præterea: in aliquibus fructus, & semen idem sunt: ergo non potuerunt prius in semine, quām in fructu fieri, ut in tririco, & pomio videre licet: ergo illa non potuerunt fieri in primo instanti creationis in virtute, seu in semine magis quām in actu, cùm utroque modo sint ejusdem naturæ: ergo facta sunt tertio die, non ut semina, sed ut fructus, vel saltim in herba, sicut ad literam narrantur facta. In lignis autem, seu arboribus, licet semen soleat à fructu distingui, etiam ipsum semen est quoddam mixtum, quod non magis potuit in principio creari, quām cetera mixta; post instans auctem creationis, prius dicendum est, talia semina esse facta in ipsis lignis, & arboribus, ut Scriptura sonat, quām & converso.

70 Confirmantur hæc omnia ex M. à Sancto Th. hic pum. 2, dicente: Non enim solum dicitur in Scriptura: *Producant aquæ volatile*, *& reptile*, sed additur, quòd *creavit Deus Cœlestes grandia*, *& omnem animam viventem*. Nec solum dicitur; *producat terra animam viventem*; sed etiam additur: *& fecit Deus bestias terre juxta species suas*. Nec solum dicitur, creasse cœlestes grandia, & omnem animam viventem; sed etiam, quòd benedixit eis, & dixit: *Crescite*, *&* m. 2, 2

multiplicamini, & replete aquas maris. Ex quibus infert: Si Deus creavit pisces, & aves, si fecit bestias terre, si benedixit eis, & dixit: *Crescite, & multiplicamini, & additur semper,* *& factum est ita intra illam quintam diem, & intra illam sextam, quomodo potest intelligi, quod in illa die non fuerint facta in actu, sed solùm in potentia ista viventia?* Quid enim fecit Deus, & quid factum est, si non fecit res istas in actu, & ipse in actu factæ sunt? Et quid benedixit, & jussit, ut multiplicarentur, & crescerent, si nondùm erant in actu pisces, & aves, quibus benediceret? Certè negari non potest, hominem sexto die factum esse in actu, & non solùm in potentia, cum dicitur, quod Deus creavit illum in hac die, quod dederit ei omnem herbam, & lignum in escam, quod tulerit eum in Paradisum, quod vocaverit Adam unumquodque animal secundum nomen suum, quod dormierit, quod ex ejus costa formata sit Eva. Omnia hæc quomodo possunt convenire homini in potentia, qui nondùm est homo? Ergo homini vero, & verè existenti convenient, ac proinde etiam animalia sunt in actu producta. Hæc uterque gravissimus Mag. que maximum pondus, extrinseca objicientium probabilitate fulcitum, habent. Ceterum onus, quo argumentum gravat, & premit, tale non est, cui succumbere sit necesse.

71 Respondeo ergo ad illud per partes, & ordine, quo objicitur. Et ad primum Exim. D. dico: quod si factum est ita, in phrasi Moysis in praesenti vim non habet ad intentum argumenti; quoniam sexto etiam die post plurima, que ibi narrantur, illud idem additum subditur, nec tamen determinat omnium illorum positionem in actu, & formaliter, & secundum species proprias in rerum natura. Dictum enim est ibi: *Masculum & feminam creavit eos.* Item: *benedixitque illis Deus.* Rursus: *crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Præterea: *Dominamini piscibus maris &c.* Deinde esca illis, bestijsque designatur ad sui alimentum in plantis. Et demum post hec omnia subditur: *Et factum est ita.* En idem additum objectionis. At nunquid determinat omnium, que si factum est ita afficit, positionem in actu? Minime. Vidi mus namque supra num. 61. ex B. Greg. Magn. quod, cum nondùm Eva produceretur, jam homo masculus & femina prohibebatur; quia nimis jam Eva in Adam materialiter

50. DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

præcontinebatur: ergo li *factum est ita* in 1. Gen. non denotat rei, quam afficit, actualem in se existentiam præcisè, sed virtualem, & potentialem, secundùm quòd exigat contextus literæ; vel actualem, modò non occurrat antylogia in oppositum cogens.

72 Scio P. Suarez lib. 3. de opere 6. dierum cap. 4. num. 12. sentire, Evam sexto die, post aliquam durationem subsequentem ad productionem Adæ, fuisse ex ejus costa ædificatam: unde redargutio facta, quantum ad Evam, ipsum non comprehendit; at aliam ex eodem textu factam effugere non valebit, quam sic formo: Secundùm argumentum Exim. Doct. quodcumque Gen. 1. determinat li *factum est ita*, debet intelligi executioni mandatum quoad actualem existentiam: ergo illud *crescite, & multiplicamini*, quod afficit li *factum est ita*, sexto die fuit impletum. Atqui hoc negat laudatus Doctor, lib. 4. de amissione status innocentia cap. 8. numero 13. ubi cum Hieronymo, & Augustino tenet Adam, & Evam in Paradiso virgines permanisse; & ibidem cum Abulensi probabilius judicat, altero die creationis suæ peccasse, & eodem è Paradiso fuisse ejectos: ergo li *factum est ita* non determinat actualem positionem in re cujuscumque rei, quam afficit: ergo quòd postquam Scriptura S. dixit, *germinet terra herbam virentem, &c.* subdatur: *O factum est ita*, in causa non est, ut illud actu credatur extra causas positum. Omnia ergo illa in Scriptura in opere 6. dierum de mixtis dicta, prænuntiantur à Moysi per anticipatam locutionem mox futura, & à Deo movente, ex seminali ratione terræ in principio indita, statim in aspectabiles corporales species proditura.

73 Unde ad secundam partem argumenti, ubi non capit Eximus Doctor quomodo possit verbum illud: *protulit terra*, de productione in semine verificari; quia, nimirum, terra, si prius habuit semen, quam plantam, non protulit ipsa semen, sed a Deo recepit; respondeo, quòd li *protulit terra*, denotat (sic ait Augustinus) *producendi accepisse virtutem*, quod satis ostensum est in probatione, & rursus vide dicta num. 56. Nec probatio contrarium evincit; quoniam verum est, quòd terra semen, vel virtutem, qua primò plantam produxit, à Deo accepit: illa tamen supposita, produxit plantam, in se vim, vel semen habentem ad alterius ejusdem speciei

generationem. Sensus ergo illorum verborum est, quod terra habuit virtutem productivam plantarum, in quibus similiter esset semen ad propagacionem, & continuationem speciei decursu temporis fiendæ. Nec quod Scriptura declareret (& sumus in 3. parte argumenti) qualitatem herbarum, scilicet, quod esset *virens*, & *faciem semen*, &c. distinguendo herbam à semine, quidquam dictis obest; quoniam ibi anticipatè declaratur, quales futuræ erant plantæ, ut dictum est.

74 Ad quartam partem argumenti, qua dicitur, quod in aliquibus plantis fructus, & semen idem sunt: ergo non potuerunt prius in semine fieri, quam in fructu; respondeo, negando antecedens. Aliud namque est, semen quandoque in fructu esse, aliud autem cum fructu identificari; primum verissimum est, ut in exemplis argumenti manifestum est; at secundum falsum; quoniam semen formaliter sumpturn, consistit in qualitate quadam activa in aliquo subjecto occulta. Ex hoc autem duntaxat infertur, quod illa qualitas respectu tritici, v. g., in opere sex dierum non resideret in grano tritici, sed in terra. Nec per hoc in prima rerum institutione contra preceptum Aug. P. miraculum introducimus, (ut tacitæ replicæ satisfiat) ex eo nimis, quod dicta qualitas tunc non existeret in subjecto connaturali. Non, inquam, in hoc miraculum intervenit; quoniam licet respectu ordinariæ, & communis generationis tritici, v. g. subjectum connaturale semen sit granum ejusdem, nihilominus cum primo Deo solùm ipsum effienter producente, virtus seminalis ad ejus generationem concurrit, illud dicendum est subjectum connaturale virtutis, quod Domino placuerit ad hoc assumere; quippe, ut ait M. P. 6. de Gen. ad lit. cap. 13.: *Deo hoc est natura, quod fecerit*, intellige, cum naturam instituit, & cum ipse solus operatur. Hinc pro hominis productione liberè elegit limum terræ, ut materiam, cum ad nutum voluntatis suæ posset assumere aliam; & pro edificanda Eva non assumpsit semen virile, quod in ordinaria prolis humanæ generatione, ut virtus instrumentaria, semper concurrit, sed costam Adæ; & hoc non alia ratione, nisi quia Deus cum absque creaturæ confortio agit, non ligatur legibus naturæ ordinarijs; ut etiam cernere licet in eo, quod mixta omnia, illicè in primo sui à Deo processu suum ultimum complementum

tum substantiale, tum quantitativum, & accidentale attigerunt, quippe Dei perfecta sunt opera, & nescit tarda molimina virtutis ejus omnipotentissima efficacia; oppositum autem experimur in mixtorum generatione ordinaria, quæ gradatim, & decursu temporis paulatim suam perfectionem acquirunt.

75. Sic expedita difficultate argumenti Suarij, ad confirmationem ex Joanne à Sancto Thoma patet solutio; quoniam quod creavit Deus cœte grandia, & omnem animam viventem, &c. & factum est ita, accipienda sunt secundum anticipatam locutionem dicta, propter fundamenta Augustini P. sapè in articulo inculcata. Et instantiæ nuper factæ manifestè convincunt, infirmas esse omnes illas ponderationes; quoniam eodem fundamento retorquentur omnes ille in Eva. Si enim sexto die dicit Scriptura Sacra: *Masculum, & foemina* *creavit eos;* Si benedixit eis, & dixit: *crescite & multiplicamini,* & additur, quod factum est ita intra illum sextum diem, quomodo potest intelligi, quod in illo die non fuerit facta Eva in actu, sed solum materialiter in costa Adæ? Quid enim fecit Deus, & quid factum est, cum dicitur, *masculum, & foemina* *creavit eos,* si Eva nondum actu est producta? Et quid benedixit Deus, & jussit, ut multiplicarentur, si adhuc restabat Eva ex costa Adæ adificanda? Ecce instantiam eiusdem terminis contra hunc Auctorem factam. Solutio ergo nostra erit ejus doctrina ad fugiendam retorsionem danda.

76. Nec urget, quod de homine addit à S. Thoma; quod enim ipse negari non posse dicit, hominem sexto die actu fuisse productum, inficiatur disertis verbis Augustinus P. num. 50. citatus, ubi nec vitam duxisse Adam. 6. dic, nec locutionem Dei ad se directam audisse; nec infans quidem fuisse, nec puerperium in ventre Matris; nec demum visibile semen hominis fuisse docet. Et quæ ad probandum oppositum adducit Sapientissimus Magister instantiæ manifestè in Eva, de qua magis ihnegabile mihi appetet, stando literæ D. Thomæ, quod non fuerit sexto die producta actu; Angelicus enim Doctor I. p. quæst. 73. art. 1. ad 3. dicit, quod nihil postmodum à Deo factum est totaliter novum, quin aliqualiter in operibus scilicet dierum predecessorit. Quedam enim præexistenterunt materialiter: sicut quod Deus de costa Adæ formavit mulierem. In his

his Divus Thomas manifestè docet, quòd Eva materialiter præextitit in operibus sex dierum.

77 Negat tamen Joannes à Sancto Thoma in opere sextæ diei num. 30., quòd Eva 6. die non fuerit formata, & asserit, quòd oppositum minimè docet D. Thomas. At, ut opinor, in hoc recedit Joan. à Sancto Thoma à sententia Ang. P., ut consideranti ejus verba patebit; quoniam S. Thomas ibi clare docet, quòd quædam in opere sex dierum aliquatenus præcesserunt; quam aliqualem, vel diminutam existentiam eorum, quæ post sex dies actu & completem producta sunt, determinans, & singulatim de omnibus explicans, de Eva dicit, quòd connumeratur inter ea, quæ materialiter præexistit; fuit enim in costa Adæ, tamquam in causa materiali si ergo negari non potest, quòd Eva non fuit materialiter tantum in 6. die; quod amplius patebit ex intentione argumenti, quod ibi solvit D. Thomas, quæ erat ostendere, quòd quædam extra opera 6. dierum producta fuerunt, ut exinde sequeretur, quòd non compleverit Deus die septimo opus suum. Si ergo Eva actu & in se in 6. die fuisset producta, ut quid, rogo, solutio recurreret ad præcontinentiam ipsius in costa Adæ, & materialiter? Sanè otiosum videretur hujusmodi effugium; sufficeret namque dicere, quòd Eva fuit intra 6. dies actu producta; vel potius non erat necessarium de ipsa verbum facere, sicut non meminit D. Thomas in solutione illâ eorum, quæ actu in opere 6. dierum fuerunt producta. Cum ergo Angelicus Preceptor recurrat ad præexistentiam Eva in costa Adæ, manifestum est, quòd ipsa duntaxat hoc modo fuit 6. die.

78 Dices ex Joanne à Sancto Thoma ibi, solutio nem D. Thomæ esse adæquatissimam, & superabundantem, quia voluit complecti, non solum ea, quæ post septimum diem facta, sunt in quo ponebat vim argumentum, sed etiam ea, quæ in ipso sexto die facta sunt, post species, & genera rerum producta. Quare non negamus, inquit, quòd li posmodum referat post septimum diem, ut petebat argumentum; sed dicimus, quòd non solum refert post septimum diem, sed etiam refert ea, quæ sexto die post facta animantia, & hominem, formata sunt à Deo; ergo non solum solvit argumentum, sed etiam abundantius solvit. Sed hæc solutio, pace tanti Mag.

voluntaria est; extendit enim doctrinam D. Thomæ ultra id, quod de præsenti tractat, præter morem suum, qui ea mirabilis distinctione, & dearticulatione quamlibet difficultatem seorsim versat, quod nullam alteri immisceat; si autem ibi loquitur, tum de his, quæ extra 6. dies formata sunt, & simul de his, quæ intra sextum diem, licet duratione aliqua post facta animantia, tamen actu illo die facta sunt, non ita distinctè, immò extra propositum procedit D. Thomas; quia, ut nuper arguebamus, argumentum loquitur de his, quæ actu extra sex dies facta sunt, & solutio confirmiter ad doctrinam corporis articuli, salvare debet aliqualem existentiam intra sex dies, eorum, quæ extra 6. dies facta sunt; neque enim ad rem pertinet præexistentia, tamquam in causa materiali, eorum quæ actu intra 6. dies fuerunt; quippè ex his argumentum contra conclusionem fieri non potest: ergo loquitur de Eva ex suppositione, quod extra 6. dies fuerit in se ex costa Adæ adficata. Prætereà, si Eva, quia post animantia, & Adam fuit producta, dicitur quod intra sex dies fuit materialiter in costa Adæ præcontenta, similiter de Adam posset dici, quod intra sex dies materialiter præexitit in limo terræ, quia duratione aliqua post animantia fuit productus; sed hoc non dicent adversarij: ergo. Et quidem Magister Bañez, & Eximus Doctor senserunt, quod Angelicus Præceptor docuit, Eam fuisse actu extra 6. dies adficatam.

79 Sed adhuc contra solutionem principalis argumenti insistes: Non enim apparet, quomodo potuit verificari, quod Deus benedixerit primis Parentibus, & sexto die illos allocutus fuerit, dicens: *crescite, & multiplicamini*, cùm nondum existerent. Quid enim dicebat, aut ad quem dirigeretur sermo Dei, cùm nondum esset, qui audiret, aut intelligeret? Hanc replicam sibi objicit Augustinus P. 6. de Gen. ad lit. cap. 28., & solvit ibi dicens: *Possim respondere, sic eos allocutum Deum, quemadmodum Christus nos nondum natos, etiam longè post futuros, nec tantum nos, sed etiam eos omnes, qui futuri sunt post nos.* Omnibus enim dicebat, quos suos futuros videbat; ecce ego vobis sum usque ad consummationem seculi; sicut Deo notus erat Propheta, cui dixit: priusquam te formarem in utero, noti te; sicut designatus es Levi, cùm esset in lumbis Abrabæ; Cur enim

non ita & ipse Abraham in Adam, & ipse Adam in primis operibus mundi, que Deus creavit omnia simul? Et post pauca explicat, quid faciebat ille sermo, & ad quem dirigebatur, dicens: *Ipse sermo ejus ante omnem aeris sonum, ante omnem carnis, & nubis vocem, in illa summa ejus Sapientia, per quam facta sunt omnia, non quasi humanis auribus instrepebat, sed rebus factis rerum faciendarum causas inferebat, & omnipotenti potentia futura faciebat, hominemque suo tempore formandum, in temporum tamquam semine, vel radice condiebat, quando condebat omne, unde inciperent saecula, ab illo condita, qui est ante saecula.*

80 Sic ergo juxta Augustinum P. Deus loquebatur primos Parentes, quemadmodum Christus Dominus allocutus est omnes, quos suos futuros videbat, quando dixit: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi;* & rursus in allegatis illis locutionibus sermo Domini non humanis auribus instrepebat, sed rebus factis (scilicet per veram creationem) rerum faciendarum (nempè mixtorum) causas inferebat, & futura in eorum seminali ratione faciebat, hominemque, postmodum in se faciendum, prius in temporum radice (idest in opere creationis) condebat: illa ergo divina locutio non dirigebatur ad hominem existentem, sed erat ipsummet Verbum Divinum, quod est vivus sermo Dei, & efficax, inserens rebus in principio creatis virtutes semifinales, & rationes causales mixtorum, ex quibus postmodum suo tempore, scilicet, cum Deus Universum à se conditum administraret, & varijs rerum speciebus propagaret, & ipsæ in auras lucis visibiles prodirent.

81 At contra hanc M. P. doctrinam militare videatur alia ejusdem infrà latius tractanda. Quoniam Augustinus Parens per illam trinam repetitionem Scripture S., nimirūm: *Dixit Deus fiat :: & factum est ita :: & fecit Deus,* denotatur triplex processus rei; primus in Verbo Dei, secundus in mente Angeli, tertius denique in propria natura: cum ergo in opere tertij, quinti, & sexti diei in mixtorum productione triplex illa repetitio ponatur, in aliqua earum productio mixtorum in propria natura designatur: ergo non seminalis rationis in opere creationis precontinentia: ergo M. P. Augustinus non sibi constat. Et præterea, explicandum restat, quid

§6 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

veniat intelligendum nomine illius seminalis , & causalis rationis , quam Deus primis operibus juxta Augustinum inferebat.

82 Respondeo; quod profecto Augustinus illam trinam verbi facere repetitionem sic intelligendam profundissime, & subtilissime meditatur: at ex hoc non infertur, quod propterea ad sensum ejusdem cogamur dicere, quod mixta actu in opere 6. dierum fuerunt producta secundum suas visibles species; aliud namque est, mixta designari secundum propriam naturam, vel in propria natura creata in aliqua ex dictis repetitione illius verbi; aliud autem longe diversum, ipsa actu, modo dicto, esse producta. Primum concedimus, secundum vero negamus; quoniam ad primum sufficit, quod mixta seminaliter insint primis operibus Dei; hoc enim dato, jam natura mixtorum vere in operibus Dei existit, immo, ut ex M. P. vidimus num. 68., mirabiliori, praestantiorique modo existunt in plantarum semine, quam actu, & in se, omnia, quae sunt in arboribus post actualem earum productionem, sive in ramorum diffusione, in foliorum viriditate, ac figura, in fructuum forma, & opulentia, omnium que ordinatissima distinctione; omnia quippe ex occulto semenis thesauro sunt extracta, atque deponpta. Et rursus, quodcumque semen ex his, quae primitus elementis sunt indita, talis indolis, & naturae est cogitandum, quod non sit indifferens, ut quolibet mixtum ex illo fiat, sicut ens ratione potentie obedientialis indifferens est per ordinem ad omnipotentiam Dei, ut quod ipse maluerit ex illo, cum illo, vel in illo faciat: sed ita est ad hanc speciem rerum determinatum, ut ordinaria providentia haec species pre alia ex illo oriatur. Ex quo patet, quod determinata haec natura sit in illo, ac proinde in illis seminalibus rationibus propria natura mixtorum jam existit extra Verbum, & mentem Angelicam. Unde verificatur illa tripla repetitio, prima per hoc, quod mixta sint in mente Artificis; secunda per hoc, quod sint in mente Angeli media specie rei; & tertia per hoc, quod sint in seminali mixtorum ratione.

83 Potest etiam doctrina haec confirmari, ex V. N. Philippo Abate Bonae spei Epist. in proemio citata, ubi haec habet non longe post medium: *Aliquoties enim dicitur esse factum*.

tum, quod tamen nondum penitus est peractum, habens quantum rei convenit introbat, nondum habens quidquid habendum est consummatum. Sic nimirum cum nascitur germe de semine, & profertur arbor de germine, statim ut educta de tenebris ad auras luminis evocatur, cunctis instuentibus species arboris demonstratur. Dicit qui inspicit, non hoc est terra, non lapis, sed arbor: dicit & fortè cuius generis arbor, & tamen nondum est illic florarum varietas speciosa, non denique pomorum suavitas fructuosa. Hæc autem omnia et si nondum ex illa, vel cum illa nova arbore videntur exoriri; posse sunt tamen in illa non realiter, sed causaliter, & potentialiter inveniri: quæ quamvis ex illa non eliciat manus curiosa cultoris, elicit tamen vis naturaliter insita per potentiam creatoris. Quamvis ergo res adhuc sit inchoata, & nondum plenariè consummata; nihilominus jam potest designari multitudines ejus natura; quoniam ibi causaliter, & potentialiter con-tinctur, sicut flores, & fructus in arbore. Similiter ergo in prima rerum institutione, licet mixta in seminalibus rationibus duntaxat essent contenta, non est dubitandum, quin Angelis saltim, res plenè & comprehensivè cognoscentibus, es-sent manifesta, ut innuit Augustinus P. num. 54. citatus; & hoc sufficit, ut dies in ordine ad cognitionem Angelicam, constituantur, ut infra art. 5. dicemus.

84 Ad id, quod in replica additur de seminali ratione, quod, videlicet, difficile est assignare, in quo consistat, fateor non facile hoc investigari posse, & forsitan hæc gravis difficultas à Sapiente insinuatur, cum Proverb. 25. di-cit: Cœlum sursum, & terra deorsum, & cor Regis inf-erabile. Enimvero respondeo imprimis, hoc ad Philosophos pertinere, qui communiter in aliqua qualitate occultâ illam statuunt. Quod autem nostra interest, dicendum cen-seo; quod rationes seminales nihil aliud sunt, quam virtutes activæ, & passivæ ad mixtorum productionem; & hæc quidem virtus ad plantarum generationem terræ elemento inest, & etiam ad bestiarum, seu animalium productionem; respectu vero natatilium, & volatilium in aquis residet; vel tandem respectu omnium animantium in terra prædictam virtutem collocabis, secundum illud Gen. 2.: Formatis igitur de bu-mo cunctis animantibus terre, & univerfis volatilibus Cœli.

Hæc doctrina satis apertè colligitur ex modo loquendi Scripturæ S. : de plantis enim dicit tertio die : *Germinet terra herbam virentem* :: & *lignum pomiferum* &c. Et subditur : & *protulit terra herbam virentem* &c. Similiter 5. die : *producent aquæ reptile* :: & *volatile*. Et demùm 6. die : *producat terra animam viventem* &c. Qui modus loquendi manifestè indicat , elementis inesse virtutem productivam mixtorum; neque enim alicui imperari potest productio effectus , cuius præcontentiva virtus non presupponatur in ipso ; quia nemo dat , quod non habet : ergo ad hujusmodi imperium Dei exequendum debet ab ipso accipere terra fecunditatem ad planitarum productionem. Et idem dicendum de aqua respectu volatilium,& natatilium. Pater hoc amplius ab opposito; propterea enim, ut ex August. P. dictum est , non dicitur quarto die : producant Cœli luminaria , quia , scilicet , non habent Cœli virtutem ad ipsorum luminarium productionem : ergo eatenus dicitur : *germinet terra herbana virentem* , quia est seminalis ratio ad hujusmodi effectum in terra. Et demùm quidquid sit , an nos possimus cognoscere hujusmodi virtutem seminalem , proculdubio Angeli illam comprehendant , quod sufficit ad intentum Augustini P.

85 At solutio opponitur , inquies , communi Auctorum sensui , dicentium , quòd in prima rerum institutione solus Deus fuit Auctor , & conditor naturæ , solusque ille fuit effectiva causa omnium , quæ à Moysè narrantur producta. Sie que licet mixta fiant ex præsupposito subjecto , tunc ad modum creationis fuerunt producta ; quoniam Deus sine prævijs dispositionibus statim illa in unico instanti ad suam ultimam perfectionem perduxit. Si autem in terra præcessissent virtutes semifinales , ille influxum activum haberent erga productionem mixtorum ; quod opponi videtur Scripturæ S. dicenti : *Terra autem erat innanis , & vacua* : si ergo vacua , non utique semifinis plena , neque virtute illorum mixtorum effectiva. Respondeo , quòd certè Universi , & omnium , quæ in illo continentur , Auctor est Deus , ex quo omnia , per quem omnia , in quo omnia ; diversimode tamen , quoniam respectu operis creationis ipse solus operabatur ; nec certè aliter fieri poterat ; quippè in creatione fit transitus ex non ente ad ens : ratiæ ergo , sub qua agens per creationem attingit effectum , est

est ens, cuius universalissima, atque vastissima amplitudo non potest sub finita, & limitata agentis creati activitatis sphera contineri. Quapropter agens creatum supponere debet in agendo rationem entis, qua supposita, agit in determinata linea immutando ens: igitur cum Deus creando agit, nullum causarum secundarum confortium, & cooperationem admittit; unde Angelos, Ccelos cum luminaribus, & clementa solus Deus ex nihilo produxit.

86 At vero respectu mixtorum aliter se gessit Deus in prima eorum productione; quoniam imprimis non per creationem, & ex nihilo illa condidit, sed ex praecedente materia. Unde in cap. 2. Gen. dicitur: *Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave.* Et ibidem: *formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae, & universis volatilibus Cæli.* Terra ergo, vel aliquod elementum concursum, saltem in genere cause materialis, exhibuit erga productionem mixtorum. Ulterius etiam aliud influxum effectivum elementa præstisset, non obscurè docet Augustinus P. 13. de Trinit., dicens: *Omnium rerum, que corporaliter nascentur, occulta quedam semina in ipsis corporeis mundi elementis latentes.* Et rursus 3. de Trinit. ait, quod sicut Matres gravidæ sunt factibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascentium. Manifestum autem est, quod hæ locutiones Aug. P. vim, & concursum plusquam materiale important in elementis respectu mixtorum, ratione feminis elementa gravidae, & secundantis ad productionem eorum.

87 Hujusmodi autem semina, ut docet Angelicus Praeceptor 1.p. q. 115. art. 2. in corp. ex Augustino P. 6. de Gen. ad lit.: *Sunt virtutes actives, & passives, quæ sunt principia generationum, & motuum naturalium.* Et in multiplici ordine considerari possunt. Nam primò quidem sunt principaliter, & originaliter in ipso Verbo Dei secundum rationes seminales. Secundò vero sunt in elementis mundi, ubi simul à principio mundi productæ sunt, sicut in universalibus causis. Tertio vero modo sunt in his, quæ ex universalibus causis secundum successiones temporum producuntur, sicut in hac planta, & in hoc homine, tamquam particularibus causis. Quarto modo sunt in seminibus, quæ ex animalibus, & plantis

80 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

producuntur ; que iterum comparantur ad alios effectus particulares sicut primordiales cause universales ad primos effectus producendos. Ex his autem diversis modis, quibus illæ virtutes, seu rationes semifinales considerari possunt, solus secundus facit ad nostrum intentum , & examinare oportet, quomodo se habuerint elementa cum illis rationibus semifinalibus ad primam productionem plantarum , & cæterorum mixtorum , quod exigebat argumentum.

88 Et respondeo ex D. Thoma loco citato, ubi tertium argumentum sic proponit : *Semen est principium activum ; sed in materia corporali non est principium activum, cum materie non competit agere : ergo in materia corporali non sunt semifinales rationes.* Ecce argumentum, quod idem inconveniens deducere conatur, ac supra à nobis propositum, respondet ergo Angelicus Præceptor: *Ad tertium dicendum, quod semen maris est principium activum in generatione animalis : sed potest etiam dici semen id, quod est ex parte feminæ, quod est principium passivum.* Et sic sub semine comprehendendi possunt vires activæ , & passive. Ubi invenire videtur S. Doctor, quod illæ virtutes semifinales sunt virtutes passivæ in elementis, ad modum seminis feminæ ; qua ratione intelligitur dictum M. P. Quod , nimirum , sicut Matres gravide sunt fetibus , sic ipse mundus est gravidus causa nascientium. Virtutes autem semifinales fœminarum quamvis passivæ concurrant ad proli generationem, sunt nihilominus aliquid à materia distinctum.

89 Enimvero , ut in corp. art. præmiserat ibi Ang. P. , hujusmodi semina sunt virtutes activæ , & passivæ in elementis , & ad mentem Augustini P. hic adstruit D. Thomas semifinales rationes in materia corporali , & elementa ratione illarum se habent ut universales causæ respectu mixtorum, ut etiam dixerat S. Doctor in corp. art. Causæ autem universales non producunt mixta saltè perfecta , & quæ non sunt exceptrefactione ; ad hoc enim , ut sàpè docet Angelicus Præceptor , & Albertus M. lib. de 4. coævis tract. 4. q. 70. art. 2. in cap. , necesse est efficientia esse in simili actu cum effectis, ut homo hominem , & Leo Leonem producit. Unde cum in prima rerum institutione respectu mixtorum perfectorum non præcesserint efficientia in simili actu , sit inde , quod illæ vir-

ART. III. AN OPIFICIUM MUNDI, &c.

ties seminales in elementis non sufficiebant ad eorum productionem, nec activè concurrebant ad ipsorum generationem. Unde solus Deus illa formavit, non defectu rationis seminalis, sed defectu agentis determinati, & ejusdem rationis cum effectu. Vide etiam D. Thomam 1.p. q. 91. art. 2. ad 2. & 4. & q. 71. art. unico ad 1.

90 Mixta verò imperfecta, tametsi ad sui productionem non requirant agentis homogenei concursum, sed ex elementorum commixtione, & virtute activa ceterorum possint generari; nihilominus non præcessit in principio creationis ad productionem eorum in materia debita dispositio. Et propterea fortassis Script. S., quasi causam assignans, cur plantæ non fuissent ex terra ortæ, dicit cap. 2. Genesis: *Non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur eam.* Ac si diceret: licet tertio die accepisset terra à Deo virtutem seminalē ad cunctendum ex se plantas, ipsam tamen tunc non potuit explicare defectu dispositionis materiae; manifestum est enim, quod humiditas, & hominum cultura coaptant, & disponunt terram ad generationem plantarum. Ex quibus patet, cur in principio Deus fuerit unicum efficiens omnium omnino entium Universum constituentium, & perficientium, licet in elementis præcesserint virtutes seminales, & illæ activæ, & productivæ sint plantarum; quod minus rectè negare videtur Joan. à Sancto Thoma in opere tertij diei num. 5. Nec probatio ejus ibi, quod nimirum, terra erat innanis & vacua, quidquam obest, quoniam his verbis Augustinus P. informitatem materię explicari docet. Et præterea, ut nuper ex Augustino P. dictum est, illa vacuitas, vel innanitas terræ non excludit virtutes seminales activas, & passivas à terra. In aliorum autem PP. sententia significatur, quod terra nondum erat herbis, & plantis vestita, sed omnino quoad superficiem nuda, & arida.

91 Illud tandem difficilimum restat examinandum, quomodo, nempè, homo in seminalibus rationibus in primis rerum conditione præcontineri potuerit? Dubitandi rationem, eamque gravissimam movet Augustinus P. septimo de Gen. ad lit. cap. 22. dicens: *Nunc si omnino non fuit, querendum est, quomodo possit intelligi, quod causalis ejus ratio fuisse dicebatur in primis 6. dierum operibus Dei, quando fecit Deus*

62 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

Hominem ad imaginem suam, quod nisi secundum animam, non recte intelligatur:: Quae sunt autem iste causales rationes secundum quas posset jam dici Deus fecisse hominem ad imaginem suam, cuius corpus nondum de limo fixerat, cui nondum animam afflando fecerat? Ecce difficultatem, quę plurimum vexat Augustini ingenium, & quam tandem indecisam reliquit, postquam diversimode de illa in 6. capitulis disseveruit.

92 Indecisam, inquam, reliquit quoniam quatuor solutiones, quas disserendo potius, quam asserendo exhibuit, insufficientes denique judicavit, cum in fine libri ita ait: *Nunc tamen de anima, quam Deus inspiravit homini sufflando in eum faciem, nihil confirmo.* Prima igitur solutione sic disserit Sanctissimus P.: An nimicū in aliqua creatura spiritali, destinata ad continentiam animæ primi hominis, vel etiam aliarum, præextiterit ratio seminalis ejusdem? At hujusmodi recursum meritò respuit ibi Augustinus P., dicens: *Sed ne scio quemadmodum possit intelligi ad hoc tantum creatam; illam, videlicet, creaturam spiritalem.* Et rursus illam rejicit ex eo, quod Scriptura S. in operibus sex dierum ipsam non memoravit, cum potius illam, quę actu esset, quam animam, quę futura erat, debuisse commemorare. In secunda disputat S. P., utrum in Angelo possit verificari hujusmodi præcontentia animæ? Negat tamen Sanctissimus Doctor ita fieri potuisse; alioqui enim Angelus recte dicaretur animæ Paren̄s, quod durum reputat; & duris adhuc, quod corpus cœlestis, vel aliquod elementale sit præcontentivum animæ. Tertia solutio recurrat ad hoc, quod anima 6. die actu in se fuerit producta. At hoc gravissimum præfert inconveniens, infra ex D. Thoma assignandam. Et præterea inde non spernenda erit questione, inquit Augustinus P.: *Quid enim fuit causa, ut anima invenienter vivens, inserviceret vitre hujus carnis, in qua peccando, ipsum, qui eam creavit, offenderet; unde eam meritò sequeretur liboris erubenda, damnationisque crucifixus?* An dicendum, quod voluntarie ad corpus administrandum se inclinavit, an quod à Deo ad hoc officium compulsus fuit? Hinc non satis solidam reputavit Augustinus P. hanc doctrinam, quam feliciter credendam ibi ait, *si nulla Scripturarum auctoritas, seu veritatis ratio contradicit.*

93 Quarta denique Augustini P. solutio in fine cap.
 27. recurrat ad hoc, quod anima ex spiritali materia educatur,
 dicens: *Et quid nisi de spiritali materia facta anima congruen-*
tius creditur? Hæc solutio tangit punctum de traductione ani-
 maæ his temporibus jam ab Ecclesia inter decreta Lateranensis
 Concilij datum, tametsi Augustini P. siculo satis proba-
 biliter à PP. pro utraque contradictionis parte controversum,
 teste B. Gregorio M. epist. 53. ad Secundinum dicente: *Sed*
bac de re dulcissima tua Charitas sciat, quia de origine anime
inter SS. PP. requisitio non parva versata est: sed utrum ipsa
ab Adam descendens, an certè singulis detur, incertum reman-
est, eamque in hac vita indisolubilem fassi sunt esse questionem;
gravis enim questio est, nec valet ab homine comprehensi. Ecce
 quæstio de animæ traductione ab Ecclesia Oraculo afferitur
 inter SS. PP. gravissima, hominibusque incomprehensibilis
 in hac vita. Quid ergo mirum, quod ab Augustino P., salvo
 erroris nœvo, adstruatur animæ ex materia spiritali traductio?
 Præterquamquod ipse ad finem hujus libri magis inclinat in
 sententiam de creatione animæ, dum ait: *Nunc tamen de ani-*
ma, quam Deus inspiravit homini, sufflando in ejus faciem, ni-
bil confirmo, nisi quia ex Deo sic est, ut non sit substantia Dei,
& sic incorporeæ, ut non sit corpus, sed spiritus, non de sub-
stantia Dei genitus, nec de substantia Dei procedens, sed factus
à Deo. Nec ita factus, ut in ejus naturam natura ulla corporis,
vel irrationalis anime verteretur, ac per hoc de nihilo. Licet et-
go Augustinus P. probabilem judicaverit sententiam de ori-
gine animæ ex traduce, prætulit tamen illi sententiam, que
nunc vera fides est, de ejus productione ex nihilo, & vera
creatione, quod satis clarè innuunt ejus verba in fine auto-
ritatis posita.

94 Quia igitur Augustinus P. recensitas solutiones
 non satis solidas existimavit, propterea argumentum, ut dixi,
 reliquit in suo robore. Sed tamen Ang. P. satis congruentem,
 sanæque fidei de creatione animæ coherentem, & recte ratio-
 ni consonam solutionem exhibuit. Itaque 1. p. q. 91. art. 4.
 in corp. postquam præmiserat Augustini doctrinam 7. de Gen.
 ad lit. de creatione animæ ante corporis productionem 6. die,
 non afferendo, ut nuper notavi, sed inquitendo, sic ait: *Suf-*
tinendo ergo opinionem Augustini de operibus 6. dierum, dici

poterit, quod anima humana præcessit in operibus 6. dierum secundum quandam similitudinem generis, prout convenit cum Angelis in intellectuali natura; ipsa enim fuit creata simul cum corpore. Et q. 4. de pot. art. 2. ad 22. Primo assignat rationem, cur non dicatur convenienter anima sexto die ante corpus creata, dicens: Posito secundum veritatem, quod anima non habet per se speciem completam, sed uniuersitur corpori, ut forma, & sit naturaliter pars humane naturæ, sicut vult Aristoteles, oportet dicere, quod anima primi hominis non sit producta actu ante formationem corporis, sed simul cum formatione corporis sit creata, & corpori infusa, sicut de alijs animabus Augustinus expressè tenet; nam Deus primas res instituit in perfecto statu sue naturæ, secundum quod species uniuscujusque rei exigebat. Anima autem rationalis, cum sit pars humane naturæ, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita. Unde naturaliter habet esse in corpore, & esse extra corpus est ei præter naturam; idē non fuisset convenientis, animam sine corpore creari.

95 Et statim subdit S. Doctor: Sustinendo ergo opinionem Augustini de operibus 6. dierum, dici potest, quod sicut in illis 6. diebus corpus primi hominis non fuit formatum, & productum in actu, sed in potentia tantum secundum rationes causales; ita & anima ejus non fuit producta tunc in actu, & in se ipsa, sed in suo simili secundum genus; & sic præcessit in illis 6. diebus, non in actu & in se ipsa, sed secundum quandam similitudinem generis, prout convenit cum Angelis in intellectuali natura. Posita autem opere, quo Deus creaturam primò conditam administrat, fuit simul anima in actu cum corpore formato producta. Vide etiam ibi ipsum ad 23. Et nota, quod hęc doctrina eadem ipsa est, nec in verbis distinguitur ab illa, quam ex q. 91. prime partis dedimus. Et etiam vide B. Albertum M. in 2. dist. 12. art. 1. ad 5. Ex quibus ad argumentum respondeo, quod corpus quidem hominis in operibus 6. dierum præcessit seminaliter & causaliter, sicut corpora aliorum mixtorum; at anima duntaxat secundum similitudinem sui cum Angelo, cum quo convenit in natura intellectuali, & in ratione imaginis Dei. Unde 6. die dicitur homo ad imaginem Dei creatus; non quia extitit in se 6. die, sed quia in Angelo ejus similitudo præcessit, & respectu corporis in terra seminalis ratio præexistit.

96 At, inquis, per hoc non salvatur, quod homo quantum ad animam, in qua est imago Dei, sexto die fuerit creatus, sed solum quod in opere sex dierum aliqua creatura, quae sit anima similis secundum genus, sit producta; sed Scriptura S. dicit sexta die esse productum hominem ad imaginem Dei: ergo loquitur de homine, & non de illa creatura, cum qua homo similitudinem habet, proindeque 6. die homo in se fuit productus, & non in aliquo simili; quippe aliter de ipso 6. die in Scriptura S. dicta, non possunt verificari.

97 Respondeo, quod sicut Angelicus Praeceptor 1. p. q. 73. art. 1. ad 3. ad mentem aliorum PP. salvat Scriptura verba, quod, nimirum, *septimo die requievit Deus ab omni opere suo*; ita ut deinceps nullum opus novum fecerit, per hoc precise, quod omnia nova opera extra 6. dies condita, aliquomodo in operibus 6. dierum praecesserunt vel in se, vel materialiter, ut Eva in costa Adæ, vel potentialiter, & causaliter, ut individua cuiuscumque nature; *species etiam novæ, si que apparent, præextiterunt in quibusdam activis virtutibus: sicut animalia ex putrefactione generata producuntur ex virtutibus stellarum, & elementorum, quam à principio acceperunt, etiam si novæ species talium animalium producantur::: quedam vero præcesserunt secundum similitudinem, sicut animæ, que nunc creantur; & similiter Incarnationis opus; quia, ut dicitur ad Philip. 2. Filius Dei est ad similitudinem hominum factus; gloria etiam spiritualis secundum similitudinem præcessit in Angelis; corporalis vero in cœlo, præcipue Empyreos: unde dicitur Eccles. 1. nihil sub sole novum; jam enim præcessit in saeculis, que fuerunt ante nos. Sicut, inquam, de his omnibus in Scriptura S. septimo die verificatur, quod fuerunt consummata, dum adhuc vel potentialiter, vel causaliter, & seminaliter, vel in aliquo simili fuerunt duntaxat producta; ita nos salvamus ad mentem Augustini P., quod primus homo 6. die factus sit ad imaginem Dei, cum nondum esset in se, sed solum in suo simili, nempè Angelo.*

98 Rursus, sicut homo secundum animam, & cum est in se, dicitur ad imaginem Dei creatus, sic distinctio penes masculum, & feminam secundum sexum, & cum revera Eva ex costa Adæ fuerat jam edificata, potest verificari; at hoc non obstante, 6. die, cum adhuc non esset in humana natura actu

distinctio secundum sexum, dicitur in Scriptura S.: *Masculum, & fæminam creavit eos*: ergo idem quod prius. Præterea: non minus, immò magis distat gloria corporalis beatorum à fulgore, & splendore Empyrei, cùm sit cíversi generis, & ordinis, quām anima rationalis ab Angelis; sed nihilominus quia gloria corporalis beatorum habet similitudinem cum Empyreo in claritate, septimo die intelligitur consummata: ergo. Tandem sicut hæc omnia. A literam textui accommodant Adversarij, per hoc quod, quia in aliquo simili p̄eextinxerunt in operibus 6. dierum, de illis per anticipatam locutionem, quasi jam factis loquatur Scriptura S.; sic nos pariter de homine 6. die dicta, eodem sensu accipimus, quia secundum similitudinem cum Angelis in intellectuali natura præcessit homo in operibus 6. dierum.

99 Aliter potest ad argumentum, & dubium ab Augustino P. motum responderi, & forsitan melius; pro quo recolenda est doctrina ex ipsomet 13. de Trinit. num. 86. data, quod *omnium rerum, que corporaliter, visibiliter que nascuntur, occulta quedam semina in ipsis corporeis mundi elementis latent*: quare, ut idem 3. de Trinit. dixerat, *sicut Matres gravide sunt fætibus, sic ipse mundus gravidus est causis nascientium*. Unde cùm homo corporaliter nascatur in mundo, necessarium est, quod femininis ejus ratio occulta insit alicui elemento. Hęc autem semina, ut etiam num. 87. ex D. Thoma diximus, sunt virtutes activæ, & passivæ, quae sunt principia generationum naturalium. Et licet se habeant ex parte materię, possunt tamen semina generationum nuncupari, ut docet Angelicus Preceptor ibi ad 3. potest, inquit, *etiam dici semen id, quod est ex parte fæmine*. Nec obest, quod hominis pars principalis, nempe anima, non contineatur in potentia materię, nec sit producibilis vi agentis naturalis creati; quoniam, ut bene notat Cajet. 1. p. q. 118. art. 2. super solutionem ad 4., ut agens creatum producat aliquid totum, non exigitur, quod omnes ejus partes producat, immò nec aliquam; non quidem primum, quoniam sequeretur, quod nullum compositum substantiale posset ab agente creato produci, eo quod aliqua ejus pars, nempè materia prima, solū à Deo per creationem potest produci. Nec secundum requiriatur, ut patet in dealbante artificialiter parietem, qui nec parie-

riectem, nec albedinem facit, cum tamen faciat parietem album. Unde agens naturale, v. g., homo potest alium hominem producere, & de facto producit: hinc in proverbium abiit, quod *Deus, sol, & homo generant hominem*. Sciendum est etiam ex eodem Cajet. ibi, quod in generatione hominis sunt due actiones, & duo termini intrinseci earum. Una est simplex emanatio, & creatio à prima causa. Altera est seminis, ut est instrumentum animæ intellectivæ, seu hominis generantis in quantum homo. Termini autem sunt, respectu actionis creantis esse absolute, respectu autem hominis generantis inesse. Hoc autem inesse potest sumi dupliciter, vel prout unio materiae & animæ rationalis se habet ex parte formæ, seu animæ, & sic concomitanter causatur à Deo animam creante; vel potest accipi, ut se tenet ex parte materię, & corporis; & sic est proprius terminus actionis seminis humani. Unde anima ipsa est terminus creationis; unio vero animæ, & corporis, terminus generationis. Et quia homo vel humanitas, nec ex materia solum, nec ex anima tantum, vel ex utraque seorsim, sed ex unione utriusque simul resultat, & homo mediante seminis actione conjunctionem utriusque causat; propterea homo vere generat hominem, quamvis neutram partem illius causet. Unde generatio hominis ab altero homine habet terminum formalem quoad inesse, licet non producat aliquam illius partem quoad esse.

100 Doctrina hæc Angelici Præcept. est pluribus in locis; quia in 2. dist. 18. q. 2. art. 1. ad 4. sic ait: *Hoc quod agens agit sibi simile, contingit dupliciter; aut quia forma, secundum quam similitudo attenditur, per actionem de potentia in actum educitur; aut quia per actionem disponitur materia, ut sit necessitas ad receptionem formæ: anima autem rationalis pertinet ad secundum modum, & hic modus sufficit ad hoc, quod agens agat sibi simile, quia non prius forma generatur, sed compositum.* Idem docet 1. p. q. 118. art. 2. ad 4. dicens, quod *homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis ejus disponitur materia ad susceptionem talis formæ.* Et quæst. 3. de pot. art. 9. ad 2. Dicendum, inquit, *quod totus homo egreditur de semore generantis, propter hoc quod virtus seminis de semore egredientis operatur ad unionem corporis, & animæ disponen-*

„ do materiam ultima dispositione, quæ est necessitas ad formam, ex qua unione homo habet, quod sit homo: Non autem ita, quod qualibet pars hominis per virtutem semini, nisi caufetur. Vide in toto hoc art. doctrinam ad propositum satis opportunam. In his omnibus, si premas illa verba: *Aut quia per actionem disponitur materia, ut sit necessitas ad receptionem forme; & illa: Et hic modus sufficit, &c. et: non propriè generatur forma, sed compositum; et: per virtutem seminis disponitur materia ad susceptionem talis forme;* et: *ex qua unione homo habet, quod sit homo, &c.* clarè perspicias, præmissam doctrinam in illis ad literam contineri. Hinc gravissimi Doctores apud M. Prado in Metaphysica dixerunt, quod anima quoad unionem, seu inesse edificatur de potentia materię; & Magister Bañez 1. p. q. 76. art. 1. *Sed tunc insurgit*, latè probat, quod anima intellectiva non existit in corpore, *ut quod*, sed *ut quo*, licet à corpore separata existat, *ut quod*. Et ibidem *S. dubitatur* 2. dicit, quod anima rationalis, non solùm qua parte sensitiva est, sed etiam qua intellectiva, est forma corporis; quod sàpè docet Ang. P., dicens, quod licet intellectus non sit actus corporis, ipsa tamen anima secundùm suam essentiam est forma corporis; anima enim non solùm est essentialiter sensitiva, *ut quo*, sed etiam, & principaliter, intellectiva, sive rationalis; quippe hæc est essentialis ejus differentia. Unde in Lateranensi dicitur, quod anima intellectiva secundùm naturam suam, & essentialiter est forma corporis; quia propria essentia animæ est, quod sit intellectiva.


101 Ex quibus ad argumentum num. 91. à P. Aug. propositum, respondeo, hominem in seminalibus rationibus in prima rerum institutione præextitisse; quoniam, *ut ex Augustino* P. num. 99. dictum est, omnium rerum, quæ corporaliter, visibiliter que in mundo nascuntur, occulta quedam semina in ipsis corporeis elementis latent; manifestum autem est, quod homo visibiliter, & corporaliter nascitur in Universo: ergo à principio latuit in materia corporali seminalis ejus ratio. Et quidem licet homo contaret anima rationali, tanquam parte principali sui, que, sicut & alia pars ejusdem hominis, nempè materia prima, solùm à Deo per creationem potest produci, hoc non obest juxta præmissa ex Angelico Preç., ut ho-

Homo verè alium hominem producat, verè que sit in uno homine respectu alterius ratio seminalis activè concurrens ad generationem alterius, licet nec ejus materiam, nec formam producat; & hoc propterea, quia activè concurrit disponendo materiam, ponendoque in illa necessitatem ad unionem cum tali forma, nempe anima rationali, ex qua unione homo habet, quod sit homo. Si ergo contingit, quod in homine non producente materiam, nec formam alterius hominis, sed dunt taxat extrema illa uniente, sit seminalis ratio alterius hominis præcontentiva, efficienterque ipsius productiva, verè & propriè alium hominem generando; cur inconvenit, quod in elementis sit ratio seminalis hominis gravidans, & fœcundans elementum, ut sicut in tatione principij passivi continet in occultis rationibus alia mixta, ab agente naturali per naturalem generationem producibilia, sic in ipso lateat prædicta seminalis ratio hominis, qua sit fœcunda terra ad concurrendum in ratione principij passivi ad generationem hominis? Neque, ut verum fatetur, disparitatem invenio; quod enim huic obesse poterat, erat inconveniens insinuatum, nempe, quod hominis principalis pars est anima, que in materia corporali contineri non potest; atqui hoc non officit, quominus, stante eadem ratione, in unius hominis corporali semine sit ratio principij activi respectu productionis alterius: ergo. Præterquamquod licet anima non continetur in potentia materia quoad esse, continetur nihilominus quoad inesse; ut supra ex D. Thoma, Cajet, Bañez &c. ostensum est; quod sufficit, ut terminet ex parte unionis cum materia actionem generativam alterius hominis: cur ergo hoc ipsum sufficiens non erit ad hoc, ut anima quoad inesse, vel inexistentiam in corpore, licet non quoad suum esse absolutè, in rationibus causalibus, vel seminalibus elementorum virtutibus originaliter, & potentialiter continetur?


102 Tandem, ut hæc doctrina verosimilior appearat, distinguendus venit duplex conceptus in anima rationali; quæ quidem primò considerari potest secundum quod est forma quedam spiritualis, & per se subsistens, & sic est supra omnem ordinem corporalium rerum elevata, à materia que omnino independens. Secundò, ut naturaliter est forma corporis, & habet naturalem exigentiam, ut uniatur corpori, si-

cut & naturalem ordinem, ut simul cum corpore unum totum substantiale constituat; quod quidem animæ convenit non solum quatenus vegetativa, & sensitiva est, sed etiam quæ rationalis, & intellectiva; quia sic etiam est vera, & propria hominis forma, non habens integrum speciem, ita quod secundum se creetur, sed solum in corpore, à quo separata, non habet debitam, & naturalem perfectionem; ex quo principio deduxit Ang. Doct. I. p. q. 90. art. 4. in corp. quod anima humana non fuit producta ante corpus, per hæc verba: *Manifestum est, quod Deus primas res instituit in perfecto statu sua nature, secundum quod uniuscujusque rei species exigebat; animi autem, cum sit pars humane nature, non habet naturalem perfectionem, nisi secundum quod est corpori unita: unde non fuisset conveniens animam sine corpore creari.* Anima autem rationalis licet utroque gaudeat conceptu, primus tamen non ita proprius, & peculiaris est, ac secundus; primus siquidem est quasi conceptus genericus, ratione cuius convenit cum substantijs spiritualibus completis; secundus vero se habet tanquam differentialis ratio, qua ab Angelis secernitur, & secundum hunc ad genus animalium reductivè pertinet. Hanc doctrinam tradit etiam D. Th. loco citato in solutione ad secundum, quod intendebat probare animam productam esse, non sexto die quando formatum est corpus, & producta sunt bruta animalia, sed statim à princ'pio, quando creati sunt Angeli, quia magis cum ipsis, quam cum animalibus convenit; cui argumento respondet, quod *anima si per se speciem haberet, magis conveniret cum Angelis; sed in quantum est forma corporis, pertinet ad genus animalium, ut formale principium.* Licet ergo anima rationalis, quatenus substantia spiritualis est, cum Angelis conveniat, quia tamen conceptus iste non est peculiaris ipsius animæ, sed quasi genericus, magis pertinet ad genus animalium, quatenus forma corporis est, qui conceptus magis intraneus, & proprius est ipsius animæ. Cum ergo sub hac consideratione potentiam illius receptivam, & ad ipsius cum corpore unionem dispositivam, in corpore presupponat, liquido constat, ex parte corporis intervenire causalem rationem, & virtutem semifinalis ipsius animæ secundum suum proprium, intraneum, & peculiarem conceptum. Ex quo ulterius infertur, quod, cum homo animam includat,

in quantum formalissimè dicit conceptum partis formalis hominis constitutivæ, possit absolute, & abique restrictione ulla affirmari, quod ex parte corporis, ac proinde in elementis ipsis detur ratio seminalis, & causalis virtus hominis præcontentiva, ratione cuius homo potentialiter, causaliter, & originaliter in elementis contineatur. Habemus ergo ex doctrina D. Thomæ quidquid ad expeditionem illius gravissime difficultatis desiderari poterat.



f. II.



*ALIQUIBUS PRÆNOTATIS, SECUNDA
conclusio statuitur.*

103 **U**T rem gravissimam, atque difficillimam, in cuius decisione PP. & Ecclesiæ Doctores dissidentes invenio, jam plenè resolvam, sciendum est primò: quod Deus optimus Max. pro sua omnipotenti virtute, & infinita sapientia, quam citissimè, & in iactu oculi, in instanti, & momento poterat fabricam mundi hujus, quantum ad omnes partes absolvere, nimirum, ut amplectitur omnes Angelorum Hierarchias, Cœlorum vastissimos orbes, elementorum que ingentem molem; necdum quantum ad eorum substantiam adhuc informem, verum quantum ad formationem, dispositionem, situationem eorum, omnem que accidentalem formationem penes quantitatem, qualitatem, & cætera accidentia, & demum quantum ad ornatum, decorem, & ultimam eorum complementum; quod certum, & inconcussum debet esse apud omnes, & eleganter docent S. Ambrosius, & Chrysostomus, quorum ille lib. 2. de Cain, & Abel: *Utique simul*, inquit, *omnia fieri jubere potuit Deus*, sed distinctionem servare maluit, quam nos in omnibus negotijs imitaremur. Chrysost. autem in primum cap. Gen. hom. 3. ad illa verba: *Factum est vesperè, & manè dies unus*, ait: *Neque enim inops erat omnipotens illius manus, & infinita sapientia, ut non posset uno die producere omnia; quid, inquam, uno die? Et simplici momento poterat. Ratio etiam pro hac suppositione apertissima est, quippe hujusmodi simultanea rerum Universi productio nullam ex parte facti*

con-

contradictionem præfert: ergo omnipotentię Dei nullomodo denegandum est.

104 Præmissa ergo possibilitate simultaneæ productionis partium principalium Universi, examinandum restat: An ita placuerit omnipotenti ejus conditori mundum construere, secundūm quod nobis innotescit de ejus voluntate, quam hominibus non nisi per S. Scripturam revelavit Deus? In hoc puncto sic decet Theologos procedere, quod non implicentur varijs gentilium Philosophorum opinamentis: quidam enim senserunt, plures mundos existere. Alij unum, eum que infinitum. Quidam verò finitum. Alij ingenitum, ac æternum somniarunt. Alij verò genitum. Horum autem non nulli unicum principiū ejus assignarunt, materiam, scilicet, ingenitam, ac æternam, quam diversi diversimodè explicabant. Alij, tribus principijs statutis, Deo, materia, & idēis, Divina mente quod confusum erat dirimente, provenisse mundum existimarunt. At Catholicī Philosophi, & Theologi, Moysi Auctore, rejectis similibus deliramentis, unicum mundum ab unico ejus principio Deo, ex nihilo, cum ipsi placuit, liberè, & sapientissimè conditum, debent statuere; & de illius conditione, secundūm quod à Moysi mortalibus referatur, & à Patribus narratio ejus explicatur, differere.

105 Inter PP. autem, & Ecclesię oracula non una, & concors est sententia de serie, qua Deus mundum effuderit: alij etenim, Deum unico momento, vel unica die mundum omnibus numeris absolutum, hoc est, Angelos, Cœlum cum astris ornatum, & elementa in locis sibi competentibus disposita, varijsque rerum speciebus, vel ipsis adherentibus, vel eadem tanquam ipsorum ornamenta decorantibus, effecisse tradunt. Alij Deum chaos tantum quadam primō edidisse autumant, quod postea tribus diebus distinxerit, ac perficerit, & tribus sequentibus ornaverit, atque venustaverit. Præterea alij hujusmodi chaos unam fuisse rudem naturam, quæ neque esset Cœlum, nec elementa, sed una quedam incongrua massa sub exile quadam forma, arbitratī sunt. Alij illud chaos constare cœlis, & elementis cum suis substantialibus formis, indigesto tamen, & indistincto ordine, dixerunt. Rursus de hujusmodi chaos alij opinaverunt, sic primitus fuisse effectum, quod constaret cunctis orbibus cœlestibus, se mutuò

concludentibus sub uno supremo , ac primo orbe , ac deinde igne , rursus aëre , ac tandem aqua , undique terram ambientem . Alij , nullo posito Cœlo præter Empyreum , igne autem , & aëre in terræ antris occlusis , aquas usque ad Empyreum inundasse existimarentur . Alij demum supra terram , aquam , aërem , ignemque cōmixtim ad modum cujusdam nebulæ spatium inter terram , & Empyreum explevisse judicarunt . Ecce mandum disputationi hominum cum ingenti afflictione eorum traditum , quorum diversis placitis non minor confusio , & chaos ad expediendam difficultatem propositam oritur .

106 Ut è labyrintho hoc maximo egredi possim , gra-
viorum PP. sententias cum aliquibus ipsorum dictis danta-
xat referam , & tandem modum dicendi ab Augustino P. ex-
cogitatum præferam . Igitur Gregorius Naz. Orat. in novam
domin. ait : *Ita procreato lumine primum quiddam inter dies
numeratur , & secundum , & tertium , ac sic deinceps usque ad
septimum diem , & cessationem operibus afferentem , quibus ea-
que creatas sunt , dividuntur , ac distinguuntur , arcanis rationi-
bus ordinata , & constituta , nec confestim in rerum naturam
ab omnipotenti illo Verbo producta , cuius sola etiam cogitatio ,
vel solus sermo confectum opus representat .* Quę S. D. verba
sic interpretatur Nicetas : *Ita producto lumine primus dies , &
secundus numeratur , ac sic deinceps usque ad septimum , quo
Deus requievit ab omnibus operibus , que fecerat , quemadmo-
dum testatur Scriptura ; diebus enim opificium mundi dividi-
tur . Primo enim lux facta est , qua & diffusa , & collecta , tres
dies ante solis creationem fecit . Secundo firmamentum ; tertio
aquarum collectio , terreque germinatio ; quarto luminaria ;
quinto animalia ex aquis producta ; sexto animalia terrestria ,
& homo . Quid autem hec opera eo ordine constituta sint , ut
aliud sit primum , aliud secundum , ac sic deinceps , non tem-
re , ac frustrè dictum est , sed propter rationes quasdam arca-
nas , & ineffabilis ; rebus enim creatis ordine opus erat : ordinè
porrò familiaris , & accommodus est numerus ; ut Philo He-
breus scripsit ; proinde haud subito , atque confestim Opifex
Verbum , Deique filius omnia in rerum natura extulit ; licet alio-
qui omnia facere possit , non modò jussu , & imperio , sed sola
etiam cogitatione ; ipse enim dixit , & facta sunt : ipse manda-
vit , & creatas sunt . Quid autem dico , dixit , & facta sunt .*

74 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

cum cogitatio sola perfectum opus Deo sistat, ac representet. Horum autem verborum sententiam Theologus à lib. Tudit acceptit, Deum his verbis alloquentis: Cogitasti, ac presti fuerunt tibi omnia, que fecisti.

107 S. Ambros. exam. lib. 1. cap. 7. hæc habet: Et fortassis dicent: cur enim Deus sicut dixit, & facta sunt, non simul oriatus congruos rebus. Turgentibus donavit elementis, quasi non potuerit Cœlum insignitum stellis, subito ut creatum est, resplendere, & floribus, ac fructibus terra vestiri? Potuit utique; sed idè prius facta postea composta declarantur, ne vere increata, & sine principio crederentur, si species rerum veluti ingeneratae ab initio, non postea additæ viderentur. Incomposita terra legitur, & iisdem à Philosophis eternitatis quibus Deus, privilegijs honoratur: quid dicerent, si ab initio ejus pulchrituda vernasset & Demersa aquis describitur, velut euidam principiorum suorum addicta naufragio, & adhuc à nonnullis facta non creditur: quid si decorum primogeniture vendicarent & Accedit illud, quod imitatores nos sui esse voluit Deus, ut primò faciamus aliqua, postea venustemus; ne dum simul utrumque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quodam gradu crescit, idè primum fecit Deus, postea venustavit, ut eundem credamus ornasse, qui fecit, & fecisse qui ornaverit: ne alterum putemus ornasse, alterum creavisse: sed eundem utrumque esse operatum, ut primò faceret, postea componeret, ne alterum sine altero crederetur. Idem docet S. Doctor loco num. 103. allegato, & lib. 6. epistoliarum epist. 9. ad Horantianum, ordinem rerum pro causa successiva productionis assignans.

108 S. Chrysost. ubi suprà num. 103. ait: Verum scire, & discere debemus à Spiritu S. per linguam hujus Prophetæ, quæ 1. die condita sunt, & quæ in alijs. Nam & illud ipsum misericordis Dei condescensionem declarat. Neque enim inops erat omnipotens illius manus, & infinita sapientia, ut non posset uno die producere opera. Quid, inquam, uno die? & simplici momento poterat. Sed quandoquidem res non ob sui utilitatem produxit (nullius enim rei indigie est, qui sufficientissimus) sed ob suam benignitatem, & bonitatem fabricavit omnia; idcirco non simul, sed successivæ, & per partes condidit, & doctrinam nobis manifestam de rebus conditis per linguam Bea-

Beati bujus Prophetæ traddidit, ut hæc exactè discentes, non accedamus eorum sententia, qui humanis rationibus noventur.

109 Greg. Magn. lib. 32. moral. cap. 9. ait: Rurus querendum est, quomodo Deus cuncta simul condidit, cum Moyses 6. dierum mutatione variante distincta creata describat? Quod tamen citius agnoscimus, si ipsas causas originum subtiliter indagamus. Rerum quippe substantia simul creata est: sed simul species formata non est: Et quod simul extitit per substantiam materia, non simul apparuit per speciem formæ. Cum enim simul factum Cœlum, terraque describitur, simul spiritualia, & corporalia, simul quidquid de cœlo oritur, simul factum quidquid de terra producitur, indicatur. Sol quippe luna, & sydera quarto die in cœlo facta perhibentur; sed quod 4. die processit in specie, primo die in cœli substantia extitit per conditionem. Primo die creata terra dicitur, & tertio arbusta condita, & cuncta terræ videntia describuntur; sed hoc quod die tertio se in specie protulit, nimirum primo die in ipsa, de qua ortum est, terra substantia conditum fuit. Hinc est, quod Moyses, & distinctè per dies singulos condita omnia retulit, & tamen simul omnia creata subjunxit, dicens: Iste sunt generationes Cœli, & terræ, quando creatæ sunt, in die quo Dominus fecit Cœlum, & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis. Qui enim diversis diebus creatum Cœlum, & terram, virgultum, herbamque narraverat, nunc uno die facta manifestat, ut liquido ostenderet, quod creatura omnis simul per substantiam extitit, quamvis non simul per specie procedit. Idem docet Athanasius serm. 8. contra Arrian. & de Virginit.

110 S. Anselmus Augustini P. sectator acerrimus, & alij ejusdem M. P. sequaces strenui, ipsum deruisse in hoc punto videntur. Igitur S. Anselm. de imagine mundi lib. 1. cap. 2. ait: Creatio mundi quinque modis scribitur. Primo, quod ante secula temporalia universitas mundi in mente divina concipitur; quæ conceptio Archetypus dicitur mundus: unde scribitur: Quod factum est, in ipso vita erat. Joan. 1. Secundo, cum ad exemplar Archetypi hic sensibilis mundus in materia, vel forma creatur, sicut legitur: Qui manet in eternum, creavit omnia simul. Eccl. 18. In materia, ut ex quatuor elementis crearentur omnia corporalia; in forma, ut ad similitudinem Ange-

lorum anime essent rationales. Tertio, cum per species, & formas sex diebus hic mundus formatur, sicut scribitur: Sex diebus fecit Deus opera sua bona valde. Gen. 1. Quarto, cum unum ab alio, utpote homo ab homine, pecus a pecude, arbor ab arbore, unumquodque de semine sui generis nascitur, sicut dicitur: Paster meus usque modò operatur. Joan. 3. Quinto, cum adhuc mundus innovabitur, sicut scribitur: Ecce nova facio omnia. Apocal. 21.

Hugo etiam de Sancto Victore, qui professio-ne, & doctrina in omnibus Augustinianus, adnotationibus in Gen. difficultatem presentem versans, ait: De modo creandi magna quæstio est. Quidam enim dicunt, Deum omnia simul fecisse quacunque. Alij distinguunt per sex dierum operacionem, & dicunt, illam distinctionem figurativam esse, & propter mysterium tantum, & non ad literam. Et hoc volunt probare illa auctoritate: Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul; & alia etiam de hoc eodem libro sumpta, ubi recapitulan-do post opera sex dierum: istæ sunt, inquit, generationes Cœli, & terræ, quando creatæ sunt in die, quo fecit Deus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri. Dicunt etiam hanc rationem, quia Deo non convenit, ad modum hominis aliquid imperfec-tum facere, aut inordinatum, aut deforme. Sed facile est illas auctoritates solvere. Contra hanc quoque rationem possumus dicere, quod Deus, qui in momento poterat omnia facere, sex diebus distinxit opera sua; non propter suam (qua nulla est) impotentiam, sed propter rationabilium creaturarum instruc-tionem, & exemplum. Sicut enim prius rebus dedit esse, & pos-tea pulchritudinem; ita & Angelo, & homini, quibus dederat rationales esse, dedisset & beatos esse; & hoc esset pulchrum es-se. Quod exemplum quia neglexit Angelus, respiciens ad esse suum, quod rationale erat, nimium de se præsumens, cecidit irrecuperabiliter, sicut alijs immobiliter sunt confirmati. Ad ho-minis verò reparationem sex diebus voluit distinguere opus suum, ut in hoc haberet homo animum occupatum ad sui instru-tionem. Quod autem Deus dicitur creare, aliquid imperfec-tum, aut informe, non nocet, nec est inconveniens; quia ad comparisonem majoris perfectionis, aut pulchritudinis, quas ipsemet per se, quando oportuit, addidit, dici debet; sicut quo-didie facit pueros imperfectos, quantum ad augmentum, quod

sequitur; sed tamen perfectos, ad numerum partium, manuum scilicet, pedum, & cæterorum membrorum. Et hæc sententia probabilior videtur. Vide ipsum de Sacram. fidei part. 1. cap. 2. 3. & 6.

112 Rupertus Augustini P. perpetuus assecla comment. in Gen. lib. 1. cap. 37. ab ipsius vexillo defecit, dum dicit: Jam nunc tamen querendum est ab eis, qui omnem creationem repentinam, & commixtum fuisse volunt, quomodo accipiant illud, quod dictum est; plantaverat Paradisum voluptatis à principio; nam propter illud, quod alibi scriptum est: qui vivit in eternum creavit omnia simul; volunt repente, & absque ullis profectibus, herbam maturam, & ligna robusta cum pomis, & seminibus suis constitisse; simul luminaria in firmamento, simul reptilia maris, & volatilia cœli effervuisse; simul nibilominus animantia terræ, & ipsum hominem subito obambulasse in pedes. Hoc planè à ratione dissentit, nec hujusmodi sensum presentis lectionis sensus admittit. Nam à principio iam dictum est, quod plantaverat Dominus Deus paradisum voluptatis, & homo non erat, qui operaretur terram, sed fons ascen-debat de terra, irrigans universam superficiem terre.

113 „ Magister Sentent. in 2. dist. 12. ait: Res non „ simul, ut quibusdam SS. PP. placuit, sed per intervalla „ temporum, ac sex volumina dierum, ut alijs visum est, for „ mavit. Quidam namque Sanctorum Patrum, qui verba Dei, „ atque arcana excellenter scrutati sunt, super hoc quasi ad „ versa scripsisse videntur. Alij quidem tradiderunt, omnia „ simul in materia, & forma fuisse creata; quod Augustinus „ sensisse videtur. Alij verò, ac magis probaverunt, ac sense „ runt, ut prima materia rudis, atque informis quatuor ele „ mentorum commixtionem, atque confusionem tenens, crea „ ta sit; postmodum verò per intervalla 6. dierum ex illa ma „ teria rerum corporalium genera sint formata secundum „ species proprias. Quam sententiam Gregorius, Hieronym. „ & Beda, aliisque plures commendant, ac præferunt. Quæ „ etiam Scripturæ Geneseos (undè prima hujus rei manavit „ ad nos cognitio) magis congruere videtur.

114 D. Bonavent. in 2. dist. 12. quest. 2. ait: Qui „ dam SS. in hac quest. magis fecuti sunt viam Theologicam, „ trahentes rationem ad ea, quæ sunt fidei. Quidam verò, in

ter quos præcipuuſ fuit Augustinus, magis ſecuti ſunt viam
 Philosophicam, quaē illa ponit, quę magis ſunt rationi con-
 ſona: undē & intellectum Scripture trahit ad rationis con-
 firmationem, & attestationem. Undē cū videatur rati-
 nabilius, à summa potentiā omnia fieri simul, & inora tem-
 poris interjacentis nullius videatur eſſe utilitatis, vel neceſ-
 ſitatis; poſſuit omnia simul eſſe producta; ſuam positionem
 confirmans per auctoritates S. Scripturæ, & exponens illicid,
 quod videretur ſibi contradicare, videlicet, de diſtinc-
 tione: oſtendens, quod illi dies non fuerunt dies natura-
 les, ſed potius ſpirituales, qui omnes simul potuerunt eſſe.
 Et hæc poſitio multūm fuit rationabilis, & valde ſubtilis.
 Veruntamen quia ad hanc poſitionem videtur intellectus
 Scripturæ diſtrahi, & ſecurius eſt, & magis meritorium in-
 tellectum noſtrum, & rationem magis Scripture ſuppone-
 re, quam ipsam aliquo modo diſtrahere, ideò aliqui Doc-
 tores, & qui præceſſerunt Auguſtinum, & qui ſequuti ſunt,
 ſic intellexerunt, & poſuerunt, ſicut textus in litera S.
 Scripture Genesis ſonare videtur. Undē poſuerunt, omnia
 materialia, & corporalia ſimul fuſſe creaſta in materia, ſed
 per ſenarium dierum eſſe diſtinguenda in forma. Et ſlatim pro-
 ſequitur: *Dicendum*, quod Scriptura facit vim inter crea-
 re, & facere. Nam creationem vocat productionem ex ni-
 kilo; factiōnem verò ipſam diſtinctionem; & hoc bene ſig-
 natur Gen. 2. ubi dicitur, quod ceſſavit ab omni opere ſuo,
 quod creavit, ut faceret. Omnes igitur SS. in hoc concor-
 dant, quod omnia ſint ſimul producta in materia: & ideò
 omnia concedunt ſimul eſſe creaſta, ſed tamen non ſimul
 facta.

115 Alexander de Hales, postquam problematicè
 locutus fuerat circa noſtrum quaſitum in 2. p. q. 9. memb. 7.
 q. 44. memb. 3. magis inclinare videtur in communem ſen-
 tentiam dicens: *Dicendum*, quod non eſt ſimile de creatio-
 ne, & factiōne; factio enim respicit formas diſtinguendas, ubi
 ordo designatur, & ita potest designari dies, ſecundūm quod
 dies eſt ex revolutione luminosi: creatio verò, ut diſtingui-
 tur à facere, respicit materiam, & ita non dicitur ibi priuſus,
 & posteriūs, quod respicit formam, ſed ſimul. Nec oportet, ſi
 mensurata ſunt in natura ordinata, quod propter hoc

fit ordo ex parte mensuræ : ad priùs enim, & posterius in natura, non sequitur priùs, & posterius in duratione. Et mox docet, quod creatio fuit simul dicens : Concedimus, quod omnia creata sunt in unico nunc; & illud nunc non est nunc æternitatis, nec nunc temporis, sed nunc ævi ; & hoc dicimus, tum quia magis manifestatur potentia Dei , creando in uno nunc multa; tum quia creata hoc modo plus conveniunt cum primo.

116 Coronent PP. & DD. Augustino P. adversarium cœtum celeberrimorum PP. Basiliij & Hieronymi testimonia. Hic itaque Epist. ad Occanum ait : *Rodus mundus* necdum sole rutilante, nec pallente luna, nec astris micantibus, incompositam, & invisibilem materiam abyssorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in aurigę modum ferebatur super aquas, & trahens centem mundum in figura baptissimi parturiebat. Ergo juxta Max. Doct. fuit duratio, & tempus, quando mundus hic nondum fulgoribus solis illustrabatur, sed potius abyssorum deformibus tenebris opprimebatur. Magn. Basilij, hom. 2. exam. ait : *Restat ergo ut intelligamus*, undas super telluris superficiem inundasse, antequam proprijs in locis humoris substantia segregaretur, atque ex eo terram, tunc non solum invisibilem, sed inconditam etiam fuisse; quippe cum humoris exuperatio nunc in gigantibus, ferendisque fructibus impedimento terræ soleat esse. Ergo aliqua duratione juxta hunc insignem P. terra fuit aquis undique cooperata, ac per consequens invisibilis, & in composita, atque incondita; hoc est, innanis, & nondum fructibus plena: quippe quia eorum generationi obstat aquarum immensa moles, & copia.

117 Magn. Patens Augustinus longè fentit de mundi prima institutione, ut videre est supra num. 48. Posuit enim præclarissimus, ac SS. P. N., Deum in primo momento Angelos, Cœlum fulgentibus astris splendidum, elementa in suis sphæris disposita, & rerum cunctarum species in seminaria vi in elementis præcontentas; de qua virtuali, ac causali præexistentia specierum mundi, seu mixtorum in aliquo elemento in operibus sex dierum, fusæ ad mentem Augustini P. tractavimus concl. precedenti; nunc tandem de-

80. *DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.*

partibus principalibus Universi ex ipsomet Augustino P. determinandum restat. Itaque S. Parens num. citato Angelos, Cœlum, & elementa, quantum ad eorum productionem informem, simul sentit esse creata, eorumque informitatem nominibus Cœli, & terræ significatam fuisse; productionem vero Angeli lucis productione; & nomine firmamenti impressionem formarum corporum cœlestium; & deinde per opus tertij diei productionem elementorum, & in illis seminalium rationum plantarum impressiones; quarto die luminalium productionem actu; quinto avium, & piscium generationem seminaliter; sexto denique animalium terrestrium, atque hominis productionem pariter in seminalibus, & causalibus eorum rationibus. Atque inter hæc omnia sic primitus producta, duntaxat agnoscit ordinem naturæ, seclusa duratione successiva inter illa omnia. Sicque materia informis corporum cœlestium, & elementalium solum ordine naturæ præcedit eorum productionem, & similiter formatio unius alterius productionem. Et hunc ordinem naturæ explicat 1. de Gen. ad lit. cap. 15. exemplo vocis, & verbi: *Sicut enim*, inquit, *vox*, *materia est verborum, verba vero formatam vocem indi-*
cant: non autem qui loquitur, prius informem emittit vo-
cem, quam possit postea colligere, atque in verba formare:
ita Creator Deus non priorem tempore fecit informem ma-
teriam, & eam postea per ordinem quarumcumque naturarum,
quasi secunda consideratione formavit; formatam quippe
creavit materiam. Sed quia illud, unde fit aliquid, etiam
non tempore, tamen quadam origine prius est, quam illud,
quod inde fit, potuit dividere Scriptura loquendi tempo-
ribus, quod Deus faciendi temporibus non divisit.

118 Quod autem Angelii simul cum corporibus cœlestibus sint creati, licet prius natura, & dignitate, (prior quippe omnium creata est sapientia, hoc est, intellectualis, & Angelica natura: prior, inquam, non temporis antiquitate, ut exponit N. Philippus Epist. sèpè citata, sed causa prius, & dignitate) docuerat M. P. 11. de Civit. Dei cap. 9. dicens: *Ubi de mundi constitutione Sacrae literæ loquuntur, non evidenter dicitur, utrum, vel quo ordine creati sunt Angelii: sed si prætermitti non sunt, vel Cœli nomine, ubi dictum est: In principio fecit Deus Cœlum, & terram; vel*

„ potius lucis hujus, de qua loquor nomine significati sunt.
 „ Non autem prætermisso esse, hinc existimo, quod scriptum
 „ est: requieuisse Deum septimo die ab omnibus operibus
 „ suis, quæ fecit, cum liber ipse sit exorsus: In principio se-
 „ cit Deus Cœlum, & terram: ut ante Cœlum, & terram ni-
 „ hil fecisse aliud videatur. Cum ergo à Cœlo, & terra cepe-
 „ rit, atque ipsa terra, quam primitus fecit, sicut Scriptura
 „ consequenter eloquitur, invisibilis, & incomposita, non-
 „ dumque luce facta, utique tenebrae fuerint super abyssum,
 „ idest, super quandam terræ, & aquæ indistinctam confusio-
 „ nem; ubi enim lux non est, tenebrae sint necesse est. Deinde
 „ cum omnia creando disposita sint, quæ per sex dies consum-
 „ mata narrantur, quomodo Angeli prætermitterentur, tam
 „ quam non essent in operibus Dei, à quibus die septimo re-
 „ quievit? Opus autem Dei esse Angelos, hic quidem, etsi
 „ non prætermisso, non tamen evidenter expressum est: sed
 „ alibi hoc S. Scriptura evidentissime testatur; nam & in
 „ hymno trium puerorum, cum predictum esset: benedicite
 „ omnia opera Domini Domino, in executione corundem
 „ operum, etiam Angeli nominati sunt. Et in Psalmo cani-
 „ tur: laudate eum omnes Angeli ejus::: quoniam ipse dixit,
 „ & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Etiam hic aper-
 „ tissime à Deo factos esse Angelos, divinitus dictum est, cum
 „ eis inter cætera cœlestia commemoratis, inseritur ad om-
 „ nia: ipse dixit, & facta sunt. Quis porrò audebit opinari
 „ post communia omnia ista, quæ sex diebus enumerata sunt,
 „ Angelos factos? Sed etsi quisquam ita desipit, redarguit is-
 „ tam vanitatem illa Scriptura pari auctoritate, ubi Deus di-
 „ cit: Quando facta sunt sydera laudaverunt me voce magna
 „ omnes Angeli mei: Jam ergo erant Angeli, quando facta
 „ sunt sydera; facta sunt autem quarto die. Nunquid ergo
 „ tertio die factos esse dicemus? Absit; in promptu est enim
 „ quid in illo die factum sit: ab aquis utique terra discreta,
 „ & distinctas sui generis species duo ista elementa sumpse-
 „ runt, & produxit terra quidquid ei radicibus inhæret. Nun-
 „ quidnam secundo? Nec hoc quidem; tunc enim firmamen-
 „ tum factum est inter aquas superiores, & inferiores, cœlum
 „ que appellatum est; in quo firmamento facta sunt sydera
 „ quarto die. Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei

„pertinent Angeli, ipsi sunt lux illa, quę diei nomen accep-
„pit, cuius unitas, ut commendaretur, non est dictus dies
„primus, sed unus.

119 Et in universum omnia opera primæ institutio-
nis rerum (distinctione tamen servata, & num. 48. ex Aug.
P. explicata) simul à Deo prodijisse docet S. Doct. 4. de Gen.
ad lit. cap. 33. dicens: *De quo enim creatore Scriptura ista
narravit, quod sex diebus consummaverit omnia opera sua; de
illo alibi, non utique disonanter scriptum est, quod creaverit
omnia simul.* Ac per hoc, & istos dies sex, vel septem, vel po-
tius unum sexies, septiesve repetitum, simul fecit, qui fecit om-
nia simul. Quid ergo opus erat 6. dies tam distinctione, disposite-
que narrare? Quia scilicet, hi qui non possunt videre, quod dic-
tum est: creavit omnia simul; nisi cum eis sermo tardius ince-
dat, ad id, quod eos dicit, pervenire non possunt. Vide etiam
ibi S. Parentem cap. sequenti; & lib. 5. cap. 1. & 3.; & fre-
quentissimè in libris de Gen. ad lit. & in imperfecto de Gen.
Et hunc quidem sensum literalem esse contendit. Vide dicta
num. 25.

120 Audiatur denique S. Doctor lib. 1. contra ad-
versarium legis, & Prophet. cap. 28. dicens: *Quamquām qui
mūcere Dei potuerit perspicacius ista rimuri, inveniet fortassē
in creatura, quæ ita facta narratur, sīnē intervallis tempora-
lium morarum, distinctum mirabiliter ordinem rerum.* Neque
enim materies omnino nihil est, de qua in lib. Sap. legitur: *Qui
fecisti mundum de materia informi.* Non ergo quia informis
dicta est, omnino nihil est. Et post subjungit: *Nec putandus
est Deus informem prius fecisse materiam, & intervallo aliquo
interposito temporis formassē, quod prius fecerat.* Sed sicut à
loquente fiunt verba sonantia, ubi non prius vox informis, post
accipit formam, sed formata profertur: ita intelligendus est
Deus, de materia quidem informi fecisse mundum, sed simul
etiam concreasse mundo. Non tamoni inutiliter prius narratur
undē aliquid sit, & postea quod inde sit: quia et si potest utrum-
que simul fieri, non potest simul utrumque narrari. Hęc testi-
monia manifeste declarant mentem Augustini P. circa propo-
situm.

121 Augustinum P. in hoc punto secutus est Pro-
copius in cap. 1. Gen. dicens: *Moyses enim in describendo
mun-*

mundi opificium 6. dierum distinctione usus est, docendi gratia, videlicet, ob ruditatem Iudeorum, quibus hoc scribebat, quique ea, que Deus simul fecerat, ob tantam earum multitudinem, & varietatem simul, & conjunctim capere, & comprehendere, ut erant angustissimi ingenij, nequaquam potuissent. Et immediate subjungit, numerum dierum assumptum esse ordinis gratia, & ob intellectus nostri imbecillitatem, dicens: Nam alioquin non quivissimus ordinem rerum creatarum ob multitudinem assiqui. Quemadmodum rerum naturalium corpora vel primis in essentiam progressa fuerunt, simul ceterum, & magnitudinem continent; quorum alterum prius intellectui, alterum secundum est; sic & mundus ordine conditus, non tempore, sed decenti, & debita harmonia undique absolutus est; haud enim pars mundi una formata est, deinde altera defuit.

122 In eadem sententia fuit Rabbi Moyses lib. 2. duotoris ubi ait: *Quod debes scire est, quod illud, quod dictum est: In principio creavit Deus Cælum, & terram, Sapientes dixerunt multis locis, quod ejus expositio est, cum Cælis, & cum terra, hoc est, quod Creator creavit cum Cælis quidquid est in Cælo; & cum terra quidquid est in terra. Tu vero scis, quia dixerunt, quod Cæli & terra simul creati sunt, eo quia Propheta dixit: ego vocans eos stantes simul. Omnia vero simul creata sunt, & omnia primi apparuerunt. Et assimilaverunt hanc rationem Agricole seminanti diversa genera seminum simul in terra: pars autem oritur post unum diem, alia vero pars post duos dies, &c.* Secundum igitur hanc opinionem sine dubio poterit solvi dubitatio illa, quomodo fuerit primus dies, 2. & 3.. & subjunxit Hamero: *Hec Rabinorum interpretatio, non solum veritati consona est; sed etiam veritas ipsa, & Deus omnia simul creavit verbo suo, & imperij sui dicto, quod S. Scriptura attestatur: qui vivit in eternum creavit omnia simul.*

123 Philo Judeus lib. de Allegorijs legis Mosaycæ , ait: *Sed gentis rusticæ est putare, sex diebus, aut utique certo tempore mundum conditum; quia totus mundus vicissitudo est dierum, ac noctium, quam Solis motus super terram, sub terraque meantis, necessariò conficit. Sol autem pars cœli censetur, ut fatendum sit, tempus posterius a mundo esse; quippe quod mundi est effectus: nam cœli mo-*

, tuus indicavit naturam temporis: ergo cum audis: comples
 „ vit sexto die opera, intelligere non debes de diebus ali-
 „ quot, sed de senario perfecto numero. Verum notandum,
 quod preallegati Auctores non loquuntur de simultanea re-
 turn productione cum distinctione, ac moderatione à M. P.
 Augustino adjecta, nimirum, quod licet partes principales
 mundi simul actu fuerint productæ in proprijs naturis, secus
 autem mixta, que in operibus sex dierum seminaliter dun-
 taxat habuerunt esse secundum Augustinum P. Doctores au-
 tem allegati suam mentem non ad hunc sensum aperuerunt.

124 Quid tandem Ang. Praeceptor, B. Albertus Magn. alijque Doctores Scholastici de hac re senserint, sciscitaris? Et profectò quantùm ad D. Thomam licet S. Doctor in summa Theologiae diversas SS. PP. sententias problematicè solùm tractaverit, argumenta que utriusque partis probabiliter solverit, pro sua erga Patres admirabili modestia, & reverentia; siquando tamè crisim expositionum in hoc puncto fecit, Augustini P. positionem alijs sententijs prætulit; ut videre est q. 4. de pot. art. 2. in corp. ubi sic concludit: *Harum igitur expositionum prima, scilicet Augustini, est subtilior, magis ab irrisione infidelium Scripturam defendens. Secunda vero, scilicet aliorum Sanctorum, est planior, & magis literæ quantum ad superficiem consona; quia tamen neutra earum à veritate fidei discordat, & utrumque sensum circumspectantia literæ patitur; ideo ut neutri harum expositionum prejudicetur, utramque opinionem sustinentes, utriusque rationibus respondendum est.* Et in 2. dist. 12. q. 1. art. 2. in fine corp. sic ait: *Hæc enim positio (nimirum aliorum Patrum) est communior, & magis consona videtur litteræ, quantum ad superficiem: Sed prior (nempè Aug.) est rationabilior, & magis ab irrisione infidelium Scripturam S. defendens, quod valde observandum docet Augustinus super Gen. lib. 1. cap. 19., ut sic Scripturæ exponantur, ut ab infidelibus non irrideantur. Et hæc opinio plus mihi placet; tamen utramque sustinendo, &c.* Et ibidem art. 3. prope finem sic ait: *Et hæc quidem exposicio subtilis, & congrua est, dummodò luxe, & dies propriè in spiritualibus dicantur, & non metaphorice, ut Augustinus vult 4. super Gen. ad lit. Aliter enim esset exposicio mystica, & non literalis.*

125 Habemus ergo ex gravissima censura, & iudicio Angelici Præcept. sententiam Augustini P. subtiliorem esse, magisque ab irrisione infidelium Scripturam S. defendere. Poterant quidem infideles ex successivo, & moroso rerum in principio à Deo effluxu, vel impotentiam aliquam in ipso conditore arguere, vel lassitudinem à labore, facto primo opere, ipsi tribuere, quasi aliqua refectione, & quiete eguerit, ut opera sua continuaret, præsertim cum consummatis operibus Dei, legerent ipsum requieuisse ab omni opere, quod patrarent. Hanc autem calumniam subtilissimè præcavet Augustinus P. sua expositione; & profectò ad intentiōnem Auctoris, ut fatetur D. Thomas, dicens : *Et utrumque sensum circumstantia literæ patitur, & infra amplius patebit.* At in positione aliorum Patrum, licet possit prædicta calumnia vindicari, non tamen adeò perspicue infidelibus potest demonstrari, quod Deus nec cum creavit, fuit defesus, nec cum cessavit, refectus. Habemus ulteriùs, quod Expositio aliorum Patrum duntaxat est literæ magis consona quantum ad superficiem ejus; ut autem art. 1. num. 4. ex Hieronymo dictum est, sensus Scripturæ non est in superficie literæ, sed in medulla, non in sermonum folijs, sed in radice rationis. Augustinus autem P. profundissimè scrutata radice rationis, facta diligentí collatione locorum S. Scripturæ, suam positionem literæ consentaneam, & varia ejusdem loca apparente opposita fœderantem, statuit. Unde Angelicus P. secundo loco allegato eam *rationabiliorem* reputavit; proptereaque ipsi magis placuit. An ne & Præmonstratensisbus, verè Augustinianis, magis arridebit ipsius tam subtilis, adeoque rationabilis sententia? Utique; tot quippè titulis sumus Augustino devincti, quot homines ad gratitudinem solent moveri. Unum inter omnia præcipuum non tacebo: Quod, nimirum, SS. Patriarchæ N. Norberto, de instituto eligendo nutanti, Deumque, ut ipsum in tanto negotio illustraret, oranti, apparuit Sanctissimus Legislator Augustinus, suamque aureis literis exarataam regulam porrexit, & Patrocinium suum, atque in tremendo Dei judicio tutellam, suis filijs, sub ejusdem regula benè militantibus, præstiturum benignissimè obtulit. Age ergo, ut in gratitudinis specimen, rationabilem hanc, & solidam subtilitatem Augustini perscrutemur, ipsamque va-

rijs Auctorum dicterijs, atque minis modestis censuris irritatam, vindicemus.

126. Eandem præferentiam meruit positio Augustini P. apud Albertum Magn. in 2. dist. 12. art. 1. in corp. dicentem: *Sinè prejudicio loquendo, nihil videtur mibi verius, quām id quod Augustinus dicit.* Et in 2.p.summae Theologiq tract. 11. q. 46. post explicationem sententia Augustini P. subdit: *Et hec sententia mibi probabilior videtur.* Et in lib. de 4. coevis tract. 4. q. 71. art. 1. in corp. ait: *Sinè prejudicio sententia melioris, videtur Augustino consentiendum.* Ergo B. Alberto Magn. nihil verius visum est, quām sententia Augustini P., ipsaque probabilior ei apparuit, Augustino que consentiendum censuit, licet ob reverentiam Sanctorum locis citatis problematicè procedat, magis tamen inclinans ad placitum Augustini. Nunquid ergo sententia Augustini P. à Theologorum Scholasticorum Principibus adeò exaltata, habenda est veluti expositio *parabolias, allegorica, peregrina, & intentioni Moysis minus consentanea*, ut Recen-tiores Theologi & Expositores censem? Absit.

127. Nec minis Augustino P. videtur favere S. Bonaventura nuper citatus, dum ait: *Et hec positio multam fuit rationabilis, & valde subtilis; causamque premisserat S. Doctor, dicens: Quidam, inter quos præcipuus fuit Augustinus, magis fecuti sunt viam Philosophicam, qua illa ponit, que magis sunt rationi consona:* Unde & intellectum Scriptura trahit ad rationis confirmationem, & attestationem: *Unde cum videatur rationabilius, à summa potentia omnia produci simul, & mora temporis interjacentis nullius videatur utilitatis, vel necessitatis, posuit omnia simul esse producta: suam positionem confirmans per autoritates S. Scripturæ, & exponens ilia, quod videtur sibi contradicere, videlicet, de distinctione dies-rum: ostendens, quod illi dies non fuerunt dies materiales, sed potius spirituales, qui omnes potuerunt simul esse.* Hx. Seraphicus Doctor, ex quibus sic: ergo catenùs censem S. Bonaventura multum rationabilem, & valde subtilem Augustini P. positionem, quatenus hic in ea sic procedit, quod ea, que magis rationi sunt consona, statuit, & ad ejus confirmationem, & attestationem testimonia S. Scripturæ adducit, & quod in ea sibi contradicere videtur, exponit; atqui hoc, & nihil

amplius videtur desiderari, ut expositio aliqua vera, rationabilis, & literalis habeatur: immo magis literalis habenda est illa, quam literę circumstantia patitur, & simul ratione consona demonstratur; quippe ut ex Max. Hieronym. art. 1. dictum est, *veritas Scripturæ est in radice rationis*: ergo expositio Augustini P. quæ magis sunt consona attendens, & se ipsam testimonij Scripturæ muniens, & quæ ipsi videntur contradicere solvens, rationabilis, quinimò & rationabilius existimanda est. Nec viam Philosophicam duntaxat secutus est Augustinus P. in sua expositione dicto modo procedens, quam particulam exclusivam consultò Bonavent. fortassis non posuit, sed simpliciter dixit, *viam Philosophicam magis secuti sunt*. Quoniam modus dicendi, qui testimonij S. Scripturæ innititur, & quod ipsi in Scriptura contradicere videtur, solvit; & insuper rationes ex vera Philosophia veritas adiungit, est modus dicendi via Theologica, hoc est, argumentis ex locis Theologicis, scilicet Scripturæ testimonij, petitis, & simul via philosophica, idest, ex his quæ ratio naturalis persuadet, procedens: ergo Augustinus P. in sua expositione Theologum, & non præcisè Philosophum agit. Infero denique, quod Augustini sententia utriusque Scholæ, scilicet, Angelicæ, & Seraphicæ alumnis grata debet esse.

128. Cajetanus dixit, quod Deus omnia simul creavit; in hoc ab Augustino P. discrepans, quod mixta actu simul cum Cœlis, & elementis posuit creaturæ: & insuper quantum ad hoc, quod dies, quos Augustinus ad cognitionem Angelicam retulit, hic eundem numero diem materialem sex gradibus rerum aptavit; ita ut opera Dei in 6. gradus distributa, ita se habeant inter se, atque si gradus singuli facti essent singulis diebus. Unde unus dies naturalis sexies repetitus, representavit 6. gradus, & ordines rerum, quas Deus primitus creavit. Melchior Canus apud Mag. Bañez sic in præsenti Theologizavit. Dixit enim, Deum omnia simplicitate in primo instanti simul produxisse; mixta vero eodem die, quo mundus cepit. Deinde admittit, dies creationis mundi esse naturales; asserit nihilominus, quod licet unus dies, tamen referuntur ut multi; cō quod ibi usus est Moyses locutione absoluta pro conditionali: quasi Moses dixisset: Si Deus instar humanorum artificium perfecisset opus

88 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

Opus suum successivè, utique sex diebus naturalibus condidisset omnia, quæ narrantur Gen. 1. Vide motiva hujus Auctoris apud citatum M.

129 Frequentius verò Recentiorum opinio distinguit inter opus creationis, distinctionis, & ornatus, & afferit, opere creationis simul produxisse Deum Angelos, Cœlos, & elementa; at opere distinctionis tribas primis diebus partes principales mundi fuisse distinctas successivè opere lucis materialis, firmamenti, & congregationis aquarum. Et demum ultimo triduo, etiam successivè easdem partes congruis suis ornamentis fuisse decoratas; quarto die Cœlum luminaribus; quinto aqua, & aër natatilibus, & volatilibus; sexto autem die terra animalibus terrestribus, & homine. Quem modum dicendi, & Scripturæ S. conformiorem judicant, & à SS. PP. communiter traditum, ut videre est apud Scholasticos, & Expositores nuperiores.

130 Angelicus Præceptor SS. Patrum tam adversas, ut videtur, sententias conciliare nititur 1. p. q. 66. art. 1. & q. 74. art. 2. Igitur S. Thomas hoc 2. loco, ubi clarius se explicat, sequentia habet: *Sed si istæ duæ opiniones referantur ad modum productionis rerum, non invenitur magna differentia.* Et hoc propter duo, in quibus exponendis diversificatur Augustinus ab alijs :: Primo quidem, quia Augustinus per terram, & aquam prius creatam, intelligit materiam totaliter informem. Per factiōnem autem firmamenti, & congregatiōnem aquarum, & apparitionem aridae, intelligit impressionem formarum in materiam corporalem. Alij verò SS. per terram, & aquam prius creatam intelligunt ipsa elementa mundi sub propriis formis existentia; per sequentia autem opera aliquam distinctionem in operibus prius existentibus, ut supra dictum est. Secundum autem differunt quantum ad productionem plantarum, & animalium, que alijs ponunt in opere 6. dierum producta in actu, Augustinus verò potentialiter tantum. In hoc ergo, quod Augustinus ponit, opera sex dierum esse simul facta, sequitur idem modus productionis rerum. Nam secundum utrosque in prima rerum productione materia erat sub formis substantiis elementorum, & secundum utrosque in prima rerum institutione non fuerunt animalia, & plantæ in actu. Sed remanet differentia quantum ad quatuer. Quia secundum alios SS.

post primam productionem creature fuit aliquod tempus, in quo non erat lux. Item in quo non erat firmamentum formatum. Item in quo non erat terra discooperta aquis. Et in quo non erant formatae Cœli luminaria, quod est quartum. Que non oportet ponere secundum expositionem Augustini. Ecce convenientiam, & differentiam inter Augustinum P., & alios PP., quantum ad presentem controversiam, luculenter à D. Thomâ traditam. Sit ergo juxta illam.

SECUNDA CONCLUSIO.

131 Mundus, ut ambit Angelos, cœlos omnes cum luce, luminaribusque, & elementa omnia cum proprijs qualitatibus, locatione, & situatione, quam nunc habent, simul in principio, eodemque momento conditus est à supremo ejus Opifice Deo. Conclusionem primò in universum, & generaliter fundamentis Augustini P. ostendam, & deinde ipsam per partes sua debo. Sit ergo primum argumentum, quod sàpè repetit Augustinus P. ex illo Ecclesiast. 18.: *Qui vivit in eternum crevit omnia simul.* Ergo quæ ad veram, & propriam creationem, seu productionem ex nihilo spectant simul à Deo condita sunt. Atqui omnia in conclusione recensita, ad veram creationem pertinent: ergo simul in principio à Deo producta sunt. Antecedens est litera textus, quæ in rigorosa significazione verbi *creare* accepta, necessariò infert deducam consequiam. Minor subsumpta quantum ad Angelos est manifesta, aliter quippe quæm per creationem producibles non sunt, cùm sint substantiæ spirituales, & immateriales. Patet etiam quantum ad Cœlos, qui in omnium Peripateticorum sententia ingenerabiles sunt, & incorruptibiles. Constat itidem quantum ad elementa, quæ secundum veriorem Philosophiam, nec insificantur Adversarij, non ex materia potentialitate educta, sed per veram, & propriam creationem de facto producta sunt; & quidem nec de potentia Dei absoluta aliter produci potuisse in prima sui productione nobilissimi Philosophi sentiunt. Lux etiam, & qualitates nativæ Cœlorum, & elementorum, cùm ipsorum sint naturales quædam emanationes, & sequelæ, simul cum eorum substantia concreata sunt, ut communiter recepta tenet Philosophia; & licet dissidium

sit, an eadem, an diversa actione , qua essentia, ponantur in esse; omnes tamen conveniunt in eo , quod simul duratione sub existentia ponuntur. Et rursus manifeste suadetur ex illo Deuteronomio. 32. *Dei perfecta sunt opera*; sed Cœlum , & elementa sine luce , alijisque qualitatibus elementorum proprijs, non perfecta , sed potius trunca , & mutila evaderent : ergo. Solum quantum ad situationem & locationem elementorum restat probanda conclusio : & patet ex eodem Deuteronomio testimonio ; quoniam res extra proprium locum , & situm non est perfecta quantum ad propriam inclinationem , sed potius violenta , anxia , desideransque proprium suum centrum , & locum : vel ergo nunc Cœli , & elementa sunt in propria sua situatione , & locatione , vel non ? Si primum: ergo cum Deus in prima rerum institutione se accommodaverit naturis rerum , nec ad miraculum suæ potentiae mundum instituerit, ut sèpè ex Augustino P. docent D. Thomas & Theologi , atque Expositores, consequens est, quod Deus illa in ea , quam nunc habent, dispositione considererit. Si secundum: ergo nunc mundus quantum ad alias partes est violentus. Quomodo ergo perpetuus?

132 Sed dices: textus allegatus non est modo à nobis prætenso intelligendus, quippè sic non congruit historiæ, & narrationi Moysis; sed vel sic: *Quod rerum substantia simul creata est, sed simul species formata non est: & quod simul extitit per substantiam materie, non simul apparuit per speciem formæ*, ut vult B. Greg. Magn. 32. moral. cap. 9. Vel ita: *Ut subaudimus, antequam ficeret:: omnia simul in sua Sapientia*, ut interpretatur Rupertus comment. in Gen. lib. 2. cap. 18. Vel ita: *quia in eodem momento simul, & visibilium materia essentialiter creata est, & invisibilium natura: nihilque postea factum, cuius in ipso primordio, aut materia, ut in corporibus: aut similitudo ut in spiritibus, non praecesserit*. Sic Hugo de Sacram. lib. 1. p. 1. cap. 5.

133 Lusitanus apud Ascan. in comment. sic interpretatur: *Simul, quod videlicet opus suum non interposuit, sed continuavit, donec absolvit*. Vielmius apud eundem lect. 7. sic exponit: Ea communis hominum usu tunc dici simul facta, quando vel nulla , vel admodum parva mora intercesserit, dum efficerentur: citatque Cyrilum dicentem: *simul quandoque*

que capi pro repente, ac statim; & S. Thomam tertia partē q. 52. art. 2. ubi adnotavit, quod fieri statim potest dici, quæ brevi, aut certe non interposito longiori tempore conficiuntur: sic dicitur domus tota simul extrui, ac statim, quæ successivè sine temporis interpolatione edificatur. Pererius in Gen. duas interpretationes adducit. Prima sic se habet: omnia creata sunt simul, ea nempe, quæ sunt, propriè loquendo, creata, idest, ex nihilo facta: hæc autem omnia, inquit, simul uno instanti sunt condita, cœlos dico, Angelos, & quatuor elementa. Secundam interpretationem eruit ex Græca dictio-ne, cui latine correspondet *simul*; & significat idem, quod pariter, seu communiter, & universaliter. Quo præmisso, sensus erit: Deum omnia pariter, vel finè ullius rei exceptione creasse. Sicut dicitur Joannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & finè ipso factum est nihil.*

134 His interpretationibus argumentum Augustini enervare contendunt Adversarij. Cæterum vel cum seniu Augustini P. ille interpretationes fœderantur; vel quæ ipsi opponuntur, non cogunt, ut necessariò admittantur. Certè expositio prima B. Gregorij, ipsamet sententia Augustini P. mihi videtur; quoniam ibi S. Doctor subdit: *Cum enim simul factum Cœlum, terraque describitur; simul spiritualia, atque corporalia, simulque quidquid de Cœlo oritur, simul factum quidquid de terra producitur, indicatur.* Hæc autem est opinio Augustini P. duabus conclusionibus præcedentibus stabilita; quoniam in illis primis operibus Dei intelligit M. P. omnia omnino Universi opera contineri; cum hoc tamen discrimine, quod Angeli, Cœli, & elementa aetū intelligantur à Deo condita: alia autem, quæ ex elementis producuntur, nempe mixta, duntaxat causaliter, potentialiter, & seminaliter. Quæ eadem Augustinus assertit post opus 6. dierum actu, & in se ipsis apparuisse per speciem formæ. Gregorius autem hæc eadem, quæ simul cum Cœlo, & terra adstruit originaliter suisse condita, docet deinde per spatum 6. dierum secundum propriam speciem in lucem prodijisse. Unde quantum ad præsens nulla apparet inter Augustini positionem, & Gregorij expositionem differentia; recteque conciliatur expositio textus Ecclesiast. à M. Greg. data, cum nostra assertione.

135 Interpretatio autem Ruperti minimè admitten-

da convincitur ex doctrina M. P. supra num. 53. tradita; ibi enim versans textum Gen. 2. qui ita se habet: *Cum factus est dies, fecit Deus Cœlum, & terram, & omne viride agri, antequam esset super terram &c.* & examinans, ubi fecerit omne viride, & fœnum agri, antequam exortum esset, respuit, & impugnat, quod nonnulli putaverunt, nimirum, in ipso Verbo Dei facta omnia, antequam exorirentur in terra, dicens: *Sed si hoc modo facta sunt, non cum factus est dies, sed antequam fieret dies, facta sunt: aperte autem Scriptura dicit: Cum factus est dies, fecit Deus Cœlum, & terram, & omne viride agri :: Si ergo cum factus est dies, non utique antequam fieret dies; ac per hoc non in Verbo, quod Patri coeternum est, antequam dies, antequam omnino aliquid fieret.* Ex quibus sic argumentor: Textus Ecclesiastici correspondet literæ Moysis in narratione Genesis Mundi; sed literæ Moysis loquitur de creatione operum Dei in se, & non præcisè in Verbo: immò in Verbo non dicuntur propriè res creatæ, sed cum ipso per æternam generationem congenitæ; & omnia in ipso dicuntur à Joanne necdum viventia, verū & vita ipsa, quāvis in se non sinit vitam habitura: & *quod factum est, in ipso vita erat*; & rursus Moyses loquitur de productione facta, cùm factus est dies; in Verbo autem ante omnem diem, & ab æterno erant, ut Augustinus dicit: ergo. Major ex contextu Ecclesiastici clarè deducitur; ibi enim ¶.3. sic subditur: *Quis sufficiet enarrare opera illius?* Opera utique ab eo facta, nimirum, illa, quæ cap. præcedenti expreferat, dicens: *Quid lucidius Sole? Virtutem altitudinis Cœli ipse conspicit.* Non ergo de creatione rerum Universi in Sapientia genita Dei, intelligendus est locus Ecclesiastici, sed de creatione facta, cùm factus est dies.

136 Nec Hugonis de Sancto Victore interpretatio omnino diffona est positioni Augustini: concedit enim Hugo, quod eodem momento simul, & visibilium materia essentia-liter creata est, & invisibilium natura. Materia autem visibilium juxta ipsum in præfationibus in Gen. non est accipienda omnino nuda forma, sed informis dicenda est in comparatione sequentis pulchritudinis; aitque ibi: *Creata autem est informis, non ex toto carens forma; sed ad comparationem sequentis pulchritudinis, & ordinis, informis potest dici.* Unde materiam visibilium ponit simul creatam, formisque substantialibus

bus determinatam, quod est assertum M. P. Benè verum est, quòd si anterior illa pulchritudo, & ordo, quem spectat, & respectu cuius informis est materia primò creata, juxta hunc Doctorem sit pulchritudo, à proprijs qualitatibus Cœlorum, & elementorum ipsis proveniens, & ordo locationis, & situationis eorumdem; ab Augustino deviare manifestè invenietur. Sed nos in hoc ipsi consentire, nec ratio, nec textus necessitas cogit. Illa autem præcontinentia fiendorum operum in primis operibus Dei, vel materialiter, vel tanquam in suo simili, doctrina est in præsenti art. sèpè à nobis ex Augustino & Thoma data.

137 Lusitani, & Vielmij expositio coincidunt; propterea unica responsonie dicimus, quòd certè illa acceptio particulæ *simul*, pro his, quæ continuò, & sine interrupcione, successivè tamen sunt, quandoque verum tenet; sed alia usurpatio ejusdem, pro eodem, ac in momento, & instanti, etiam communis est, quin & communior, & proprior; ex subjecta autem materia, & ex ejusdem exigentia venandum est, quo ex dictis modis sumenda est dicta particula. In dicto autem testimonio, ut inquit N. Philippus, eò videtur Ecclesiasticum collimare, ut Omnipotentiam Dei velit in creatione mundi collaudare: magis autem commendat Omnipotentiam Dei instantanea rerum Universi producio, quam morosa, serotina, & successiva: ergo magis accedit ad intentionem Auctoris, Augustini expositio, & intelligentia in prædicto loco, quam Vielmij, & Lusitani interpretatio.

138 Denique ad primam Pererij responsonem, quæ desumpta est ex Ang. P. 1. p. q. 74. art. 2. ad 2., ubi reddit interpretationis rationem, dicens: *Unde signanter utitur Scriptura verbo creationis*, dicimus, quòd consultò in probacione conclusionis ex illo testimonio simultaneam productiōnem rerum ad veram creationem spectantium intulimus; & hujusmodi sunt omnia, quæ Augustinus P. simul adstruit producta, ut ibi ostensum est. Unde hæc interpretatio potius est pro sententia Augustini P., quam contra ipsum.

139 Ad secundam solutionem dico, quòd estò vox græca latinè versa, significet *pariter, communiter, seu universaliter*, nihil contra Augustini P. sententiam inde evincitur; quòd enim omnia dicantur *pariter creata, non infert*: ex-

go fuerunt successivè producta; sed hujusmodi locutio admittit atrumque sensum, nimirum, quòd illa successivè sint creata, vel in instanti; quis enim neget ea, quæ in instanti sunt producta, propriè dici, pariter esse producta? Cùm ergo in Vulgata simul asserantur in principio omnia creata, & particula simul in strictiori acceptione, instans, & momentum in eo, cui adjungitur, designet; consequens est, quòd prædictæ significacioni standum est.

140 Probatur secundò conclusio ex illo textu Gen. 2. ex quo sic arguit Augustinus P. 5. de Gen. ad literam cap. 1. dicens: *Nunc autem firmior fit illa sententia, qua intelligitur unum diem fecisse Deum, unde jam illi sex, vel septem dies unius repetitione numerari potuerunt, quandoquidem apertius S. Scriptura jam dicit, concludens quodam modò cuncta, quæ ab initio usque ad hunc locum dixerat, atque infert: hic est liber creature Cœli, & terra, cùm factus est dies.* Et infra cap. 3. ait: *An fortè hoc illud est, quod in libro superiore moliebamur offendere, simul Deum fecisse omnia, quandoquidem narrationis illa contextio, cùm sex dierum ordine cuncta creata, & consummata numerasset, nunc ad unam diem omnia rediguntur nomine Cœli, & terra, adjuncto etiam fruticum genere?* Ex quibus sic: ergo, cùm factus est dies, fecit Deus Cœlum & terram, & omne virgultum agri: ergo non diversis diebus, seu successivè facti sunt, nunc Cœli, post viride agri, antequam esset in terra exortum. Nunc sic: sed ad productionem plantarum tertia dies deputatur: ergo hæc eadem est cum duratio, vel die, cum quo factum est Cœlum & terra; sed hæc in principio, & simul fuerunt creata: ergo. Præterea, Cœli & terræ nomine multoties in Scriptura omnis creatura consuevit comprehendendi, juxta illud: *initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli;* sed Cœlum, & terra simul & unico instanti à Deo emanarunt: ergo.

141 Dices ex Ascanio in Glossa M. tom. I. fol. 162.; textum allegatum ex Gen. 2. peritorum in Sacris literis iudicio ad Augustini sententiam comprobandam, inefficacem, imbecillem, & nullius esse ponderis agnoscitur; cùm dies singulari numero pro plurali, hoc est, pro diebus, & pro eo, quod est in tempore, sibi ex phrasí Hæbræa in S. literis accipiatur; ut eo loco apud Prophetam: *Sicut in die Midianite-*

iterumque apud eundem: *Et erit in die illa, dicit Dominus.*
 Isaia 9. & 24. Unde sicut hic dies pro certo tempore plures
 dies ambiente, accipitur, sic in litera Moysis, maximè cùm
 anteà 6. vel 7. dies prolixè distinxerit. Fateor, quòd hunc
 sensum, utpotè naturalissimum, in Scriptura S. sapientis usita-
 tum, & circumstantiæ literæ non omnino oppositum, patitur
 quidem Moysis narratio. Enimvero sensus in illo textu ab
 Augustino P. intentus non minùs accommodatur circumstantiæ
 literæ; & hæc integrè accepta, & cum textu cap. 1. collata,
 manifestius prædictam Augustini P. interpretationem admit-
 tit, & exigit; quod sic persuadeo ad hominem: quoniam Auc-
 tores solutionis contendunt, quòd ille dies cap. 2. à Moysi
 positus complectitur 6. dies narrationis cap. primi successi-
 vos, temporalesque, & in quibus plantæ, & mixta omnia
 fuissent in proprijs naturis, & secundùm species eorum actu
 condita; hoc autem palam opponitur his, quæ ibi Moyses
 adjungit; apertissimè enim ait, quòd in die illa, de qua lo-
 quitur, plantæ nondum erant in terra ortæ: ergo dies ille non
 complectitur sex dierum naturalium successivum decursum,
 sed duntaxat primum instans creationis Cœli, & terræ, in quo
 plantæ erant in terra originaliter in phrasí B. Gregorij, & cau-
 saliter, potentialiter, & seminaliter juxta placitum Augustini
 P., & juxta literam, *antequam exorirentur in terra;* quo mo-
 do solùm juxta duplìcē proximè explicatam locutionem
 possunt salvare: ergo potius in litera est exigentia ad intelli-
 gentiam Augustini Parentis, quām ut dies pro certo tempore,
 6. dies illos naturales comprehendente, accipiatur: ergo Au-
 gustinus Paren̄s ad sensum literæ congruentiorem confugit,
 cùm diem pro primo temporis momento, in quo Cœlum, &
 terra creata sunt, accipit: ergo ille textus ad Augustini sen-
 tentiam comprobandam necdum non est imbecillis, debilis,
 & nullius ponderis, sed potius gravissimus, & efficacissimus;
 & recursus Adversariorum futilis omnino, & impertinens.
 Quid enim prodest, quòd in latissima Scripturæ S. provincia
 in aliquo ejusdem loco accipiatur dies in singulari pro certo
 tempore, & pluribus diebus, ut exinde inferatur, quòd Gen.
 2. sic est usurpandus; nisi ultrà addatur, quòd similis est ra-
 tio in præsenti, ut ita accipiatur, quod non præstat, nec præ-
 stare potest solutio?

96 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

142 Sed dices , quòd li *antequām orirentur in terra de plantis Gen. 2. dictum*, debet intelligi, non de primo ortu plantarum , sed *antequām ex similibus similia orirentur in terra* , hoc est , *antequām ex plantis tertia die actu creatis in terra* , alia in ea per generationem naturalem orirentur. Sed contra : quoniam litera illa cap. 2. Moysis , est recapitulatio primorum operum Dei, seu de prima absoluta rerum positio- ne in rerum natura ; atqui generatio illa, & ortus plantarum, cùm ex similibus similia oriuntur in terra, non est prima plan- tarum institutio, proindeque nec ad opera 6. dierum spectat, sed ad rerum propagationem , vel, ut ait Augustinus Parens, ad mundi propagationem : ergo Moyses recapitulando pri- main rerum institutionem , minus recte introduceret prædic- tum modum generationis, non pertinentem ad opus 6. dierum, sed ad mundi propagationem : recursus ergo Adversariorum debilis est , & nullius subsistentia.

143 Probatur 3. nostra conclusio quantum ad ejus partes singulatim ; & quoad Angelos quidem efficacissimè manet probata ex Augustino P. num. 118., qui inter PP. Dux & Princeps fuit hujus assertionis, ut Auctor est Ascanius tom. I. fol. 187. ; & nunc jam vel fides Catholica est, definita in Lateran. sub Innoc. III. cap. firmiter de summa Trinitate his verbis : *Deus sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corpo- ralem, Angelicam, & mundanam*; vel si hujusmodi verba vim definitionis non habent , ut Angelicus Praeceptor vult , præ- cipue ob reverentiam Nazianzeni , saltim probabiliorem red- dunt Augustini P. , & aliorum Patrum sententiam , cuius ra- tiones reflectes loco citato.

144 Probatur etiam efficacissimè conclusio ratione D. Thomæ 1. p. q. 61. art. 3. in corp. dicente : *Angeli sunt quedam pars Universi, non enim constituant per se unum Uni- versum, sed tam ipsi, quam creatura corporalis in consti- tutionem Universi convenientiunt. Quod apparet ex ordine unius creaturae ad aliam. Ordo enim rerum ad invicem est bonum Universi; nulla autem pars perfecta est à toto separata: non est igitur probabile, quòd Deus , cuius perfecta sunt opera, ut dicitur Deuter. 32. creaturam Angelicam scorsim ab alijs crea- turis creaverit. Hanc rationem D. Thomæ sic breviter ad for- mam*

mam reduco : Angelus est pars Universi; sed partes simul cum
toto producuntur, nec ab illo separata ab agente procedunt:
ergo. Major probatur ; quia Angeli per se non constituant
unum aliquid Universum, sed tam ipsi , quam creaturæ cor-
porales constituant Universum : ergo. Probatur antecedens;
quia inter Angelos , & creaturam corporalem est ordo : ergo
conveniunt in aliquo uno constituendo ; ubi enim est ordo
unius ad aliud ibi est unum tantum , ut dicitur 2. topic. Pro-
batur antecedens ex D. Thoma 1. p. q. 47. art. 3. ubi unita-
tem mundi probat ex eo , quod quæcumque sunt à Deo , ordi-
nem habent ad invicem, & ad ipsum Deum: que namque à Deo
sunt ordinata sunt : ergo. Vide ipsum 1. p. q. 65. art. 2., ubi
probat , quod ex omnibus creaturis constituitur Universum,
& omnes partes sunt propter bonum Universi, & omnia deni-
que propter Dei bonitatem. Minor principalis syllogismi pro-
batur ; quia nulla pars perfecta est separata à toto ; sed Dei
perfecta sunt opera , ut dicitur Deutor. 32. ergo nulla pars
separata ab alia à Deo producitur : ergo Angelii, qui sunt par-
tes principales Universi, simul cum eo fuerunt producti.

145 Hinc deduces , quod etiam aliæ partes princi-
pales Universi in conclusione recensitæ, fuerunt etiam simul à
Deo conditæ; quippè ratio D. Thomæ æquè de omnibus con-
vincit. Insuper à contrario sensu inferes , quod mixta omnia,
quia non sunt partes principales Universi , non debuerunt si-
mul cum illis produci : unde nec ab Augustino I. nec ab alijs
PP. ponuntur simul à Deo cum Cœlo & terra actu producta.
Colliges denique ex hac ratione confirmari conjecturam su-
præ num. 46. ex Psalmo 148. factam.

146 Confirmatur ratio D. Thomæ ex ipsomet q. 4.
de pot. art. 2. ad 29. per hæc verba : *Dicendum, quod ad sa-
pientiam Dei, cuius omnia opera sunt perfecta, pertinet, ut
nec totum à parte principali, nec partes à toto separatas pro-
ducant : quia nec totum separatum à principali parte, nec
partes à toto separate, perfectum esse habent. Cum igitur An-
geli secundum species suas, & corpora cœlestia, & quatuor
elementa sint partes principales constituentes unum Universum,
cum habeant ordinem ad invicem, & sibi ipsi deserviant: ideo
ad sapientiam Dei pertinet, quod totum Universum simul, &
non successivè, cum omnibus partibus produixerit. Unius enim*

totius, & partium ejus debet esse unica productio, & unum non producitur ante alterum, nisi propter defectum agentis. Deus autem est infinite potentie nullum habens defectum, cuius effectus principalis est totum Universum. Igitur totum Universum cum omnibus suis partibus principalibus simul unica productione creavit Deus. Hæc Ang. P. quæ præclarissimè explicant, & probant Augustinianum nostrum assertum, quantum ad omnes ejus partes.

147 Infirmissimam putavit P. Pererius rationem D. Thomæ, in Gen. lib. 1. num. 196. dicens: *Quæ argumentatio fortassis apud Doctos viros non multum haberet ponderis; licet enim iuxta ipsum ibi, foret, ut valerer ratio D. Thomæ, si Angelus esset pars mundi integralis, vel essentialis; neutrum tamen censet verum, eo ductus fundamento, quod Angelus ducatur est pars mundi ratione ordinis, seu coordinationis omnium rerum, nec est pars mundi, tamquam pendens à mundo, sed quæ ipsum movet, & regit: hujusmodi autem partes cum hoc munere tantum, habent esse perfectum extra totum; sicut Consules, Tribuni, Prætores, & Censores, partes erant Republicæ Romanæ, & extra totum habebant esse perfectum: sicut extra navem Gubernator, extra exercitum Centurio. Ex quo concludit; quod non ob aliam causam pars mundi existimat Angelus, quam quia cum eo cohæret quodammodo, & conjunctionem habet. At quam? Non aliam certè, quam quia movet, administrat, & quodammodo gubernat mundum: hujus autem muneris functio non est Angelo naturalis, sed voluntariè suscepta, & ad tempus imposita à Deo, quippe cessatura post diem judicij.*

148 Hæc Pererius, quæ diligenter examinare oportet, ut rationis D. Thomæ firmitas, & soliditas demonstretur, & ex ea nostra positio amplius illustretur. Et quidem censura illa, quod nimis argumentatio Angelici Præcep. apud Doctos viros non multum ponderis habet, licet particulæ fortassis condimento lenita, nimium videtur auctoritatis Angelici Præcept. jure Theologorum Principis, depressiva, proptereaque nimis rigida, & injuriosa. Nec video, qua ratione inter Doctos viros non sit gravis ponderis existimanda ratio D. Thomæ, ut motiva hujus Doct. expendendo apparebit. Itaque mittens cætera excutere, fundat suam censuram in eo, quod

quod Major propositio D. Thomæ, nimirum, Angelus est pars Universi, non est apta ad inferendam intentam conclusionem; quoniam licet foret, ut valeret ad assumptum, si quidem Angelus esset pars Universi integralis, aut essentialis, tamen Angelus non sic est pars mundi. Hoc autem imprimis inconsequenter asseritur à Pererio, ipse namque eodem lib. i. ad versiculum illum: *Vidit Deus cuncta, que fecerat, & erant valde bona*, num. 160. ait: *Sciendum est, res à Deo conditas duobus modis considerari posse: vel unanquamlibet per se, ac propriè, vel communiter, & conjunctè cum reliquis, prout videlicet mundum integrant, & consummant, vel prout ad usus, & commoditates hominum pertinent, vel prout ad immensam Dei, cunctorum Opificis, potentiam, bonitatem, & sapientiam exprimendam, & quodammodo representandam mortalibus referuntur.*

149 Ex qua Pererij doctrina quis non videat manifeste inferri, Angelos mundum, tamquam partes ejus, integrare, nisi nolit ipsos inter res à Deo conditas computare? Aut quomodo inficiabitur, Angelos ad illa omnia munera, nimirum, ad exprimendam Dei cunctorum Opificis potentiam, bonitatem, & sapientiam pertinere? Igitur cum inter res à Deo conditas primum, & supremum gradum (prior enim omnium creata est Sapientia, hoc est Angelica natura) obtineant Angeli, & juxta Pererium res à Deo conditæ mundum integrant, & consummunt, consequens est, ut Angelis sint partes integrantes Universum. Quo dato, valet ratio D. Thomæ, ut ipse fatetur: ergo tenetur rationis D. Thomæ efficaciam concedere, ne sibi inconstans, & contrarius aperte deprehendatur Pererius. Præterea ipse Author numerus sequenti, res omnes in communi, & ea ratione, ut ex illarum complectione, contextuque, rerum universitas efficitur, recensens, varietatisque bonitatem declarans, Angelos imprimis iure optimo enumerat, inter eosque multipliciter pene infinitam constituit: ergo bonitatem Universi penes varietatem conficiunt Angeli: ergo integrant mundum, ut quoddam bonum est: ergo à summo Opifice, cuius principalis effectus est Universum hoc bonum, & pulchrum, & integrum, non producitur mundus, nisi cum Angelis ipsum integrantibus.

150 At inquit Pererius, *Angelus quidem pars mundi est, sed non talis, que à mundo pendeat, sed qua mundum moveat, & regit*. Optima sane, & vera doctrina, verū minimè ad intentum Auctoris faciens; quod enim Angelus à mundo corporali non pendeat, sed ipsum moveat, & regat, non obest, ut inter integrantes Universi partes computetur; cuius exemplum clarissimum habes in anima rationali; ipsa enim non est pars hominis, ut ab alia ejusdem hominis com parte dependens quoad esse; sed qua corpus moveat, & regit; atqui nihilominus est pars essentialis hominis: igitur infeliciter recurrit Pererius ad probandum, quod Angelus non est pars integralis mundi, ad hoc quod ab alia com parte non pendeat, sed ipsum moveat, & regat. Sicut igitur anima extra corpus non habet statum perfectum, licet per se extra ipsum existat; sic nec Angelus extra Universum, est mundum corporalem duntaxat moveat, & regat. Unde Pererius lib. 4. super Gen. disp. de creatione animæ rationalis, q. 1. hac ratione probat, animam rationalem non esse creatam ante corpus, sed simul cum corpore, dicens: *Animæ rationalis est pars essentialis hominis: ergo extra hominem statum habet imperfectum; sicut omnes partes, cùm à toto, cuius sunt partes, separatae sint.* (Ecce propositionem universalem, ut medium probationis, assumptam à Pererio, quam inconsequenter in D. Thoma restringit, & coarctat.) *Non est autem credibile, Deum in prima rerum institutione, rem aliquam fecisse in statu imperfecto.* Ergo tenetur Pererius fateri vim, & efficaciam rationis D. Thomæ.

151 Restat denique, ut ratio D. Thomæ à Pererio admittenda ostendatur, qua parte probat, Angelum esse partem Universi, ex eo quod ordinem habent ad invicem creature omnes, ex quo bonum Universi consurgit; & propter hoc res principales Universi sint partes integrantes ejusdem. Hoc autem manifestè docet eruditus Pater ibi num. 161. dicens: *Ordo autem mundi in eo cernitur, quod omnes ejus partes aptum ibi, congruentemque locum tenent, & servant, quod pro ratione nobilitatis, & dignitatis rerum, aliæ res sunt inferiores, aliæ superiores, quedam inter has mediae, & aliæ per alias aguntur, servantur, ac reguntur.* Hunc ordinem tanti estimavit Arist., ut extremo metaphysicæ lib. 12. maxi-

ART. III. AN OPIFICIUM MUNDI, &c. 101
mum, & supremum Universi bonum in ordine, & dispositione
collocaverit. Hæc Pererius, ex quibus sic: Ergo bonum Uni-
versi, quod in ejus integritate consistit, coniurgit ex ordine
partium, & ordo carumdem in hoc consistit, quod alia pro-
nobilitate sint superiores, alia inferiores, alia media, & alia
denique per alias agantur, regantur, & serventur; atqui
Angeli agunt, servant, regunt, & movent mundum corpo-
ralem: ergo ordinem, in quo bonum Universi consistit, &
ex quo mundus integratur, principalissimè constituant An-
geli: ergo sunt partes principales mundum integrantes.

152 Integrantes, inquam, sicut humani corporis
membra hominem ipsum integrant; quo exemplo utitur Pe-
rerius ibi num. 162., ubi ait: *Sextum bonum est pulchritudo*
Mundi ex mirabili proportione rerum omnium, tum inter se,
tum cum ipso mundo efflorescens, nec aliter inter se habens, quam
pulchritudo humani corporis, quæ ex concinna, decadentique
membrorum omnium compositione, & ratione existit. Ergo sic
pulchritudinem Universi res omnes in illo existentes consti-
tuunt, & integrant, sicut membra humani corporis pulchrum
reddunt hominem; atqui hæc in integraliter hominem compleant:
ergo pariter Angeli Universum. Et hæc doctrina necedum est
Aristotelis à Pererio citati, verum D. Thomæ 1. p. q. 103.
in solutione ad 3. quam ex Augustino P. 19. de Civit. Dei,
cap. 13. desumpsit; ejus verba ibi sunt: *Bonum multitudi-
nis videtur esse ordo, & pax, que est tranquillitas ordinis.*
Rogo nunc: ratio D. Thomæ ex Augustino & Arist. eruta, &
à Pererio approbata & edocita, habebit ne aliquod ponderis?
utique.

153 Probatur deinde conclusio quantum ad primam
differentiam, quam Angelicus P. num. 130. citatus, statuit
inter Augustinum P. & alios Patres, quod, videlicet, se-
cundum communem Patrum sententiam, fuerit aliquod tem-
pus, in quo post primam productionem creatura, non fuerit
lux; cuius oppositum sic probo ex D. Thoma 1.p. q. 67. art.
3. in corp. dicente: *Sicut calor est qualitas activa, consequens*
*formam substantialiem ignis, ita lux est qualitas activa, conse-
quens formam substantialiem Solis, vel cuiuscumque alterius*
corporis à se lucentis, si aliquod aliud tale est. Ex quibus sic:
Ergo sic comparatur lux ad Solem, sicut calor ad ignem: & sic

sequitur lux Solem, sicut calor ignem; sed calor comparatur ad ignem, veluti ejus proprietas, & sequitur ad formam substantialem ignis sic, quod inter ejus productionem, & caloris ab ipso emanationem, non mediet tempus, sed duntaxat ordo naturae, & causalitatis: ergo pariter lux ad Solem. Nunc sic; sed corpus Solare, & omnia corpora cœlestia simul fuerunt ab initio producta, ut ostensum est, & communiter tenent Adversarij: ergo non fuit interposita duratio successiva, & temporalis inter Solis productionem, & lucis ab eo emanationem. Unde recte probat Eximus Suarez lib. I. de opere 6. dierum cap. 10, num. 17, quod, quia Deus res non mancas, & imperfectas produxit, cœli, & elementa, omnes & solas illas proprietates in primo instanti cōcreatas habuerunt, quæ ita sunt ipsis connaturales, ut vel ab intrinseca natura, & essentia dimanent, vel ita sint illis necessariae, ut absque illis monstrosa, & in sua propria natura imperfecta existerent. Ex quo infert, quod Angelos cum intellectu, & voluntate creavit Deus; cœlos cum quantitate, figura, & alijs intrinsecis qualitatibus; nam is, qui dat formam, dat consequentia ad formam. Denique, quia unumquodque Dei opus in suo ordine perfectum est: & ita condens naturam, non fecit illam mancam, nec monstruosam. Neque in illa natura constitutione fingenda suæ miracula, nisi sint revelata, ut sèpè ex Augustino diximus: talis autem esset hujusmodi corporum produc[t]io sine proprijs qualitatibus. Hæc in substantia ibi Suarez. Quis autem neget lucem esse propriam qualitatem Solis, aut Solem sine luce monstrorum non esse?

154. Huic rationi diversimodè juxta diversas de luce primi diei opiniones potest responderi. Primo ex Basilio Magn. hom. 6. in Gen. dices, quod lux primo die facta est, quarto autem die factum est ejus vehiculum Sol: *Primo dic,* Inquit ibi, ipsa natura lucis producta est, quarto autem die Solis corpus, ut esset illi primogenita luci vehiculum, est conditum. Nam ut alia, diversaque sunt, & non eadem, ignis, atque lucerna: & ignis quidem illuminandi vim obtinet; lucerna autem idcirco facta est, ut moderatam lucem subministraret egentibus; sic & illi purissime, sincere, immaterialique luci, ceu vehiculum nunc ipsa luminaria sunt extorta. Unde ut Apostolus quosdam afferit fuisse luminaria in mundo: cum in-

Interim alia sit vera lux mundi, cuius participatione Sancti animarum facta sunt luminaria, quas erudiebant, eas eximentes ignorantia tenebris: ad eum quoque modum, vel nunc post conditam lucem illam micantissimam, hunc Solem, quem creavit ipse Opifex, ad illustrandum mundi ambitum sua luce perfudit. Hæc S. Doctor, in quibus plura difficillima docet. Primò enim lucem ponit à Sole separatam usque ad quartum diem, quo Sol est conditus, tamquam subiectum, & vehiculum lucis. Deinde lucem illam adstruit purissimam, immateriale que. Et tandem ipsam sic se gesisse ad illuminandum orbem, sicut Sancti ad erudiendas animas ante adventum veræ lucis Christi Domini, autumat.

155 Hæc autem omnia ægrè percipiuntur in prima rerum institutione; neque enim credibile est, lucem primigeniam a subiecto connaturali, nempe Sole, creatam fuisse separatam; quippè accidentia sine subiecto existere, pertinet ad miraculum Omnipotentiaz, ut contingit in Mysterio ineffabili Eucharistiaz. In prima autem rerum institutione, ut ait M. P. Augustinus 2. de Gen. ad lit. cap. 1. & cum eo D. Thomas, & communiter Theologi, & Expositores, quæ admodum Deus instituerit naturam rerum, secundum Scripturas ejus nos convenit querere; non autem quid ipse in eis, vel ex eis ad miraculum potentie sue velit operari. Ergo quid in naturis rerum, & circa eas, ad primum agens comparatas, fuerit in principio factum, secundum Scripturam S. oportet in præsenti indagare, non autem ad extraordinariam providentiam, & miracula configere. Cùm ergo accidentia sine subiecto non nisi miraculosè possint existere, lux, quæ accidens quoddam est, non à subiecto proprio, nempe Sole, separata, producta est.

156 Deinde modus, quo lux illa separata primum triduum faciebat, nempe per emissionem, & contracctionem lucis, & non per motum: ut D. Thomas 1.p. q. 67. art. 4. ad 2. ex Basilio dicit, non videtur naturis rerum consenteus; quoniam, ut ibidem ex Augustino arguit Angelicus P., nulla ratio est hujus vicissitudinis emittendi, & retrahendi lumen; cùm homines, & animalia non essent, quorum uestibus hoc deseruiret. Et praterea hoc non habet natura corporis lucidi, ut retrahat luxem in sui præsenti, sed miraculosè hoc

hoc potest fieri. In prima autem institutione nature non queritur miraculum, sed quid natura rerum habeat, ut Augustinus dicit loco citato. Quod autem lux illa fuerit immaterialis, cuius vehiculum esset corpus Solare, non congruit naturae Solis; quippe non est subjectum proportionatum ad recipientes spirituales formas accidentales. Et rursus, illa luce, & motu agit Sol in hæc inferiora illuminando, & ex elementis mixta generando; ad quod munus magis proportionatum est lux materialis. Illa denique comparatio lucis ad lucem spiritualem, & illustrationem in animabus factam, ope doctrinæ Sanctorum, usque ad Christi adventum, qui est lux vera, licet sit ingeniosa à SS. Patribus excogitata, non tamen est utilis ad literalem expositionem; sed ad mysticum sensum declinat. Alia obstant prædictæ expositioni, quæ videri possunt apud Autores.

157 Occurres præterea ratione ex Angelico P. factæ ex Joan. à Sancto Thoma, qui hic num. 28. ait, quod cum dicitur, quod lux est propria passio Solis, distinguendum est; & negandum, quod sit propria passio ejus absolute, & pro omni statu, etiam informi; & concedendum pro aliquo statu, in quo est formatus. Et ibi num. 29. explicans statum, in quo Sol est perfectus, dicit: quod tunc consideratur in statu perfecto, cum non solum entitativer, & ut quoddam corpus cœleste est, attenditur; sed secundum quod est principium varietatis istorum inferiorum quoad generationem, & corruptionem, & distinctionem rerum. Et similiter lux consideratur, non ut præcisè est illuminativa, sicut etiam inventetur post diem judicij in cœlo; sed ut est alterativa, & generativa horum inferiorum, & vivificativa eorum, ac distinctiva diei, ac noctis; sic enim data est Soli primo illo die: & Sol hujusmodi influentiam in hæc inferiora habet, supposito motu. Ex quo infert, quod lux, ut influxiva, non fuit debita Soli in primo instanti; quia tunc non erat adhuc motus. Et hanc opinionem tribuit Bañessio, & Ferrariensi, & sine dubio, eam esse D. Thomæ asserit: & probat cum Ferrara, quia nimirum in hac q. art. 4. ad 2. dicit: D. Th. illam primam lucem fuisse in Sole: & aliunde docet infra q. 74. art. 2. in corp. post primam productionem creaturæ fuisse aliquod tempus, in quo non erat lux: & supra q. 66. art. 1. dicit,

quod decerat à toto corpore diaphano, quod dicitur cœlum, pulchritudo lucis. Ergo in sententia D. Thomæ (infert) aliquando fuit Sol sine luce.

158 At solutio omnino voluntaria, & literæ D. Th. opposita videtur. Et imprimis considerata natura lucis secundum se, & ut est manifestativa respectu visus, absque ullo prorsus fundamento asseritur dilata, & ad productionem Solis tempore subsecuta. Quoniam Soli naturaliter, & veluti ejus inseparabilis proprietas, convenit lux, secundum quod est quoddam corpus cœlestis, & præcisivè ab influentia in hæc inferiora; quod ex eo fit perspicuum, quia post finale judicium, quando neque erit motus cœli, nec influentia cœlorum in hæc inferiora, erit Sol cum luce: & quidem ampliori, quam nunc habet, quippè erit lux Luna, sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter. Ergo, saltim sub hac ratione, luce non privabitur Sol pro aliqua duratione, cum cætera entia cum suis proprietatibus asserantur producta. Consequentia patet: quoniam catenus dicitur, Soli non competere lucem, ut propriam ejus passionem pro primo instanti, quatenus ipsi datur, ut influat in hæc inferiora, & ad influendum dependet à motu, qui Soli non competebat in primo instanti; atqui apertissimè falsum est, lucem præcisè ad influendum in hæc inferiora Soli communicari; cum uberiorem lucem habiturus sit Sol, quando nullomodo in hæc inferiora influeret quoad generationem: ergo quidquid sit, an lux ut influxiva, debeatur Soli in primo instanti, tamen ut manifestativa præcisè, & illuminativa, ipsi pro quocumque statu propria est: ergo inaniter recurrat Joan. à Sancto Thoma ad illam distinctionem, ut argumentum factum evadat.

159 Præterea: cum ratio lucis, & illuminationis præcisivè ab influentia in generationem mixtorum inveniatur in Sole, ut facetur solutio, quam optimè intelligetur sub hoc conceptu lux corpori Solari à primo instanti competens, cum illoque concreata, licet postmodum supposito motu, ipsi superaccrescat illa virtus ad influendum: sicut in principiis hujus, & plurium aliorum Auctorum ipsamet lux primo die, quoad substantiam, & aliquam influentiam intelligitur producta, & postmodum quarto die de novo additur Soli, & luci aliqua specialis virtus ad particulares effectus, ut Ange-

106 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

licus Præcept. afferit ad mentem D. Dionysij: & Magister à S. Thoma hanc additionem novæ virtutis ad particulares effectus , ut nimirū dies sit die calidior , tempus tempore &c , docet fieri sine additione alicujus novæ qualitatis , vel novæ intensionis lucis , sed ratione diversi aspectus , & congressus astrorum , & luminarium cum diversis motibus : pariter ergo sine nova qualitate superaddita , sed luce Soli congenita , poterit à principio Sol adstrui , & statim motu ipsi addito , cum virtute influxiva , sine nova qualitate superveniente , intelligi: ergo frustra , & sine fundamento differtur produc̄tio lucis , donec Sol perveniat ad statum influxivum in hæc inferiora ; sicut frustra suspenderetur emanatio intellectus , & voluntatis ab anima , quoisque homo perveniret ad statum , & atatem usus rationis.

160 Rursus ; ex eo quod motus requiratur ad influendum actu in hæc inferiora , non infertur , quod ante motum Sol non habeat vim influxivam in hæc inferiora : quoniam motus in corporibus cœlestibus est conditio quædam ad influendum ; vis autem influxiva , licet ad influendum in actu secundo conditionis existentiam requirat , non tamen ut possit influere . Præterquamquod motus cœli uniformis , quem duntaxat habuit usque ad quartum diem in principijs hujus Auctoris , statim incœpit , modo sibi proprio , scilicet , extrinsecè ; unde tempus , quod est numerus , & mensura motus , est unum ex quatuor coavis : ergo aderant omnia requisita , ut cœlum à principio intelligeretur cum vi influiva . Neque actualis influxus fuit in cœlis respectu inferiorum in operibus 6. dierum ; quoniam , ut Recentiores communiter censem , solus Deus fuit Auctor mixtorum in prima rerum institutione . De quo vide M. à Sancto Thoma in opere tertiae , quinta , & sexte diei ; & manifestum videtur in Scriptura , ubi dicitur semper : *Dixit Deus , fiat lux :: firmamentum &c.* & additur : *Factum est ita.* Ad hujusmodi autem instantaneam productionem mixtorum dicto , & imperio Dei factam , non est vis , & efficacitas in causis secundis : ergo distinctione illa status Solis in solutione posita , prossus commentitia apparet , & contra principia hujus Auctoris . Denique inconveniens apparet gravissimum , quod Soli jam existenti superaccrebat nova qualitas lucis ; corpus enim Solare in

in illius receptione alteratur: hoc autem dici non potest; cùm corpora cœlestia sint incorruptibilia, ac per consequens inalterabilia; quippè alteratio est via ad corruptiōnem: ergo.

161 Ad loca allegata ex Angelico P. dico, quòd q. 74. art. 2. non loquitur verbis objectis ex mente propria, sed ad mentem Sanctorum, prout August. Parenti opponuntur. Loco autem probationis conclusionis, rejectis Philosophorum opinionibus de luce, suam statuit verbis ibi allegatis. Similiter q. 66. art. 1. versat problematicè opiniones PP. & etiam q. 67. art. 4. ad 2. Et certè hanc propositionem: *Si Sol esset aeternus, illuminatio ejus, & splendor esset aeternus*, memini me paſſim in operibus D. Thomæ legisse: hæc autem propositio vera esse non potest, quin lux sit proprietas Solis pro omni statu.

162 Denique contra solutionem facit, quòd Deus plantas, aves, pisces, animalia terrestria, hominemque in statu perfecto, necdum substantiali, verūm accidentalī, quantum ad accidentia communia, & propria, & denique in eo statu, in quo ad influendum in proprios effectus essent apta, produxit; quia dīcto & imperio suo omnipotentissimo illa condidit; & quia Dei perfecta sunt opera. Cur ergo non sic gereret se Deus in condendis corporibus cœlestibus, quibus titulo sūx superioritatis ad hæc infima miscibilia, debebatur influxus in illa? An quia natura rei productæ exigebat successivum à Deo effluxum, propterea primò emanavit à Deo Sol, & post decursu temporis addita est illi lux? Sed hoc non: quippè in rebus ad veram creationem pertinentibus, non datur hujusmodi successivus progressus, ut videre est in Angelis, tum ad species intelligibiles comparatis, tum etiam in ordine supernaturali. Et rursus videre est in homine, cui in primo instanti communicavit Deus quidquid ad integrum, & perfectum statum ipsius pertinebat, & quoad propagationem naturæ, & gubernationem generis humani. Unde juxta D. Th. 1. p. q. 91. art. 3. dedit illi scientiam omnium rerum, ut genus humanum instrueret, & gubernaret, & ad proprium finem dirigeret, animalibusque nomina, naturis eorum congruentia, imponeret. Si ergo hominem, cui naturaliter via generationis naturalis competit successivus

progressus , illicò ad culmen dictæ perfectionis evenit , cur hoc idem corpori Solari denegavit ? Sanè hujus non alia ratio potest exhiberi , nisi voluntas Dei , cui *hoc est natura* , quod *ipse voluerit* , ut ex Augustino P. suprà dictum est . At voluntas Dei solum per ejus Scripturas mortalibus innotescit ; in Scriptura autem S. Gen. 1. nulla successio in operibus Dei declaratur , nisi ea , quæ in narratione primæ institutionis rerum consumitur . Unde Augustinus Parenz inquit , quod *Scriptura S. divisit loquendi temporibus* , quod *Deus faciendi temporibus non divisit* . Et aliunde tum Gen. 2. tum Eccles. 18. habemus satis aperta testimonia , similitatem productionis primorum operum Dei demonstrantia ; & ut infra art. 5. dicam , & ratio etiam persuadet , ubi in Scriptura S. sensus verborum Dei obscurus est , ex alijs ejusdem aprioribus testimonijs circa subjectam materiam loquentibus , intelligentia venanda est . Cum ergo litera Gen. 1. obscura sit , ut ex dictis art. 1. patet , & alibi Scriptura genesim mundi simul factam describat , consequens est , quod Scripturæ Sacrae scriptam exponenti standum sit .

163 Secunda differentia inter Augustinum P. & alios SS. à D. Thoma suprà assignata est , quantum ad firmamentum , quod ab alijs PP. secundo die statuitur successu temporis factum , ab Augustino autem impressio formarum cœlestium in materia informi intelligitur , ac per consequens in principio productum . Et priuilegium ad mentem Augustini P. hanc partem conclusionis suadeam , recolenda sunt verba Chrysostomi in proemio premissa , ex quibus inferes , ingenitissimam difficultatem occurrere in determinanda natura firmamenti , sine cuius notitia , non facile potest intelligi , quid in Scriptura S. in opere secundi diei veniat intelligendum . Satis indicavit gravissimam hanc difficultatem Sapiens Proverb. 25. v. 3. cum dixit : *Cœlum sursum , & terra deorsum , & cor Regis inscrutabile* . Rem hanc diligenter examinare , singulorumque opiniones in medium adducere , & de illis judicium ferre , opus est , integrum volumen exigens , qua propter sufficiat pro hoc gravissimo negotio Lectorem ad Africanum remittere , qui tom. 1. Glossæ M. in Gen. quæstionem pro dignitate veritatib; aliqua tamen breviter pro expeditione presentis dubij afferam .

164 Communior itaque hujus vocis *firmamentum* acceptio apud Santos Patres est, vel pro corpore quodam, non gravi, spesso, & crasso, sed tenui, & raro, solido tamen, ac firmo ad coercendas aquas. Sic Basilius Exam. hom. 3. Rupertus comment. in Gen. lib. 1. cap. 22. & Chrysostomus hom. 4. in Gen. vocat firmamentum *parietem*, ac *interstitium in medio dividens*, & separationem aquarum faciens. Et Ambrosius Exam. lib. 2. cap. 4. Firmamentum, inquit, est nuncupatum, vel quod Divina virtute firmatum sit, sicut Script. nos docet dicens: *Laudate eum in firmamento virtatis ejus.* Et Orig. hom. 1. in Gen. ait: *Cum jam anteà Deus fecisset Cælum, nunc firmamentum facit fecit enim Cælum prius, de quo dicit: Cælum mihi sedes est.* Post illud autem firmamentum facit, id est corporeum Cælum; omne enim corpus firmum est sine dubio, & solidum, & hoc est, quod dividit aquam, qua est super Cælum, & aquam, qua est sub Cælo. Eucherius in Gen. lib. 1. dicit: *Firmamenti nomine Cælum significavit: pro eo quod fortiter, & fermè compositum est.* Vell alij firmamentum dictum esse censem, non quia stet, sed quia intransgressibilis sit terminus aquarum. Sic Augustinus P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 10. dicens: *Hoc sancè noverint, nec nomen firmamenti cogere, ut stare Cælum putemus.* Firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intransgressibilem terminum superiorum, & inferiorum aquarum vocatum intelligere licet. Beda lib. de 6. die rum creatione idem docere videtur: & etiam glossa ordin. ex Augustino, & interlinearis Magister Scholasticae historice in Gen. cap. 4. Mag. Sent. in 2. dist. 14. ex Augustino P. & B. Albertus Magn. lib. de 4. coavis q. 4. art. 10.

165 Ubi autem facta sit haec soliditas, & firmitas, intransgressibilque terminus, seu interstitium aquarum superiorum, & inferiorum, ut exinde opus secundi diei determinetur, non omnium una est sententia. Quidam dicunt, in spatio aeris facta esse omnia recensita, ut aquæ vaporabiles ab elementalibus discernerentur, illæque, ne citò dilaberentur, detinerentur. Hanc sententiam memorat Augustinus P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 4. illamque his verbis commendat: *Hanc considerationem laude dignissimam judico. Quod enim dixit, neque contra fidem est; & statim posito documento*

110 *DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.*

oredi potest. Admittit Glossa hanc expositionem, & etiam Beda, & Eucherius; rejicit tamen illam Tostatus in postillis dicens: *Sed ista positio nulla est, quia infrà dicitur, quòd Sol, & Luna sunt in firmamento; sed non sunt in aere: ergo. Quod fundamentum semper mihi gravissimum vissum est, proptereaque non omnino adhærendum prædictæ opinioni, alioqui ab Augustino P. laudata, & à D. Th. i. p. q. 68. art. 10. approbata.*

166 Ex Recentioribus quidam per firmamentum octavam sphæram intelligunt. Hamerus hanc sententiam memorat, & tenet postilla, quæ nomine D. Thomæ scripta est (an tamen D. Thomæ censenda sit, penes Lectorem sit judicium) Catherinus illam affirmat. Alij intelligunt qualitatem aliquam adventiciam, cœlis secundo die superadditam: Ita Lyranus in postillis. Rabbi Samuel sic exponit: *Fiat firmamentum, id est soliditas in corporibus cœlestibus, fundans suam sententiam in illo Job 37. ubi de cœlis dicitur, quòd solidissimi quasi ære fusi sunt.* Egidius Exam. p. 2. cap. 16. per opus secundi dici intelligit cœlorum peculiarem motum retrogradum contra motum primi mobilis. Quidam vero dicserunt, quòd firmamenti nomine cuncta inter primum orbem, & aquam interposita corpora intelligenda sunt. Unde li stat firmamentum, sic interpretantur: vel quòd dispositio omnium corporum simplicium ab aqua usque ad supremum cœlum facta sit, ut Cayetanus; vel quòd soliditas illis corporibus impressa sit, ut Vielmius. Pererius autem hic ait, quòd secundo die factus est aer, non simpliciter, sed ut rationem haberet firmamenti, & munus dividendi aquas ab aquis; & addit, quòd hoc die destinatus est aer, ut esset locus naturalis aquarum, & divideret aquas ab aquis. In hanc sententiam inclinat Exam. Doct. lib. 2. de Opere sex dierum cap. 9. num. 11. Joan. à Sancto Thoma dixit, firmamentum secundi diei esse spatium aëris, ubi condensantur nubes.

167 Plausibilior denique apud PP. expositiō sic habet: *Fiat firmamentum;* hoc est: *Fiant corpora cœlestia.* Pro hac enumerat Ascanius priusquam quadraginta ex celebrioribus Ecclesiæ Patribus, & ex S. Expositoribus, inter quos recenset D. Thomam. Ceterum licet Angelicus Præceptor in Summa Theologiæ inter diversas Patrum Sententias anceps

Iuserit, & neutram alteri prætulerit; tamen in 2. dist. 14.q.1. art. 1. postquam aliquas opiniones circa firmamentum rejecerat, ex propria mente sic opus secundi diei determinavit, dicens: *Sed tamen melius possumus dicere, quod intelligatur de firmamento, quod est cœlum sydereum, supra quod sunt aquæ, non quidem de natura hujus aquæ, quæ apud nos est, sed de natura quintæ essentie, habentis similitudinem cum hac aqua;* scilicet, propter diaphaneitatem, quæ est in Cœlo crystallino. Idem docet S. Doctor ibi art. 2. in corp.

168 Jam denique, quia Augustinum N. pro ingenioli viribus, lectari proposui, mentem ejus circa propositum indagare oportet. Et certè ipsum approbasse opinionem num. 165. insinuatam, manifestum est. Nominè item firmamenti firmitatem, & intransgresibilem terminum aquarum superiorum, & inferiorum significari, ex ipso num. 164. dictum est. Rursus idem S. Doctor lib. 2. de Gen. ad lit. postquam disceptasset pluribus, ex pondere elementorum, aquam supereminere terræ, aërem aquæ, & ignem aëri; proptereaque ægrè percipi posse, aquas super cœlum sydereum considere; tamen concludit ibi cap. 5. dicens: *Quoquomodo autem, & qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitamus: Major est quippè Scripturæ hujus auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas.* Ex hoc autem inferri videatur, quod ex mente Augustini P. nomine firmamenti cœlum sydereum venit intelligendum; alioqui difficultas tam magna non occurreret in credendo, aquas esse super cœlum sydereum, quam auctoritas Scripturæ S. vinceret, & captum humanum ad id, quod ratio non pertingit, intelligendum, captivaret.

169 Enimvero sciendum est, quod Augustinus P. cùm has, & alias expositiones in libris de Gen. ad lit. Scripturæ S. tribuit, non semper ex propria mente procedit, licet illas probabiles judicet. At rogas: ubinam ad propositum ex propria mente locutus est, & quid de opere firmamenti sentit Augustinus P.? Respondeo, quod Augustinus P. per opus firmamenti intelligit impressionem formarum in corporibus cœlestibus. Verum ne me justè judices literæ Augustini minus idoneum interpretem, accipe testimonium Angelici P. dignè, & fideliter ipsum exponentis, qui 1. p. q. 69. art. 1.

in corpore ait: *Augustinus in his operibus non ponit duratio-*
nis ordinem, sed solum originis, & naturae. Dicit enim crea-
tam naturam spiritualem informem, & naturam corporalem
absque omni forma; quam dicit, primò significari nomine ter-
ra, & aquæ: non quia hac informitas formationem præceserit
tempore, sed origine tantum. Neque una formatio secundum
cum præcescit aliam duratione, sed solum natura ordine. Secun-
dum quem ordinem necesse fuit, ut primò poneretur formatio
suprema naturæ, scilicet, spiritualis, per hoc quod legitur pri-
mò die lux facta. Sicut autem spiritualis natura præminet cor-
porali, ita superiora corpora præminent inferioribus. Unde
secundo loco tangitur formatio superiorum corporum, cum di-
situr, fiat firmamentum; per quod intelligitur impressio formæ
cœlestis in materiam informem, non prius existentem tempore,
sed origine tantum. Ecce opus secundo die factum juxta ve-
ram mentem Augustini P. D. Thomani, cuius vera intelli-
gentia colligitur ex testimonio M. P. num. 48. posito.

170 At inquis, secundum hanc expositionem quo-
modo potest intelligi divisio aquarum facta per firmamen-
tum? Si namque hoc opere accipitur impressio formarum
omnium corporum cœlestium in materiam informem; cum
supra cuncta corpora cœlestia non sint aquæ, consequenter
firmamentum non poterit aquas ab aquis dividere, quod est
contra Scripturam S. Respondeo, quod difficultas hæc,
alioqui gravissima, stando positioni Augustini P. nullius est
ponderis; quoniam Augustinus P. per aquas, & terram in
principio Gen. memoratus, intelligit materiam primam, ut
docet D. Thomas I. p. q. 66. art. 3. ad 1: *Augustinus vult,*
inquit, quod nomine terra, & aquæ significetur materia pri-
ma: Non enim poterat Moyses rudi populo materiam primam
exprimere, nisi sub similitudine verum eis notarum. Unde sub-
multiplici similitudine eam exprimit, non vocans eam tantum
aquam, vel tantum terram; ne videatur secundum rei verita-
tem materia prima esse vel terra, vel aqua; habet tamen simi-
litudinem cum terra, in quantum subsidet diversis formis, &
cam aqua, in quantum est apta formari diversis formis. Secun-
dum hoc ergo dicitur terra inanis, vel vacua, vel invisibilis,
& incomposita, quia materia per formam cognoscitur. Unde in se considerata dicitur invisibilis, vel inanis, & ejus poten-
tia

zia per formam repletur. Hæc Angelicus Preceptor; ex quibus manifestè infertur, quod materia prima per aquam à Moysè significata, per impressionem formarum cœlestium ad esse cœlorum determinata, & contracta, per ipsammet impressionem intelligitur ab omnibus, quæ supra cœlos, & infra sunt, sufficienter distincta, divisa, & separata. Et quidem firmiter, & tamquam per intransgressibilem terminum (ut per hoc aptemus intelligentia Augustini P. firmamenti significationem) Quoniam adeò firmiter, permanenter, stabili-
ter, & intransgressibiliter impressæ sunt formæ cœlorum ma-
teriæ informæ, ut inanisibiliter illi adhærent; quippe statuit Deus cœlos in æternum, & in sæculum sæculi. Et rursus cum illis formis cœli constituuntur inalterabiles, & incorruptibi-
les. En ergo firmamenti opus ad mentem Augustini P. cum omnibus muneribus à Moysè secundo die ipsi attributis, explicatum, & in rationabili conjectura fundatum:

171 Secundum hanc ergo intelligentiam manet probata conclusio quantum ad secundam differentiam ab Angelico P. inter Augustinum, & alios PP. Quoniam nulla duratio intervenit, neque absolutè potest intercedere inter informitatem materiæ, & impressionem formarum cœlestium in eam: ergo firmamentum simul ab initio cum Angelis fuit productum. Si autem opus firmamenti, ut existimant alij PP. designet productionem omnium corporum cœlestium, præter Empyreum, quod significatum volunt per cœlum in principio creatum; Contra arguit Exim. Suarez lib. 1. de Op. 6. dierum cap. 3. num. 7. supposito priùs, quod nomine cœli, cùm dicitur: *In principio creavit Deus cœlum, & terram,* non significatur solum elementum ignis, vel aëris; sive illa etiam sub cœli nomine comprehendantur, sive non: quo supposito, inquit, non appetet verisimile, Moysem de solo Empyreo cœlo fuisse locutum: ergo maximè locutus est cœlo Athereo, etiamsi aliud non excluderit. Prob. antecedens, quia, ut Sancti illa verba exponentes dicunt, Moyses, cùm creationis Mundi exordia rudi populo vellet proponere, debuit uti verbis significatione omnibus nota, & familiari: at vero nomine cœli communiter omnes intelligunt hæc corpora su-
periora visibilia, & omnium cognitioni exposita: ergo creden-
dum est, illa maxime nomine cœli significasse; non tantum

cœlum Empyreum invisibile nobis , & sive per motum , sive per alios effectus , valdè ignotum . Accedit , quod de illo cœlo Empyreo vel nulla , vel certè valdè rara mentio in Scriptura fit ; alij verò cœli , qui moventur , & in hæc inferiora influunt , paſsim nomine cœli , vel cœlorum significantur ergo maxime probabile est , non fuisse exclusos a significatione nominis cœli in illis primis verbis . *In principio creavit Deus cœlum.*

172 Rursus redit hic argumentum suprà ex Eccl. 38. factum : *Qui vivit in eternum creavit omnia simul.* Omnia , inquam , quæ per veram creationem facta sunt ; sed cœli omnes per veram creationem facti sunt : ergo Scio , plures ex Patribus sentire , quod cœli , infra Empyreum , ex elementis facti sunt , sive ex aqua , sive igne . At contra hos appetat inconveniens gravissimum ; quod nempe elementa , cœlis inferioria , priùs illis sint facta : hoc autem videtur esse contra ordinem Divinæ Sapientiæ , priùs enim natura , & dignitate sunt corpora superiora , quam inferiora ; & hæc illis subjiciuntur , ab ipsisque reguntur , & aguntur : ergo .

173 Contra afferentes , nomine firmamenti significari duntraxat aliquam immutationem accidentalem , sive in corporibus cœlestibus , sive in regione aëris factam , non autem productionem alicujus substantiæ , hoc , mihi gravissimum , argumentum occurrit : Quoniam Moyses hic tradit historiam primæ productionis rerum : ergo tunc primò absolute , & quoad substantiam fuit aliquid à Deo productum , cùm primò Moyses numeravit in sua narratione factum ; at qui usque ad secundum diem non meminit Moyses firmamenti : ergo tunc à Deo est producta substantia , & primum esse firmamenti . Sed apud hos Auctores substantia firmamenti , sive sit cœlum sydereum , sive aereum , fuit in principio cum Angelis , & Empyreo producta : ergo . Hoc argumentum fundo in illa maxima ab Auctoribus prædictæ positionis recepta , quod , scilicet , Moyses rudi populo condescendens , in sua historia usus est verbis in significatione vulgari , & ad intelligentiam imperitorum , rudiū mque , accommodatis ; rūdibus autem , cùm prima produc̄tio alicujus rei primò , & absolute proponitur , non qualificatio ejusdem , sed quoad substantiam positio rei sub esse declaratur . Si enim rusticō

dicas, factus est homo, utique intelliget, substantia hominis
in rerum natura posita est; non autem quod mutatio aliqua
accidentalis in ipso facta est, puta per acquisitionem scientiae,
virtutis &c. ergo pariter in praesenti.

174 Quod autem per opus firmamenti non debeat
intelligi soliditas aliqua facta in regione aeris ad detinendum
aquas vaporabiles, cum exclusione celi superioris, con-
gruentissime probat argumentum nuper factum, quod, nem-
pe, quarto die stellae assentuntur in firmamento collocatae; ma-
nifestum autem est, stellas in celo aereo non subsistere. Un-
de Ascanius in praesenti predictam sententiam erroneam, &
Scripturae, & Patribus dissonam reputavit. Ego autem cen-
suram omitto, rationem autem hujus Auctoris, jam insi-
nuatam, validissimam reproto. Neque enim ante quartum
diem aliquod firmamentum, praeter opus secundi diei, me-
moravit Moyses: si ergo stellae in firmamento positae sunt,
ut negari non potest, utique firmamentum hoc non est spa-
tium aereum.

175 Ascanius denique Augustinum, & reliquos
PP. conciliare nititur sequenti dicendi modo: Quod, nem-
pe, firmamenti nomine illud mundi spatium intelligatur, quo
astrigeri celi concluduntur, atque ignis, & aeris suprema
pars illa, quae flatibus a Sole attractis nunquam obruitur,
nec ventis iactatur, sed firma semper, & inconcussa consi-
tit. Ceterum hic modus dicendi procedit juxta positionem il-
lius Auctoris, quae supponit, quod in principio inter Empy-
reum, & terram fuerit aliquod chaos aquarum, vel alterius
elementi, & confusio alicujus materiae absque ullo prorsus
ordine; & tunc agrave percipitur, quomodo, vel ubi fuerit
lux, quidve illuminaret, cum nullib[us] esset ordo, sed maxi-
imus horror, & resistentia aquarum a luce insuperabilis. Et
rursus contra hanc positionem militant validissima argumen-
ta supra insinuata; & est contra communioram Philosophiam
de celorum ingenerabilitate, & incorruptibilitate.

176 Jam ad tertiam differentiam inter Augustinum
P. & alios Patres à D. Thoma assignatam accedentes, quae
erat, quod Augustinus P. aquas non ponit aliqua duratione
subsequenti ipsarum productionem congregatas, sic primò
illam probo ex Angelico P. i. p. q. 69. art. 1. in corp. ubi
P. 2. pol.

post verba n. 169. allegata , sic ad mentem Augustini P. prosequitur : *Tertio verò loco ponitur impressio formarum elementarium in materiam informem, non tempore, sed origine precedentem. Unde per hoc, quod dicitur : congregentur aquæ, & apparet arida, intelligitur, quod materia corporali impressa est forma substantialis aquæ, per quam competit sibi talis motus, & forma substantialis terræ, per quam competit sibi sic videri. Et in solutione ad primum ait, quod per congregationem aquarum, & apparitionem arida, impressio talium formarum designatur ; aqua enim est labiliter fluxa, terra autem stabiliter fixa, ut dicit Augustinus 2. de Gen. ad lit. cap. 11. Unde similiter opus tertij diei simul cum cœlis, & Angelis est factum. Rursus pro hac parte instauranda sunt omnia argumenta hucusque pro conclusione facta. Et denique quantum ad aliud opus hujus diei , nempe productionem plantarum, abunde dictum est hoc art.conclusione prima.*

177 Quarta denique differentia , quod, scilicet, non fuerit tempus à prima cœli , & terræ productione usque ad luminarium creationem , ex dictis quantum ad primam differentiam sufficienter ostenditur ; luminaria enim , seu vasæ , & vehiculum lucis , & lucem ipsam, veluti Solis proprietatem , simul ab initio creavit Deus perfecta , necdum quoad esse entitativum , & in se , verum in eo statu , ut possent in hæc inferiora influere : ergo cum luce , & motu ; his enim movent , & immutant corpora sibi subdita. Unde Peterius lib. 1. in Gen. num. 161. ait : *Deus in exordio mundi res omnes fecit , non bonas modò , sed etiam optimas , quippe condidit eas in statu perfecto , & in omnibus accidentibus , & proprietatibus perfectis : denique tales , ut essent perquam idoneæ ad omnes suas actiones , & munera perfectè obeunda , & explenda. Et idem lib. 4. num. 97. ex eo probat , hominem perfecta etate fuisse conditum , quod prima illa Dei opera , que in mundi molitione proximè ab eo facta sunt , perfecta esse decuit. Cur ergo non ita luminaria cum propria sua luce à Deo non evaderent in prima sui productione perfecta ?*

178 Neque audiendi sunt Recentiores , dicentes, quod quarto die Luminaribus duntaxat addita est nova , & spe-

Specialis virtus ad particulares effectus: unde juxta ipsos hinc minaria fuerunt cum Angelis, cœlis, & elementis simul producta; quarto autem die solum accidentalem aliquam mutationem acceperunt. Contrà enim militant validissima argumenta superius facta. Non enim adstruit hic modus dicendi, Dei opera ab ipso immediate producta cum ea perfectione, quæ decet eorum Auctorem. Deinde: juxta Recentiores, ut videre est in Magistro à Sancto Thoma; illa nova virtus quarto die luminalibus addita, non consistit in additione alicujus novæ qualitatis; sed in hoc, quod ratione motus contrarij, cœlis hoc die additi, astra diversos ad invicem congresus, & aspectus acquirant; ex quo resultat, quod diversimodè in hæc inferiora influant. Hic autem modus dicendi valde contrarius est principio, quod ipsi ad arguendum contra Augustinum P. assumunt. Ex eo enim frequentissimè Augustini P. positionem impugnant, quod illa, Scripturæ Sacrae narrationem, intelligentia rudium Hebreworum accommodatam, ad peregrinum sensum, imperitorum captui inaccessibilem, divertit. Rogo nunc: estne hæc locutio Scripturæ S: *Fiant luminaria in firmamento cœli, accommodata ad significandum rudibus,* quod ex tunc accipiunt cœli prædictos contrarios motus, & ratione illorum diversos aspectus, ex quibus resultant in his inferioribus diversæ immutationes, & varij effectus? Quis hoc affirmet? Ergo & positio illa inconsequenter ab his Auctoribus defenditur, & ruit maxima illa, quam contra Augustinum assumunt.

179 Probatur denique conclusio ex aliquibus dictis adversariorum. Magister Bañez ad art. 2. questionis 74. D. Thomæ §. Fateor certè, postquam modestia sibi familiari aliorum placita discuterat, & rejecerat, suam sententiam prolatus, præmittit: *Ego verò illud fundamentum ob oculos haberem, quod Deus in creatione Universi Omnipotentiam suam maximè voluit ostendere, & quantum se non pendeat à creaturis, ut homines ad Divinum cultum induceret, voluit palam facere.* Hæc Sapientissimus Magister, cuius fundamentum mihi etiam firmissimum, & gratissimum apparet. Verum ex illo potius inferitur Augustini P. sententia, quam opposita. Quippe Dei Omnipotentiam, &

Majestatem magis amplificat simultanea rerum productio, quam morosa, & successiva; quoniam eò magis commendatur Divinæ virtutis efficacia infinita, quò plùs elongatur à modo finito operandi creaturæ, quæ non statim à principio, sed decursu temporis, effectum ad suam ultimam perfectiōnem perducit: ergo Deus in momento suum effectum omnibus numeris abolutum producens, magis ostendit suam Omnipotentiam, quam si per temporum moras illum ultimò compleret. Unde Scriptura S. quasi ponderans virtutem Dei in resurrectione mortuorum, *in ictu oculi* fiendam esse describit, ut observat Augustinus P. 4. de Gen. ad literam, cap. 32.

180 Eximus D. Suarez lib. i. de opere sex dierum cap. 10. hanc positionem statuit: *In primo instanti creationis nihil est simul factum, præter calos, elementa, cum locis, & proprietatibus suis; ut Angelos omittam, quos sub cœlis semper comprehendo.* Probat illam ibi num. 8. sequenti congruentia: Quia cœli, & elementa sunt corpora simplicia per se primò pertinentia ad constitutionem Universi, & ideo voluit Deus ea creare priusquam cætera. Et confirmat ex eo, quod solis simplicibus corporibus quasi connaturale est, ut per propriam creationem ex nihilo fiant, quia unum per se loquendo, non est materia alterius; & ideo quodlibet illorum, & omnia simul ex nihilo facta sunt; at mixtis connaturale est fieri ex simplicibus, eorumque mixtione, & ideo non ita sunt cum simplicibus producta. Hæc Eximus Doctor ex quibus sic: *Omnia, quæ connaturaliter pertinet per creationem fieri, & non ex miscibiliū conjunctione, simul in principio, & in primo instanti à Deo condita sunt; atqui omnia in conclusione recensita, ad veram creationem, vel concreationem pertinent, ut suprà fusè ostensum est; neque enim cœli, elementa, & laminaria cum luce, ex prajacente materia fuerunt producta, neque unum horum est alterius materia, ita ut per veram transmutationem fiat ex illa; lux item juxta hunc D. est proprietas corporis Solaris: ergo simul omnia, quæ mundum principaliter constituant, à Deo prodiere.* Unde cum M. P. Augustino lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 33. concludimus: *Nón tardè institutum est, ut essent tarda, quæ tarda sunt, nec ea mora condita sunt saecula, quæ transcurrunt;* hos

bos enim numeros tempora peragunt, quos, cum crearentur, non temporaliter acceperunt.

§. III.

*ARGUMENTIS EX SCRIPTURA SACRA
deductis occurritur.*

181 **P**RIUSQUAM objectionibus cōtra secundam conclusionem respondeam, sciendum est, quod non omnia argumenta, quæ Adversarij in præsenti opponunt, contra August. P. militant; ea nimirum, quæ successivum temporum decursum inter opus creationis, & productionem mixtorum persuadent: fatetur enim Augustinus Parens, temporis intervallum mediasse inter creationem cœlorum, & partium principalium Universi, & opus propagationis, & administrationis rerum, quod sit per hoc, quod ex elementis variæ species mixtorum, Universum sua varietate venustant, actu, & in propria specie generentur. Unde unicè contra Augustinum P. procedunt argumenta illa, quæ successionem inter illa quatuor à D. Thoma suprà posita, persuadent; nempe, inter cœlos, & lucem, item, inter lucem, & firmamentum; rursus, inter hoc, & congregationem aquarum; & denique inter congregationem aquarum, & productionem luminarium. Quo præmiso, primò proponam argumenta ex ordine narrationis Moysis petita, & ex varijs Scripturæ S. locis deprompta. Secundò ex SS. Patribus, eorumque rationibus deducta. Tertiò demum varias reflexiones, quæ conclusioni obstante videntur, enodare curabo.

182 Arguitur 1. Plura enim inveniuntur in narratione Moysis Gen. 1. quæ repugnant positioni Augustini Parens; ibi namque post cœli, & terræ creationem, dicitur, quod tenebrae erant super faciem Abyssi; post additur lucis produc-tio, & divisio ipsius à tenebris describitur; atqui lux, & tenebrae nequecum in eadem duratione coexistere: *Quæ enim con-ventio lucis ad tenebras*, ut inquit Apostolus: ergo lux non est simul cum cœlo, & terra facta. Confirmatur: in opere tertij diei sic dicitur: Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt, in locum unum, & appareat arida. Ergo priùs erant aquæ, terram

undique cooperientes, & post, ad præceptum Domini, in proprios aiveos sunt congregatæ. Atqui in hoc necessariò intervenit successiva, & temporalis duratio; neque enim in eodem instanti, & momento possunt aquæ terram quaquaversum inundare, & ad proprium locum simul congregari: ergo. Præterea: Illud *appareat arida*, denotat, post productio-nem lucis aliquod impedimentum fuisse, obstans apparitioni aridæ, aquæ utique terram cooperientes; sed terra nequit simul esse aquis cooperta, atque simul apparere: ergo.

183 Argumentum hoc est unum ex præcipuis fundamētis Adversariorum, non tamen est adeò firmum, sicut primo aspectui apparet; procedit enim in falso apud Augustinum P. supposito, quod nempe, tenebræ illæ lucem primigeniam preventientes fuerint materiales, lucique corporalī privativè oppositæ. Quoniam August. P. per tenebras, informitatem materiæ significari docet, & per lucem primi diei, formationem primæ, supremaque creaturæ, intelligit; pro quo vide ipsum num. 48. & alibi citatum. Oportuit enim, quod creatio, & formatio Angelii non fuerit à Moysè in narratione primorum operum Dei prætermissa, ut satis indicant illa verba in consummatione operum primæ institutionis rerum posita: *Vidit Deus cuncta, que fecerat, & erant, valde bona.* Ubi, ut suprà ex Pererio dictum est, plenitudo, & perfectio Universi, in ordinae partium ejusdem consiliens, designatur: Angelos autem ad hanc plenariam mundi perfectiōnem integrandam pertinere, nuper abundè ostensum est.

184 Si autem Angeli in primis operibus Dei sunt commemorati; cum primò sint creati, prior enim omnium creata est sapientia, utique cœli nomine sunt significati; quippe hoc asseritur à Moysè primò fuisse creatum. Congruè autem cœli nomine Angelus à Moysè significatur; quoniam cœlum, iuxta D. Thomam i. p. q. 68. art. 4. in corp. quandoque dicitur aliiquid, per participationem alicujus proprietatis celestis corporis, felicitet, sublimitatis, & luminositatis astu, vel potentia: Cum ergo Angelii sint sublimes quidam spiritus super omnem ordinem rerum corporalium collocati, convenienter à Moysè, cœli nomine sunt nuncupati. Nec inconvenit, quod Angelicus P. ibi dicat, quod cœli nomine metaphoricè significatur Sancta Trinitas, propter ejus sublimita-

tem, spiritualitatem, & lucem, de quo cœlo exponitur Diabolum dixisse: *In cœlum conseruandam, id est, ad aequalitatem Dei;* ex quo etiam infertur, quod cœlum metaphoricè dicatur de Angelo. Non, inquam, obest, quoniam imprimis juxta Augustinum Torniellum in Sacris Annal. num. 13. & Suarium num. 180. citatum, Angeli cœli nomine in principio Gen. comprehenduntur. Et præterea conveniens fuit, quod Moyses, rudi populo condescendens, uteretur vocibus, per aliquam similitudinem cum rebus maximè notis, Angelum significantibus; quippe excelsam illam, immaterialem, & spiritualem naturam Angelorum non aliter valerent intelligere Hebrai. Neque alienum omnino est ab historico stylo, quod quandoque, licet raro, utatur verbis in metaphorica significacione, ut in præsenti fateri tenentur, qui per opus firmamenti cœlum stelligerum accipiunt, supra quod aquas esse Scriptura testatur, per quas intelligunt cœlum crystallinum, quod aqueum dicitur, propter similitudinem in diaphaneitate cum veris aquis, ac per consequens metaphoricè.

185 Stabilito ergo, quod Moyses cœli nomine in exordio Genesis Angelum indicavit, quid per terram significaverit, ad mentem Augustini investigandum restat. Et ex suprà dictis secundum D. Thomam, manifestè constat, terra nomine ibi materiam primam designari, ut etiam aperte docet Augustinus P. loco num. 48. citato, & alibi sapè; vide dicta num. 120. Fundatque M. P. Augustinus prædictam intelligentiam in illis verbis Sap. 11. ubi dicitur: *Omnipotens manus tua creavit orbem terrarum de materia invissa.* Vel, ut legit Augustinus P. loco citato: *Qui fecisti mundum de materia informi.* Cùm ergo mundus de materia informi conditus, à Sapiente manifestè afferatur, & prius sit, saltim naturæ, & originis ordine, ex quo aliquid sit, quam quod inde sit: hinc Moyses immedietè ad Angeli productionem, subjunxit materiam informis, ex qua omnia corporalia sunt, creationem. Hanc ergo materiam primam, quia Moyses non poterat rudi populo exprimere, nisi sub similitudine rerum eius notarum; propterè, inquit D. Thomas num. 170. citatus, *sub multiplici similitudine eam exprimit, non vocans eam tantum aquam, vel tantum terram, ne videatur secundum rei veritatem materiam primam esse vel terram, vel aquam.* Et

turus vastitatem , & indecorum materiæ primæ describens, prosequitur Moyses , dicens : *Terra autem erat inanis , & vacua, & tenebrae erant super faciam abyssi*. Hoc est, materia prima , terræ nomine significata , erat inanis , & vacua ; vel ut alij legunt , *invisibilis , & incomposita* , seu incognoscibilis , & ignota , carensque omni decore , & pulchritudine ; materia quippè ex se non habet speciem , neque potens est consequenter , parere notitiam sui ; quoniam *nec est quid , nec quantum , nec quale , nec aliquid eorum , per quod ens determinatur* , ut inquit Philosophus . Ergo ex se materia prima congruè tenebrarum nomine significatur , quia tenebrosa , & obscura est . Unde à Philosophis hyle , chaos , & abyssus nuncupatur ; quia sicut caret actualitate essendi , sic & nomine proprio .

186 Hinc jam ad argumentum patet solutio ; licet enim verum sit , quòd tenebrae , & lux materialis eis opposita in eadem duratione coexistere nequeant in eodem subjecto ; tamen negamus , quòd tenebrae , de quibus in argumendo , sint privatio lucis materialis , & quòd lux post eas facta , sit pariter corporalis , & materialis ; quoniam ut dictum est , cœli & terræ nomine in principio Gen. denotatur creatio spiritualis creaturæ informis , & materiæ invisiæ , seu informis , de qua , vel ex qua Deus creavit orbem terrarum , post autem per productionem lucis designatur formatio creaturæ spiritualis , quæ sicut primò creata est , ita etiam formata est primò , per conversionem ad incommutabile bonum , & adhesionem ad lucem creantem , seu divinum Verbum , ut latius art . 5. dicemus ; deinde ordine etiam significatur formatio creaturarum corporalium modo dicto ex Augustino P. num. 48. Inter informitatem autem , & formationem creaturarum nulla intercessit temporalis mora , quia Angelus creatus est in gratia ; erat enim Deus simul condens naturam , & largiens gratiam , secundum August. P. & Angelos casto amore ipsi adharentes creavit . Et similiter materia prima solum origine , & ordine naturæ formam præcessit , sicut vox cantum , & verba . Unde inter lucem & tenebras , de quibus Moyses , nulla fuit duratio successiva , sed potius simultas , & conventionio .

187 Ad confirmationem similiter dicimus ex doc-

trina Augustini P. à D. Thoma num. 176. explicata, quod per congregationem aquarum, & apparitionem aridæ, intelligenda est impressio formæ substantialis terræ, & aquæ in materiam informem, per quam formam competit aquæ talis motus, & terræ sic videri, seu apparere. Per motum ergo congregationis, qui est in aqua notissimus; est enim aqua labiliter fluxa, ut iuquit Augustinus P. notificavit Moyses rudibus Hebræis impressionem formæ aquæ: convenientissimè quidem, & philosophico more, familiare enim est Philosophis, formas sustantiales, quæ valde à cognitione nostra sunt remotæ, per carum qualitates, & operationes proprias, & motus notissimos, manifestare: unde hominis formam in ordine ad discutsum, & ignis per ordinem ad calefactionem &c. constituerunt explicare.

188 Similiter ad secundam confirmationem dicimus, quod per apparitionem aridæ, impressio formæ elementi terræ convenienter designatur; sicut enim congregationis motus aquæ est naturalis, ita ariditas, & siccitas est propria passio terræ: congruenter ergo Moyses per apparitionem aridæ impressionem formæ terræ determinavit. Pro hujus subtilis, rationabilis, & in Scriptura S. fundatæ interpretationis Augustinianæ confirmatione, reflexione digna mihi visa sunt in opera secundi, & tertij dici illa verba: *Et vocavit Deus firmamentum, Cœlum: Et vocavit Deus aridam, Terram: congregationsque aquarum appellavit Māria. Ubi ponderandum est, quod Deus nomina imposuit firmamento, aridæ, & congregationibus aquarum secundo, & tertio die. Firmamentum vocavit, Cœlum; aridam, Terram: congregationsque aquarum appellavit Māria. Nomina autem, seu vocabula, ut observat Augustinus P. in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 6. ad distinctionem valent. Unde etiam nomen, quid rem notet, appellatum est, quasi notamen. Notet autem, id est, distinguat, & doctilitanter ad discernendum adjuvet. Nunc sic: nomina, & rerum vocabula ad distinctionem valent: ergo nomina recensitis operibus secundo, & tertio die imposita, distinctionem illorum operum designat. Atqui distinctio potissimum fit per impressionem formæ determinatae speciei in materia informi: unde & nomina proprii, & frequentiū à principaliori, id est, à forma contra-*

hente rem ad tale esse , vel aliqua proprietate eidem inseparabiliter annexa , imponuntur : ergo propterea convenienter nomina recensitis operibus secundo , & tertio die imponuntur , ut formatio cœli secundo die , & in tertio elementorum terræ , & aquarum , facta intelligatur. Accedit , quod cum Moyses à principio cœlum , terram & aquas memoraverit , frustranea videretur prædictorum nominum impositio , ipsorumque tam signata iteratio in secundo , & tertio die , si idem significasset Sacer Historiographus prædictis nominibus in opere creationis in primo instanti , ac in sequentibus diebus : hoc autem inconveniens appareret : aliquid ergo aliud dictis nominibus notificavit Moyses in primis illis operibus creationis , ac nunc sequentibus diebus ; atqui nihil aliud convenientius designatum fuisse excogitari potest , præter Angelos , & materiam primam ; hæc enim primò omnium fuisse creata , evidenter alibi exprimitur in Scriptura Sac. ut ostensum ab initio solutionis relinquimus : ergo.

189 Sed dices : quod ibi tenebrarum nomine non debet intelligi informitas , invisibilitas , & incognoscibilitas materiae primæ , sed carentia lucis materialis ; quoniam ibi Scriptura S. designat , ubi fuerint tenebrae , scilicet , super faciem abyssi ; sed nomine abyssi juxta D. Thom. 1. p. q. 69. art. 1. in corp. ex D. Augustino , significatur quadam immensitas inordinata aquarum : ergo tenebrae illæ erant super vastam molem aquarum ; sed tenebrae ad superficiem aquarum pertinentes , sunt materiales , quippe in subiecto materiali existentes , & aquam formatam supponentes : ergo.

190 Respondeo : quod certè secundum Augustinum nomine abyssi immensa aquarum profunditas quandoque significatur ; at etiam juxta ipsum materia informis congruenter designatur , & in præsenti ita contingit : Deus enim creavit orbem terrarum ex materia invissa , ut expreſſe asserit Sapiens. Oportebat ergo , quod Moyses in mundi Genesi meminerit materiae primæ. Hoc autem fecit nominibus terra , aqua , tenebrarum , & abyssi : terræ quidem quia est aliquid rudibus maximè notum , habensque similitudinem cum materia prima , in quantum subsidet diversis formis;

nomine item aquæ , inquantum est apta formari diversis formis ; tenebrarum vocabulo , inquantum est ex se invisibilis , & incognoscibilis ; & denique abyssi nomine , propter immensam vastitatem , & inexhaustibilem potentialitatem . Unde ibi , tenebras fuisse super faciem abyssi , significat , in materia prima esse vastissimam capacitatem ad suscipiendam successivè omnium formarum pulchritudinem , & decorem .

191 Objicies deinde potentissimum , ut vocat Pererius , argumentum : Quia Moyses Exodi 20. cùm daret Judæis præceptum observandi diem sabbati , causam cur Judæi tam sancte , ac religiose Deum colere deberent , hanc unam reddit : quòd sicut Deus mundum , & omnia , quæ sunt in mundo , sex diebus creavit , septimo autem die vacavit , & requievit ab omni opere , quod patrarát ; ita quoque Hebræos debere per sex dies hebdomadæ operando , & laborando versari , die autem septimo ad exemplum , & imitationem Dei , ab omni opere servili , laboreque fetiari . Hæc autem ratio Moysis , ait Pererius , quis non videat , quām sit infirma , futile , & frivola , si Deus non per sex dies , sed simul , & uno temporis momento , res omnes fecisset ? Mitto cætera , quæ ibi objicit Pererius , quippè ad art. 5. pertinentia , de quibus ibi . Et confirmo argumentum ex Aug. Torniello , ubi suprà , num. 33. dicentes quòd forte eadē de causa creditur Dominus præcepisse Exodi 23. & Levitici 25. Hebræis , ut sex annis terram colerent , & in septimo incultam relinquerent : & par ratione , ut Hebraici generis servi , sex annis duntaxat Dominis deservirent Hebræis , in septimo autem ab eisdem libere dimitterentur ; ut patet Exod. 21. & Deuter. 15. Ex quibus infert : Ad quid , obsecro , hujusmodi præcepta , si Mundus re vera unico instanti , non autem sex diebus factus esset ?

192 Potentissimum hoc argumentum sibi objecit D. Thomas q. 4. de pot. art. 2. & solvit dicens : *Ad 5. dicendum , quòd per sex dies , in quibus dicitur Deus creasse cœlum , & terram , mare , & omnia , quæ in eis sunt , intelligitur , non aliqua temporalis successio , sed cognitio Angelica , relata ad sex genera rerum Divinitus producta ; septima verò dies est ipsa cognitio Angeli ad quietem Artificis rela-*

ta. Dicitur enim secundum Augustinum 4. de Gen. ad lit. cap. 15. Deus septima die quievisse, in quantum quietem propriam, qua in se ipso à rebus conditis quiescit, & beatus existit, creaturis non indigens, menti Angelice monstravit, cuius cognitionem diem appellat. Et dicitur ab opere septimo die cessare, quia postea nibil novum fecit, quod aliquomodo in operibus sex dierum non praecesserit, vel materialiter, vel causaliter, vel secundum aliquam similitudinem speciei, vel generis. Et quia post omnia opera condita, Deus septima die in seipso quievit; propter hoc Scriptura, & lex praecepit, septimam diem sanctificari. Nam sanctificatio cuiuslibet rei in hoc maximè consistit, quod in Deo requiescit. Unde res Deo dicatae, ut tabernaculum, vasa, & ministri, sanctæ dicuntur. Dies autem septimus est ad Dei cultum dedicatus: ideo sanctificatus dicitur; ut scilicet, sicut Deus, qui sex generum condidit, & menti Angelica monstravit, non in ipsis rebus conditis, quasi in fine quievit, sed à rebus conditis in seipso, in quo sua beatitudo consistit, permanxit; cum non sit beatus ex eo, quod res fecerit, sed ex hoc, quod in seipso sufficientiam habens, rebus factis non indiget: ita etiam nos, non in eis operibus, aut nostris discansis, sicut in fine quiescere: sed ab operibus in ipso Deo, in quo nostra beatitudo consistit, quiescamus. Propter hoc enim institutum est, ut homo sex diebus laborans in operibus propriis, septima die quiesceret, cultui Divino, & quieti Divina contemplationis vocans, in qua sanctificatio hominis maximè consistit. Novitas etiam mundi maximè demonstrat, Deum esse, & creaturis non indigere: ideo statutum est in lege, ut septima die quiscerent, & festum duocent, in qua mundus consummatus est; ut per novitatem mundi simul producti, & per sex generum rerum distincta, homo semper in Dei cognitione maneret, & de tam universali, & precipuo creationis beneficio, Deo gratias exhiberet, & in ipso, tamquam in fine, quietem suæ mentis poneret, in presenti per gratiam, & in futuro per gloriam.

193 Hæc Angelicus P. in quibus causam sabbatismi, Judæis à Moysè promulgati, eleganter explicat ad mentem Augustini; primò ab exemplo, per hoc quod quia Deus post opera condita, septimo die in seipso quievit (hoc est

quietem, & felicitatem suam ab eterno ex summis suae bonitatis possessione habitam, menti Angelicæ presentavit) propter hoc Scriptura, & lex præcipit septimam diem sanctificari. Ut discamus, sanctificationem nostram non esse quærendam in operibus Dei, aut nostris, nec in illis quietem nostram consistere; neque item illis ita frui, & inhærere debere, (hoc enim esset frui utendis) ut in ipsis sistamus; sed ab ipsis in Deo, in quo est beatitudo nostra. En primam causam sabbatismi, de qua amplius, cum de diebus Angelicis tractemus.

194 Subjungit deinde D. Thomas aliam causam observationis sabbati ex hoc, quod novitas mundi maxime demonstrat Deum esse, & creaturis non indigere: ut preterea per novitatem mundi simul produti, & per sex genera rerum distincta, homo semper in Dei cognitione maneret, & de tam universaliter, & præcipuo creationis beneficio, Deo gratias exhiberet, & in ipso, tamquam in fine, quietem suæ mentis poneret. Ergo juxta D. Thomam sex dierum opera instantium afsignantur pro motivo, & causa sabbatismi, in quantum illa sufficienter ducunt ad cognitionem Dei in se, & quod creaturis non indiget; *invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea, que facta sunt, intellecta conspicuntur, semper ita quoque ejus virtus, & divinitas, ut inquit Apostolus ad Rom. 1.* & ex hac cognitione Creatoris per creaturam, possent homines in laudem Creatoris assurgere; quare meritò subdit ibi Apostolus: *Ita ut sint inexcusabiles (id est mundi Sapientes) quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ergo creaturæ ex eo, quod sunt medium cognoscendi Creatorem, moveant consequenter ad laudem, & glorificationem sui conditoris.

195 Præterea, sex genera rerum primitus à Deo producta, in causa sunt, ut homines excitentur, & moveantur ad laudandum Deum, ipsumque glorificandum, quod in omnibus illis, & singulis cernere est speciale beneficium Creatoris erga homines: cum ergo in allegato Exodi loco motivum sabbatismi Judæis à Moysè intimati, & nihil præterea importetur, & hoc in beneficio, hominem ad agendum gratias alliciente, præcipue consistat, consequens est, quod id, in

quo est assignare hominis utilitatem in primis operibus Dei, ipsum sit causa sabbatismi: atqui hoc non in eo, quod dies creationis mundi fuerint naturales, vel spirituales, sed in eo, quod sex rerum genera, primitus à Deo producta, in hominis utilitatem cedant, consistit: ergo.

196 Quod autem omnia opera prima institutionis rerum in hominis beneficium, & utilitatem ordinentur, pulchre explicat Aug. Torniellus ubi supra fol. 80. n. 35. dicens:

Altero modo dicitur Deus fecisse mundum propter hominem, quem in eo plasmare disposuerat, quia, videlicet, ad ejus comodum, ususque, omnia sensibilia facta esse, certum est, ut quotidiana docet experientia. Videmus enim cuncta, non solum animalia, & plantas; sed etiam petras, terram, metalla, mineralia, & quidquid aliud in mundo est, sive magnum, sive parvum, omnia, inquam, & singula in gradu suo eidem homini deservire, vel ad cibum, vestitum, morbos curandos, vel ad varia oblectamenta; quin etiam ad ipsum in multis erudiantur, & cum opus est, castigandum: adde insuper, ut dictum est, & ad manifestandum hominibus infinitam Dei potentiam, & virtutem, que non minus in minutissimis quibusdam animalibus, quam in magnis eluet: Nam et si grandia quedam animalium corpora, puta cætorum, & elephantorum, & hujusmodi, cunctis admirabiliis videantur, & Divinam creatoris potentiam valde admirandam commendent: attamen si & alia quedam, usque adeò minima quorundam animalium corpora, ut vix sensu percipi quariant, attentius considerentur; & quomodo in tam exiguo corpusculo tot reperiri organa possint, quot varijs eorum motus, & facultates necessario requirunt, & ostendunt; procul dubio non minus admirabilem in ipsis, quam in magnis, Deum esse, congeriemus. Quin potius minima hæc (quippe que de cætero prorsus homini inutilia esse videantur) has potissimum de causa condita esse evidenter, ut in his præsentim admirabilem Dei potentiam, sapientiam, & bonitatem, que etiam ad hæc adeò minima, & contemptibilia tantisper se extendat, non sine stupore consideremus. Cæterum si ipsimet cœli, qui, ut ait Psalmista, enarrant gloriam Dei, multis quoque alijs humanae vita usibus inserviunt; si, inquam, Solem, & Lunam, & omnia astra cœli creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus, que sub cœlo sunt, ut dicitur Deuter.

ter. 4. Et quod maius est, si etiam Angeli sunt administratorij spiritus, in ministerium missi, propter eos, qui hereditatem capiunt salutis, ut aperte testatur Apost. ad Hebreos 1. quis dubitet, cetera quoque minus perfecta, & consequenter totum hunc mundum, propter hominem esse factum, & cuncta, que in eo sunt, eidem ex divina dispensatione famulari?

197 Entraundum, quantum ad omnia, in hominis beneficium, utilitatem, doctrinam, eruditionem, oblectamentum, & ministerium, cum magna nostra admiratione, & stupore ordinatum. Unde Apost. inquit: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Admirabilis ergo haec dispensatio Dei, qua cuncta in hominis commodum disposuit, est causa ipsum excitans, movens, & alliciens ad gratiarum actionem, sabbati cultum, & quietis Divinæ contemplationem. Neque enim hujusmodi conducentia appetet in eo, quod Deus successivè, vel simul opera sua primitus considereret; sicèt namque foret, ut in morosa & successiva rerum productione, causa, & motivum divini cultus splenderet, si diuturnitas in operando, labore, & lassitudine Opificis fieret; quippe in hoc eventu tempus, & labor in utilitatem hominum consumptus, ipsorum beneficium præferret; tamen, cum Deo optimo Maximo, dicto, & imperio competit agere, & ipsi idem sit velle, ac benefacere: propterea, quod Deus beneficium hominibus in tempore, vel in momento conferat, non involvit respectu hominum speciale gratitudinis motivum, benè verò, quod omnia opera in utilitatem hominum sint à Deo ordinata. Ex his, ut opinor, manet potentissimum illud argumentum penitus contractum, & simul constat, quod ratio Moysis Exodi 20. pro sabbato observando, est beneficium creationis; quod, nimirum, omnia opera, scilicet, celum, terra, maria, & omnia quæ in eis sunt, propter hominem considerit Deus, ipsique famulatur, ut ex Torniello dictum est. Quod autem per sex dies protracta, dilata, & procrastinata rerum producção, nihil conferat ad cultum Dei, & sabbatismum, constat ex dictis. Unde ad finem Moysis, successivam rerum productionem prorsus ineptam, infirmam, frivolum, & futilem reputo; quippe nullum Dei erga homines beneficium demonstrantem. Unde ratio sabbatismi à Moyse Exodi 20. indicata, non coasistit in sex diebus ibi memoria-

130. *DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.*
tis, sed in sex operibus, & genribus rerum in illis comprehensis, & ad hominis commodum ordinatis.

198. Hinc jam ad confirmationem patet solutio, & quidem ex doctrina Tornielli deducta. Dicimus enim, quod eadem causa assignatur pro colenda terra sex annis, septimo autem otio relinquenda: & pro dimittendo servo, & ad suam libertatem restituendo, septimo anno, ac pro sabbato colendo: Quippe haec omnia recolunt, & in memoriam revocant beneficium creationis supra explicatum, quod, ut dictum est, non consistit in momentanea, vel successiva rerum productione, & morosa beneficij collatione, sed in utilitate hominibus ex rebus creatis proveniente. Quod autem hujusmodi utilitas, commoditas, & beneficium hominis, ex quo ad ipsum omnia ordinentur, sit causa movens ipsum ad Divinum cultum, confirmatur ex contextu Deut. 5. ubi ad objectum testimonium additur: *Memento, quod ipse servieris in Egypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Idcirco praecepit tibi, ut obserwares diem sabbati.* En beneficium educationis, & redemptionis Hebraeorum ex captivitate Egypti redditum à Moysè pro causa observationis sabbati. Ergo ubi assignatur sex dierum opus pro causa sabbatismi, non dies, sed opera in illis comprehensa, atque in hominis utilitatem creata, sunt ratio formalis motiva: ibi enim est assignanda ratio motiva cultus, ubi invenitur beneficium, quod non in diebus, sed in operibus in illis factis, relucet..



199. Argues 3. ex illo Judith 2. *Tu fecisti priora, & illa post illa cogitasti.* Ergo in operibus Dei fuit ordo prioris, & posterioris ex parte rerum factarum; neque enim ex parte actus Divinæ cogitationis potuisse esse talis ordo: ergo non simul creavit Deus omnia. Præterea: in Psalm. 103. dicitur: *Omnia in sapientia fecisti;* sed Sapientis est ordinare, ut dicitur 1. metaph. ergo videtur, quod non omnia simul creata sunt, sed secundum ordinem temporis successivè.

200. Respondeo ad 1. ex D. Thoma q. 4. de pot. art. 2. ad 1. *Quod in productione Divinorum operum, ordo naturæ, & originis, non autem durationis, servatus est.* Nam prius natura, & origine producta est natura spiritualis,

& corporalis informis, & postea formata est. Et licet simul tempore utraque natura sit formata; quia tamen natura spiritualis est dignior corporali: ideo ejus formatio, naturae corporalis formationem debuit precedere. Rursus, quia naturae corporalis incorruptibilis dignior est natura corruptibili, debuit & ordine naturae ipsa prius formari. Et ita prima die designatur formatio naturae spiritualis in productione lucis, qua mens spiritualis creature illuminata est per conversionem ad Verbum: secunda vero die designatur formatio naturae corporalis celestis per productionem firmamenti: tertia vero die designatur formatio naturae corporalis quatuor elementorum: Quarta autem designatur ornatus celi pro productum luminarium, qui ordine naturae debet precedere ornamentum aquae, & terre, qui factus est in sequentibus diebus. Et sic Divina opera quodam ordine, scilicet, naturae, & non durationis, sunt facta. Hæc Angelicus Præceptor, quem clarissima sunt pro argumenti solutione.

201 Ad textum Psalmista respondet D. Thomas doctrina in probatione conclusionis supra num. 146. data, subjungitque ordinem num. precedenti explicatum. Et sane argumentum patitur manifestam instantiam in omnium sententia admittendam. Ut enim supra num. 103. prænotavi, innegabile est, Deum, ad nutum voluntatis suæ, simul omnia creare potuisse. Essent ne, rogo, in hac hypothesi ordinata opera Dei, ordineque & in sapientia producta, & disposita? Utique; neque enim aliter, quam in sapientia posset Deus condere universa, quippe Verbo, quod est sapientia genita, producit Deus omnia. Ergo ad ordinem Sapientis, cuius est infinita potentia, non pertinet successivè producere sua opera; immò hic modus, quantum est ex se, arguit infirmam potentiam, ut cernere est in creaturis, sed simul; nescit enim tarda molimina Divinæ virtutis efficacia; nisi forte ad morum instructionem, vel nostram exercitationem, quandoque opus suum per temporum moras exequatur, ut in resurrectione Lazari factum credimus. Verum in prima rerum institutione non est querendum miraculum, nec ad extraordinariam providentiam recurrentum; sed duntaxat, quid exigat natura rerum ad infinitam Dei potentiam, & modum operandi ipsius comparata. Ostensum est

autem, quod in his terminis conveniens, & rationabile fuit, ut omnia simul producerentur, nec tamen sine ordine: ordine, inquam, nuper ex D. Thoma, & supra initio art. ex N. Zanh explicato.



*ARGUMENTIS EX SS. PP. DEDUCTIS
occurritur.*

202 **C**onsulto supra testimonia PP. fuse allegavi, ut, scilicet, examinarem, an fundamenta ipsorum pro opposita sententia, Augustini P. positionem infirmem. Et certe ratio, & motivum Nazianzeni, ordinem rerum pro causa successivæ emanationis earum à Deo assignantis, soluta manet ex nuper dictis. Et nota, quod textus Judith ibi à Nizeta allegatus, potius stat pro Augustino P. illud enim: *Praesto fuerunt tibi omnia*, instantaneam rerum productionem designat.

203 S. Ambrosius num. 107. allegatus, duplēcētationem insinuat pro sua positione, & contra Augustiniam. Prima est, ne dum res simul facta, atque suo ornatu venustata appateret, verè increata, & sine principio crederetur. Secunda, quod imitatores nos sui esse voluit Deus, ut prius aliqua faciamus, postea venustumus. Et quod fides nostra quodam gradus crescit. Hac ibi S. Doctor. Sed licet doctrina hæc sit tanto P. digna, & Sacra Scriptura consenteat, & circumstantia literæ ipsam admittat; quod notatum habeas volo, tum pro his, quæ circa motiva Ambroſij, tum aliorum Patrum, dixero; neque enim mea intentio est, eorum expositiones explodere, sed potius affero, ipsas S. Scripturæ recte aptari posse; & quod unicè contendo, est, Augustini P. positionem, S. Scripturæ literaliter acceptæ congrueret, & fundamenta aliorum PP. ad illius desertionem non cogere; immò rationabiliter posse solvi stando positioni Augustini P. istamque validioribus argumentis inniti; licet, inquam, hæc doctrina satis congrueret intentioni Moysis aptari possit, non tamen ita validis argumentis munita, ut ab Augustini casis nos discedere cogat.

204 Dico igitur, quod prima D. Ambrosij ratio non urget, ad adstruendam successivam, temporeaneamque rerum institutionem; neque enim magis conductit ad fidem temporalis creationis mundi, quod successivè partes ejus afferantur productæ, quam quod simul mundus quoad omnes partes ipsum constituentes, adstruatur factus. Cum enim motivum nostræ fidei, & ratio formalis credendi, sit Divina revelatio, vel veritas Divina ut revelans, id tantum per se conductit ad mundi in tempore creationem fide credendam, quod Deus nobis in Scriptura S. revelet mundi in tempore productionem; quod sufficientissime nobis notificat, cum dicit: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Quod autem cœli prius creati afferantur, postea stellis insigniti dicantur; quod terra prius incomposita, & invisibilis declaretur, postea floribus, & fructibus venusta, composta, & ornata describatur, nihil profectò ad fidem creationis cœli, & terræ conducere videtur; hoc enim omnino de materiali se habet ad cœli, & terræ veram in tempore productionem. Qui ergo credere renuit cœli, & terræ temporaneam creationem, licet scriptum legat, in principio creasse Deum cœlum, & terram; nec profectò hoc crederet, licet postea legat, cœlum à Deo stellis esse insignitum, & terram fructibus, & floribus vestitam. Et certè D. Ambrosij ratio instantiam patitur in Angelis, & primis Parentibus, quos Deus simul, & quoad substantiam perfectos, & tum in naturalibus, tum in supernaturalibus venustatos produxit; nec tamen per hoc vel Angeli temporaneam creationem, vel hominis in tempore productionem, credere renaimus.

205 Secunda ratio P. Ambrosij introducit causam moralem pro literali expositione; proptereaque non cogit. Si autem admittenda censeatur, cur non poterit similiter cœli nomine Angelus, vel rationalis natura designari, ut contendit N. Philippus ubi supra, dicens: *Ideò cretarum spiritualem cœli nomine voluit nuncupare, quia cœlestibus eam desiderijs voluit inbiare?* Utriusque enim par apparet ratio. Hoc autem non admittent Adversarij, & meritò, quia pro literali expositione textus, exigentia ejusdem, contextusque coherentia conformiter ad intentionem Auctoris, est at-

tendenda, non autem moralis, aut mystica causa assignanda. Unde secunda ratio Ambrosij minus apta videtur pro literali expositione, licet valde apta sit ad sensum spiritualem.

206 S. Chrysostomus suæ positionis causam numer. 108. relata, ad hoc videtur reducere, quod Deus sua bonitate motus, mundum non simul, sed successivè produxit, & hoc nobis per Moysen insinuavit, cuius narrationi, & non humanis rationibus standum est. Cæterum, quod Deus propter suam bonitatem universa considerit, non debet reputari urgens ratio, ut omnia successivè produixerit; quippe si simul voluisse omnipotens ejus manus omnia facere, quivisset utique secundum hunc præclarissimum P. Demus autem Deo simul mundum creare placuisse. Eset ne mundus propter Dei bonitatem factus? Ita sane: neque enim propter sui utilitatem, aut necessitatem (nullius enim indigus est, qui sibi sufficientissimus) mundum produxisse: ergo ratio illa non est efficax ad statuendum successivum rerum à Deo processum. Benè verum est, quod literæ, & non rationi standum est, ut inquit Chrysostomus; at hoc verum est, cùm litera aliquid expressè tradit, & intentio Auctoribus manifesta est; cæterum Moyses non adeò expressè primam rerum institutionem nobis tradidit, quod in ejus intelligentia non multum hæsitant Patrum sublimia ingenia. Vidiimus namque in proemio, ipsum Chrysostomum expressè fateri, se non intelligere naturam firmamenti, vel quod sit opus secundi diei. Similiter Augustinum P. Originem, & alios in intelligentia priorum operum Dei dissidere cernimus. Cur ergo litera Moysis adeò clara existimabitur, cùm tam diversos sensus pariat apud SS. Patres? Certè hoc unicum ibi manifestissimum judico, quod Deus est Auctor, & Conditor universorum; cætera namque disputationi hominum cum affectione eorum tradita invenio: ita ut ausim dicere, quod nec verbum, præter dogma jam dictum, sit Genesis primo in cap. quod eodem sensu ab omnibus accipiatur. Quia ergo tot occurrunt in presentis literæ discussione difficultates, M. P. Augustinus recurrit pro ejus expositione ad rationis indaginem, qua probat suam positionem, & esse Scripturæ S. consentaneam, quippe in contextu, & alijs ejusdem



locis fundatam, & intentioni Moysis, creationis mundi historiographi, congruentem. Haec autem non sunt humanæ rationes, hoc est, ex Philosophia naturali petitæ; sed rationes Theologicæ, & in Scriptura S. fundatae. Sed de hoc latius adhuc infra.

207 In verbis B. Gregorij Magni num. 109. positis, aliqua inveniuntur, quæ doctrinæ Augustinianæ consonant: ea autem in quibus ab Augustino P. discrepat, satis suprà manent discussa. Hugonis autem ratio coincidit cum secunda Ambrosiji, de qua jam dictum est. Ruperti ratio procedit contra asserentes, plantas, mixtaque omnia simul fuisse à Deo producta. Quid autem senserit Augustinus P. de mixtorum productione declaratum est conclusione præcedenti. Et quantum ad luminaria, satis suprà ostensum est, debuisse simul cum cœlis creari. Quod verò ait Magister, magis videlicet congruere Scripturæ Geneseos, opinionem Hieronymi, aliorumque RP. intelligendum est secundum distinctionem à D. Thoma suprà num. 124. datam, nempe, magis congruere literæ, quantum ad superficiem. Augustini autem positio & circumstantiæ literæ congruit, & rationabilior, subtiliorque est, & magis vindicans Scripturam S. ab irrisione infidelium.

208 D. Bonaventura partim videtur Augustini expositionem extollere, ut num. 127. dictum est; & partim ipsi displicuisse, ut denotant illa verba: *Veruntamen quia ad hanc positionem videtur intellectus Scripturæ distracti* &c. Dico autem ad hoc pro nunc, quod nulla sit Scripturæ S. distractio, nec violentia in hoc, quod juxta expositionem Augustini P. accipiatur; quod non aliter probari potest, quam ostendendo, expositionem Augustini P. ad intentionem Moysis procedere, verbaque ejus in propria significatione usurpare, contextum, & seriem literæ optimè conciliare: quæ omnia in disputationis discursu ostendimus, & infra amplius declarabimus. Ad illud denique, quod ex propria mente asserit S. Bonaventura, estque Alensis observatio, scilicet, quod distinguendum est inter *creare*, & *facere*: & quæ ad creationem pertinent, simul sunt condita; quæ verò ad factiōnem, hoc est, distinctionem, non simul: quod fundat in illis verbis Gen. 2. ubi dicitur, quod *ceccavit Deus ab om-*

ni opere suo , quod creavit , ut ficeret ; Dico , quod certe placet pulchra hæc distinctio ; cæterum ex illa nihil contra Augustinum P. sed potius pro illo infero sic : ergo omnia , quæ ad veram creationem pertinet , simul fuerunt à Deo in principio producta ; sed Angeli , cœli cum luminariis , & luce , & elementa omnia , ad veram creationem expectant : ergo simul creata sunt ; quod , & non amplius vult Augustinus P. Et rursus hæc præcisio confirmat considerationem à nobis suprà num. 65. factam. Vide ibi dicta.

209 In verbis P. Anselmi nihil invenio , quod obsit sententiæ Augustini P. præter illum textum : *Sex diebus fecit Dominus Deus opera sua bona valde* ; ubi si intelligatur , loqui textum de diebus naturalibus , utique obest ; at infrà probabo , illos dies non fuisse naturales , sed Angelicos. Auctoritas Alensis eamdem doctrinam habet , ac Seraphicus Doctor , proptereaque idem est utrobique ferendum judicium ; & quæ in ultimis verbis habet Alensis , manifestè faciunt pro Augustiniana positione. Verba Magni Basilij , & Doctoris Maximi , causum successivæ productionis non assignant ; sed neque necessaria videretur ratio , ut his gravissimis Patribus tribueretur assensus ; cùm pondus auctoritatis eorum facile extorqueret consensum , nisi pro opposita haberemus Augustini P. suffragium , solidissimis in Scriptura S. & ratione naturali fundatis reflexionibus munitum. Augustino ergo standum est , sine exclusione tamen laudabilis expositionis aliorum PP. quoniam circumstantia literæ utrumque sensum patitur.



ARGUMENTA RECENTIORUM solvuntur.

210 ARGUES 1. ex Pererio lib. 1. in Gen. num. 182.
A ubi sequentia opponit : Hæc , inquit , doctrina Moysis de creatione mundi est quadam historica narratio , tradita populo rudi Judæorum , simplici narratione docens , quæ à Deo facta sunt in opis

opificio mundi; quare quæ in ea traduntur, sic accipienda sunt, ut verba ipsa sonant: & illa existimanda est melior expositio, quæ verbis Moysis secundum propriam, & vulgo usitatam significationem eorum, sumptis, magis congruere, & consonare reperiatur. Moyses autem explicatissimè, & distinctissimè percenset sex dies, in fabricando mundo transactos; quin particulatim edocet, quid quoquo illorum die rati factum fuerit. Nec si cogitatè Moyses, & ex professo ostendere voluisse, mundum non simul, sed per sex dies esse creatum, id, quam nunc docet, apertius, & enucleatus docere potuisse. Quòd si voluit significare mundum factum simul, non potuit uti oratione, & verbis proposito suo magis alienis, dissentaneis, atque contrarijs. Nec ille probandum est, quod respondent quidam, Moysen sic esse locutum, ut Scripturam suam attemperare, & accommodaret ad captum rudium Hebræorum, quorum intelligentia, & memoria confusa, & perturbata fuisset, si eis Moyses simul à Deo facta omnia proposuisset: nec potuisse Moysen simul dicere, quæ potuit Deus simul facere; Hoc inquam minimè probandum est; potuit enim Moyses distincte, ac separatim tradere genera omnium rerum, quas Deus condidit, sine ulla distinctione, & commemoratione dierum. Potuit docere, licet partes hujus mundi multæ, ac diversæ essent, simul tamen omnes ex nihilo à Deo esse conditas. Potuit, immò verò debuit, occasionem omnem erroris præcidere Judæis, qui verba Moysis, ut per se sonant intelligentes, haud dubiè credituri erant, non simul, sed per diversa dierum intervalla, mundum esse à Deo fabricatum. Hæc Pererius, quæ diligenter examinanda sunt, & dearticulatim excutienda.

211. Et primò quantum ad maximam illam, quòd, nempe, narratio Moysis historica est, atque ideo verba ejus, ut sonant, accipienda sunt, & secundum significationem vulgo usitatam, jam suprà art. 1. à num. 8. dictum est; ibi dicta vide. Et quidem historiam Moysis in præsenti, rudi Hebræorum intelligentia in omnibus non esse accommodatam, apertissimè evincit SS. PP. tam discors in expositione illius sententia. Et rursus, si maxima illa vera est, quorū illa prohibitiō, teste Hieronymo ibi citato, He-

bras facta, ne legerent cap. i. Genesis usque ad trigesimum
sua ætatis annum? Quoniam si plana, & aperta est Moy-
sis de mundi genesi historia S. necdum non prohiberetur Ju-
dæis ejus lectio, verum prudentissimo consilio ipsi admone-
rentur, ad sui ædificationem, ut frequenter legerent historiam
Moycis, ubi continentur prima Dei opera ad hominum utili-
tatem, & beneficium à Deo benignissimè ordinata. Non er-
go admittenda est illa maxima Pererij, sed moderatius acci-
pienda. Quòd autem Moses explicatissimè perenseat,
sex dies in fabricando mundo fuisse transactos, in causa non
est, ut afferamus mundum successivè à Deo emanasse, licet
particulatim describat Moses, quid quoquo die fuerit
productum; quoniam opus erat ad hoc, quòd vel Scriptura
manifestaret, illos dies fuisse naturales, & successivos, vel
quòd id ipsum recta ratio, vel contextus Scripturae S.
convinceret: Neutrum autem verum est; non quidem pri-
mum, ut infra ostendam. Neque secundum, quoniam nec
verbum habet narratio Moycis, successionem, vel tempo-
ralem decursum indicans, ex quo possit inferri successivus
rerum à Deo processus. Quid ergo, ex quo particulatim edo-
ceat Moses, quid quoquo die à Deo fuerit productum? Sa-
nè nihil aliud, quam quòd Moses ordinem inter res à Deo
in sapientia conditas, per ordinem ad manifestationem in
mente Angelorum factam, indicaverit.

212 Deinde, quod Pererius ait, nempe, quòd
Moses apertius explicare non potuisset, quam nunc do-
cet, mundum successivè fuisse conditum; unde, rogo, hoc
colligit? Non aliundè profectò, quam quòd in fabrican-
do mundum sex dies transactos Moses docuit. Verum ulte-
rius restabat Pererio ad suum intentum, ostendere, illos dies
fuisse successivos; quod constanter cum Augustino P. ne-
gamus. Rursus, voluntariè afferitur à Pererio, Moycis
narrationem undequaque esse contrariam simultaneæ rerum
productioni; nos autem cum fundamentis Augustini P. con-
trarium tenemus, & firmiter sentimus. Neque hujusmodi
repugnantiam positionis Augustini P. cum litera Moysis,
Angelicus Præceptor adnotavit; quinimò utrumque sen-
sum circumstantiæ literæ consentaneum afferuit locis in rela-
tione sententiarum citatis. An quod Augustinum, & Thomam
in

in litera Moysis latuit, P. Pererio, alioqui viro eruditissimo patuisse dicimus? Absit. Illud autem, quod, suppresso Auctoris nomine, improbat, seu non esse probandum judicat praelaudatus P. quod nempe, Scripturam S. accommodavit Moyses rudium Hebraeorum captui; certe Augustini P. doctrina est 4. de Gen. ad lit. cap. 33. in fine dicentis: *Quia, scilicet, iij, qui non possunt videre quod dictum est: Creavit omnia simul; nisi cum eis sermo tardius incedat, ad id, quod eos dicit, pervenire non possunt.* Et alibi ipse dixit, quod *Scriptura S. divisit loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit.* Neque hujusmodi successiva narratio eorum, quae simul facta sunt, cum ordo rerum explicatur, aliena est a communi usu; compositum enim naturale colorum &c. simul factum est: nihilominus Philosophus illud explicans, per partes ejus successivè procedit, & primo materiam primam ejusdem declarat; post, formam: deinde, compositum: rufus, subsistentiam &c. Similiter Moses opera primæ institutionis rerum, a Deo simul producta, populo rudi successivè manifestat, & ordinem originis, naturæ, & dignitatis inter illa ordinatissimè narrat modo suprà ex utroque SS. Doctore explicato.

213 Neque probandum est motivum Pererij ad improbandam Augustini P. doctrinam, quod nempe potuit Moses sine commemoratione dierum sex genera rerum, quas Deus condidit, distinctè, ac separatim tradere, & docere, quod simul eas produxit Deus, immò debuit, ut errorrem Judæorum præcaveret. Non, inquam, probandum est: Quoniam potuit quidem Moses narrationem suam distinctè sine commemoratione dierum disponere, & sex genera rerum simul fuisse a Deo condita, docere: immò vero non potuit; solum enim quod afflante Spiritu S. auditivit, hoc eructare, hoc scribere potuit; alioqui nec verus Propheta esset dicendus. Sed demus, quod potuit; non tamen sic facere voluit, ut factum demonstrat. At si potuit, debuit, inquit Pererius; ut occasionem erroris præcideret Judæis. Verum, pace Pererij, hæc est mala consequentia; quoniam plurima sunt in Scripturis S. obscurissima loca, quæ si caute, & diligenter a doctissimis viris non explicantur, errori sunt obnoxia, & imperitis inaccessibilia; quæ

tamen ab Auctoribus Scripturarum potuerunt clarissimè proponi, ut sic error in eorum intelligentia vitaretur. In his ergo idem argumentum Pererij fieri posset, verùm infeliciter: quoniam, ut dictum est, id solum potuit, & debuit Moyses in historia Genesis præstare, quod ab Auctore principali Scripturarum, nempe Spiritu S. accipiebat, qui ubi vult, quando vult, & quomodo vult, spirat, ob suos inscrutabiles fines. Et similiter dicendum de quolibet Scriptore Sacro.

214 Restat ergo, quòd id potuit, & debuit Moyses in sua historia apertissimè tradere, quod agnoverimus ad intentum principalem ejus in sua narratione pertinere. Finis autem, & scopus Moysis in sua historia Genesis mundi, teste Augustino P. lib. de questionibus ex utroque testamento mixtum, q. 106. in principio, est instruclio Hebræorum contra errores de creatione mundi, illis temporibus grassantes, qui communiter erant circa tempus creationis, & Auctorem creaturarum. Utrumque autem hoc manifestissimè declaravit Moyses: tempus quidem, cùm docet, in principio mundum esse creatum: Auctorem autem, cùm in quolibet opere dicit: *Creavit Deus*: vel *Dixit Deus*, fiat hoc, vel illud; & adjicit. *Et fecit Deus* &c. Satis ergo aperte locutus est Moyses quantum ad instructionem Hebræorum. At quantum ad reliqua, scilicet, modum productionis rerum, hoc, ut in proemio ex Ecclesiast. diximus, disputationi hominum tradidit Deus, ac per consequens, obscurè; atque ideo sine dubio Hebræis non permittebatur usque ad proiectam ætatem, hujus cap. 1. Geneseos lectio. Absit tamen ex hoc erroris occasio, quoniam Deus semper benignissimè provideret, ut in Ecclesia sint legi Doctores, qui Scripturas S. in rebus difficilibus, & obscuris expondere possint rudibus, humiliter sua dubia consulentibus, his, quos Deus, veluti luminaria, in sua Ecclesia præposuerit. Omnibus ergo Moyses in sua historia, quantum cuilibet satis erat, consuluit, sapientibus nempe, & insipientibus; ut eleganter docet Aug. Torniellus ubi supra: *At, inquit, Sacer Historiographus Moyses, quia optimè sciebat, se propter datam sibi à Deo primordiorum mundi notitiam, sapientibus, & insipientibus fore debitorem, ex quo his-*

toriam creationis mundi divino nutu scribendam suscepereat, prudentissimè ita stylum sue narrationis temperare studuit, ut æquè omnibus prodeesse, & satisfacere posset: & que de totius mundi opificio scriberet, sic ab imperita multitudine, quatenus ei opus esse videretur, commodè capi valerent, ut pariter elevationora quoque ingenia primam rerum productionem, tum naturali, tum etiam divino lumine altius contemplandam promoveret. Hæc Torniellus satis opportuna ad præsentem difficultatem solvendam.

215 Objicies 2. Nam juxta dicta in conclusione, omnes partes mundi in suo loco naturali fuerunt à principio simul productæ: ergo non in situatione, quam nunc habent. Antecedens ex dictis constat. Probo consequentiam: Quoniam naturalis situs aquarum est superficies terræ, undique illis circumvoluta: ergo sic fuerunt aquæ primiùs produc&æ; ergo post aliquam durationem sunt congregatae: ergo sicut successio inter illarum productionem, & congregationem. Atqui congregatio aquarum est aliquod opus primæ productionis rerum: ergo non omnia, quæ ad primam mundi constitucionem pertinent, fuerunt simul in primo instanti facta. Antecedens patet à simili aliorum elementorum, quæ invicem se undique ambient. Consequentiae inferuntur. Respondeo ex D. Thoma q. 4. de pot. art. 1. ad 20., quod elementa dupliciter possunt considerari; vel absolute, & sic naturale est aquis, quod terram undique circundent: vel in ordine ad generationem mixtorum: & sic naturaliter convenit aquis situs, quem nunc habent. Disposuit enim Deus, quod terra esset habitatio comoda hominum, aliorumque animalium, congruaque illorum substantatio ex illa oriretur; ad quod oportuit, quod aquæ in suis alveis essent congregatae: unde sic illas Deus constituit. Sicut quia in primo homine est duplex consideratio; una, qua ut quoddam individuum naturæ humanae accipitur: alia, qua ut caput, & radix humani generis consideratur; propterea licet ipsi non competeteret, ut particularis homo erat, costa, ex qua fuit Eva ædificata; tamen sub secunda consideratione, naturalis sibi erat prædicta costa. Similiter in præsenti; & utrobique eadem est ratio; quoniam naturalior est unicuique inclinatio in bonum commune, & ad finem Auctoris naturæ, quam propensio ad bonum particulare; ergo hec

142 *DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.*
illi cedit, ubicumque consergit, vel bono communij consule-
re, vel intentioni Auctoris naturæ obtemperare.

216 Objicies 3. ex Ascanio tom. 1. in Gen. Ille modus productionis in prima rerum institutione adstruendus est, in quo magis splendet divina sapientia, & libertas, modò consonet narrationi Moysis; sed rerum per sex dies protracta productio, & consonat literæ Moysis, & magis ostendit sapientiam Dei, & libertatem: sapientiam quidem, cum tripli-
cem mundi statum repræsentet, creationis videlicet, sejunc-
tionis, atque exornationis; & mirifice quantum sapientia in
discretione, & venustatione chaos effulserit, enarratur; adeò
ut de se ipsa prodat sapientia: *Cum eo eram cuncta compo-
nens, & dilectabar per singulos dies, ludens soror eo omni
tempore, ludens in orbe terrarum, & delicia mea esse cum fi-
lijs hominum: Oblectionem ergo maximam, & quasi lu-
dantis, accepit Sapientia æterna, quando universa consti-
tuens, ordini naturæ & dignitatis, ordinem successionis,
pulchritudini pulchritudinem, decori decorem semper adjun-
gebat. Emicat insuper divinæ voluntatis libertas: noluit
enim Deus orbem in instanti venustare, sed sensim, ac
gradatim, ut suam libertatem patescere: ergo,*

217 Respondeo, quod profectò si Deus voluisse
priùs mundum creare, duratione sequenti ejus partes discer-
nere, ac tandem congruis ornamentis venustare, ordinem
successionis sequeretur. Verè in hoc ordine, ut verum
fatear, nihil invenio, quod divinam sapientiam specialiter
commendet; quippe, ut dictum est supra, successiva rerum,
& effectuum ad suam ultimam perfectionem, & comple-
mentum perductio, quantum est ex se, est modus agenti crea-
to, ut contradistinguitur à prima causa, infinitæque virtutis,
competens. Quomodo ergo hujusmodi processus in agen-
do, exaltare, & commendare poterit divinam Sapientiam,
quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, & diponit omnia
suaviter? Ordo ergo successionis non est aptus ad mag-
nificandam ex illo divinam Sapientiam. Quod vel ipse
Ascanius fateri tenetur, cum inter ea, in quibus maxime eni-
tet ordo, scilicet Angelos, non statuat successionem, cum
ipsorum ordinem explicat tom. 1. fol. 435. dicens: *Ordinis
autem non expertes esse maximos illos, ac fortissimos Angelo-
rum*

rum exercitus, omnes concedere; nil siquidem à Deo, qui cuncta fecit in numero, pondere, & mensura, inordinatum profiliat. Deinde si ordo pulchritudinis ratio est, ut nil Regia Dei pulchrius, ita nil ea ordinatus (nota ex maximo ordine maximam pulchritudinem rectè deductam) Rursus, si mundo eum Deus immiscerit ordinem, ut cuncta per gradus in ipsum, ut principium, scandant: igitur, & acies Angelica secundum gradus in Deum descendunt. Sed (ut pluri in unum colligam) Angelos disperitos esse in ordines, ac Hierarchias, ex quibus superiores illuminent, purgent, & perficiant inferiores, universa S. Theologia, duce D. Dionysio, edocet. Edocet pariter horum ordinum semina in natura, in naturæ, inquam, præstantia, & perspicacitate ingenij, ac voluntatis candore, atque in latitudinibus eorum differentijs fuisse collocata: ex impertitis vero eis per gratiam donis, & gloriae gradibus, muneraunque diversitatibus absoluta. Tradidere id Scholasticorum Principes Magister, D. Thomas, & Bonaventura, quos deinceps reliqui ferè omnes Scholastici sequuntur.

218 Ergo secundum Ascanium, & rei veritatem, ordo rerum Universi consistit in eo, quod Deus omnia in numero, pondere, & mensura disposuerit; & sicut Regia Dei nil pulchrius, ita nil ea ordinatus: Ergo nil in Universo ordinatus, quam aula Dei, Angelorum innumerabilium ministrantium, & assistentium Deo, constans exercitu. Sed in hac pene innumerabili multitudine nullus fuit à principio successionis ordo in sui à Deo emanatione; cum tamen nullibi in creaturis inveniatur adeò excellens Sapientiæ ordo, ut in Angelis, qui immediatus, & perfectius participant æternam Dei Sapientiam, ut infra ex D. Dionysio dicam: ergo successionis ordo nil præfert, quo specialiter divinam sapientiam commendet. Præterea: mundi ordo in eo certatur, ut cuncta per gradus in Deum, tamquam omnium principium, scandant; sed in hoc nullus est successionis ordo: ergo. Insuper, licet Angeli sint in ordines, & Hierarchias dispersi, ex quibus superiores illuminent, & perficiant inferiores; licet natura unius sit alterius natura præstantior; quamvis unus alterum ingenij perspicacitate, voluntatis candore, & occultis differentijs naturæ, ac varijs donis supernatu-

ralibus præcellat; nulla tamen successio temporalis intercessit in his omnibus: Cur ergo in reliquis operibus Dei, ut magis effulget sapientia ipsius, successionis ordinem introducemos, nisi hoc exposcat narrationis Moysis series, & contextus? Non esse autem necessitatem in litera Moysis ad concedendam prædictam successionem, satis verosimiliter ostensum est. Nec valet dicere, quod quia Angeli ad veram creationem pertinent, & qui vivit in æternum creavit omnia simul, pròpterea non fuit successiva duratio inter ipsorum productionem, ceteraque nuper recensita; at disparem esse rationem in alijs rebus, quæ naturaliter exigant successionem. Nam contra est, quod in plantis, homine, ceterisque mixtis, naturaliter successionem exigentibus per ordinem ad agens naturale, in primi rerum institutione non fuit successionalis ordo in ipsorum perfecta productione, quantum ad omnia, quæ naturaliter ipsis in esse completo competere possunt. Ad ultimum, quod in argumento additur, respondeo, quod sufficienter Deus suam voluntatem, & libertatem manifestavit in prima rerum conditione, in eo, quod in tempore, & non ab eterno mundum produxit; si namque ex necessitate naturæ illum fabricasset, sicut ipse Deus est æternus, ita pariter mundus esset ipsi coæternus.

A R T. IV.

*UTRUM DIES CREATIONIS MUNDI FUERINT
naturales & successivi?*

§. I.

*'Aliqua prælibantur circa diei naturalis etymologiam,
& ejusdem variam acceptiōnem.*

MISSIS nominum Hebraicorum, & Græcorum diel, & noctis etymologijs, quæ videri possunt in Ascanio tom. 1. fol. 526. & 527. placet hic ex eodem ibi, latinarum vocum diei, & noctis notitiam præmittere. Igitur Varro diem a Deo diei putavit; quoniam antiqui Gentiles cœlum putabant

bant Deum quendam esse , cuius motu dies conficitur. Vel quia Divina res est , ut dixit Festus ; sive quia à Jove factore fiebat ; sive quod aér diurnus dehiscat in candorem. Alij diem à Dio defleunt ; diem autem sub cœlo lumen vocant ; quia & sub Dio , vel , ut alij loquuntur , sub Divo , aliquid esse dicimus , cum in aperto , atque sub cœlo est. Vel , ut S. Isidorus lib. 5. etym. cap. 30. placuit : *Dies d'Et à Dijs , quorum nomina Romani quibusdam syderibus sacraverunt.* Et cap. 31. *Nox ab eo dicta , quod oculis noceat.* Beda diei nomen à dividendo dictum censet; eò quod dividat lucem à tenebris : noctis verò , quod noceat negotiis gerendis. Petrus Comestor in Gen. cap. 3. diem à claritate ; noctem verò à nocendo oculis ; ut lux à lucere , tenebra à tenere , dictum existimavit. Ex his attento officio diei , & lucis in Scriptura S. designato , Beda etymologia probabilius appareret ; quoniam quarto die lumina ria ad dividendum diem , ac noctem , facta fuisse narrantur.

220 Sciendum etiam est , quod duplex est dies , naturalis , scilicet , & artificialis. Naturalis dicitur tempus vintiquatuor horarum , quo primi orbis revolutio , & conversio conficitur , cuius partes sunt dies , & nox , & inter has , dies est præcipua pars , proindeque ex illa totum vendicat suam denominationem. Artificialis verò dicitur latio Solis super Orizontem , vel præsentia Solis. Dies etiam quandoque accipitur pro certo tempore , sub se plures dies naturales ambiente. Sic Joan. 8. *Abraham exultavit , ut vidaret diem meum ; id est , tempus adventus mei.* Et 2. ad Corinth. 6. *Tempore accepto exaudiuite , & in die salutis adjuvite.* Frequens enim est in Scriptura S. ut singulare pro plurali accipiatur ; quod etiam contingit in vulgari loquendi modo , ut cum dicitur : in die Natalis Christi Domini , B. Virginis , & Joan. Baptiste , sit hoc , vel illud , non intelligitur unus dies naturalis , sed subauditur virtualis repetitio diei.

221 Cum autem partes diei naturalis sint præsentia lucis , & ejus absentia , vel tarentia , à quo horum dies naturalis exordiatur , non omnium una est sententia. Venerab. Beda de creatione temporum , apud Alcanum , sic

computationem dierum, secundum diversas nationes, tradit; quod Hebræi, Caldae, & Persæ inter duos ortus, dies numerabant; Egyptij inter duos occasus; Romani à medio noctis in medium: Umbri, & Athenienses à meridie in meridiem. Alfonsi Regis tabulæ, apud Card. Bona de causis instit. psalm. cap. 3. à meridie diei antecedentis incipiunt, ut primam diem Januarij, à meridie postremæ diei Decembbris. Alij sic, ut primam diem Januarij, à meridie, quæ ipsas Kalendas incurrit. Inter hos modos computationis dierum, præstantiorem judico illum, qui ab ortu usque ad ortum numerat; quia, ut infrà ostendam, dies naturales ab ortu Solis in prima rerum origine cuperunt: &, ut supra probavi, Sol cum sua proprietate naturali lucis, à primo instanti creationis mundi cum motu uniformi primi mobilis extitit; proindeque Solis lux, & ortus, tenebras, & noctem præcessit.

222 Quod insuper multis argumentis probat Ascanius tom. 1. Glossæ M. fol. 542. Primo, inquit, duo bac, dies, & nox cum in utero rudi temporis illius ante primarium diem, veluti Phares & Zaran in utero Thamar gestarentur; fortius proculdubio, præstantiusque prodire debuit, & praire: quis verò diem nocte præstantiorem, tenebrisque lucem præclariorum audebit unquam inficiari? Quod si Thales Milesius sciscitatus, an nox diem præcessisset, noctem præisse definitivit: certè ad tenebrosum illud chaos, quo mundus obruebatur, priusquam jucundissima perfunderetur luce, respexit. Deinde nox, & tenebrae, cum nil aliud, quam diet, lucisque privatio, aut carentia censeantur, & sint; habitus autem ex philosophicis institutis necessariò privationem antecedat: quis tam insanus, & excors invenietur, ut diei noctem, luci tenebras anteisse presumat arbitrari. Rursus, dies ad laborem, nox autem ad quietem à Deo præinstituta est: at labor precedit quietem, cum quies sit virium ex diurno labore afflictarum restauratio. Gentiles etiam vera mundi originis ignaros, indita sibi rerum ratione idipsum novisse, duobus tantum testibus comprobabo. Plato in 7. de repub. ita loquitur: Ordo temporis: liberis hominibus ab ortu Solis perpetuus ad alterum ortum Solis est habendus. Et Quintilianus lib. 9. instit. orat. buc forte respexit, cum de ordine in sin-

gulis verbis observando, ait: *Est & alius naturalis ordo, ut viros, & feminas, diem, & noctem, ortum, & occasum dicas potius, quam retrorsum.*

223 Prosequitur deinde idem assumptum, & ait: *Verum ut ad SS. PP. deveniam, D. Basilius hanc alteram innuit rationem: Mos est, ait, Scripturarum, dies, non autem noctes, recensere, ut ijs locis: Factum est vesperè, & manè dies unus: Requievit Deus die septimo, ab omni opere, quod patrarat: In die illa, qua creavit Deus cœlum & terram: Sicut etiam in supputando Israëlitarum numero, viri, prætermisis sieminiis, pluries memorantur. Quod si quandoque dies noctesque pagina S. percensem, quemadmodum de Jona scriptum conspicimus: Fuit Jonas in ventre cœli tribus diebus, & tribus noctibus: & de Moyse. Jejunavit Moyses quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; dies semper noctibus preferre consuevit. Planum igitur fit, atque conspicuum, dies in S. pagina noctibus semper fuisse, & dignitate præstantiores, & tempore seniores exigitimatos::: Procopius altero haud infirmo arguento causam nititur, atque elaborat obtinere: Divinam, inquit, Majestatem decebat, ut in structura mundi ab his, quæ splendida sunt, initium duceret, cum ipse lux perennis, atque indeficiens existat.*

224 Quid autem nominibus istis vespere, & mane accipendum sit in diebus naturalibus, variant etiam Auctores. Alij enim pro noctis, & diei initijs: Alij pro nocte ipsa, & die: Nonnulli vespere pro sex horis, quibus mundus in tenebris jacuit à mane usque ad meridiem, quando Sol cœlum lampas fulgentissima apparuit; vel pro 12. horis, quibus mundus obscuritate primævæ noctis obruebatur; mane vero pro luce irradiante: Quidam verò vespere pro illa diei parte, qua Sol à meridie in occasum præcipiti cursu descendit, & mane pro altera, qua Sol ab ortu ad meridiem ascendiit: Alij denique vespere, & mane pro fine dici, ac noctis capi censuerunt. Inter has tam dissitas sententias cum distinctione resolvendum censeo; quod nempe, quandoque vespere, & mane stricto sensu crepuscula tantum, sive lucem dubiam exprimunt. Quandoque latiori acceptione, mane significat auroram, quæ Solem spatio unius horæ præcedit; veperum autem alborem illum, qui cadente jam in occasum die,

paulatim evanescit. Quandoque autem mane in amplissima significatione accipitur pro dici illa parte, qua Sol ab ortu ad centrum meridianum, per intervale 6. horarum in diebus æquinoctialibus, in alijs verò per plures, vel pauciores, ascendit; vespere verò, quando Sol properat, & à medio cœli defluit in occasum.

225 Quandoque verò, Hebræorum more, vespere nomine, matutinus splendor, seu aurora prisca accipitur. Unde Marci 16. legitur: *Vesperè autem sabbati, quæ lucevit in prima sabbati.* Quandoque vespere duo in seco cadem includuntur, alterum quidem, ut diei finis, alterum verò, ut initium noctis: sicut Exodi 12. jubentur Hebræi, agnum inter duas vesperas, hoc est inter crepusculum, & noctem, seu noctis initium maestare. Ex omnibus ergo istis acceptationibus magis propria videtur ea, quæ vespere, & mane pro aurora, & serotino splendore, seu albore usurpat. Vespere enim appellatum est à Latinis à stella illa, quæ *Vesper*, cùm Solem subsequitur, cùm verò antecedit, *Lucifer* nuncupatur, teste Cicerone 2. de nat. Deorum. At quomodo à Moysè accipientur illa nomina in 1. Genesio, art. sequenti determinabo. Et ut positio ibi statuenda facilius expediatur, hanc conclusionem præmitto.

S. V.

CONCLUSIO STATUITUR, ET PROBATUR.

226 **D**IES creationis mundi, initio Genesis memorati, non fuerunt naturales, sive in aliquo sensu ex præmissis in principio articuli. Conclusio probatur ex Præexcelsø N. Augustino pluribus locis illam stabiliente, ex quibus clariora allegabo testimonia. Igitur 11. de Civit. Dei cap. 7. hæc habet: *Videmus quippè istos dies notos non habere vesperam, nisi de Solis occasu, nec mane nisi de Solis exortu, illorum autem priores tres dies sine Sole peracti sunt, qui quarto die factus refertur.* Et in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 5. postquam ostenderat, quod per lucem primi dici, non venit intelligenda Sapientia divina, Patrique consubstantialis, quæ est nata de

ART. IV. AN DIES CREATIONIS MUNDI, &c. 149
de Deo lux, & ipsa Sapientia, non autem lux, quam fecit Deus; de hac sic inquirit, & solvit: *Movere autem solet, quomodo lux corporea esse potuerit, antequam cœlum esset, & cœli luminaria, que posse istam exponuntur: quasi verò facile hoc ab homine percipi potest, aut omnino ull modo potest, utrum sit aliquid lux prater cœlum, que tam spatiis locorum distincta, atque diffusa sit, mundumque amplectatur. Sed cum liceat hic, & incorpoream lucem intelligere, si non visibilem tantum creaturam in hoc libro, sed omnem creaturam expositam dicimus; quid opus est in hac controversia invorari?* Et fortasse quod querunt homines, quando Angeli facti sunt, ipsi significantur hæc luce; brevissime quidem, sed tamen convenientissimè, & decentissimè. Probauerat autem Augustinus P. loc. num. 118. citato, Moysem non prætermisso Angelorum productionem.

227 Rursus Augustinus P. i. de Gen. ad lit. cap. 10. 11. 12. & 16. late probat, lucem illam primi diei non fuisse corpoream, nec dies, noctesque materiales gignere potuisse; quoniam nondum erat firmamentum, quod cœlum appellatum est, & in quo quarto die luminaria condita sunt, & collocata; nec ponendum esse, aliquam lucem factam esse ante quartum diem ad faciendum diem, & noctem: *Ut quid enim, ait ibi cap. 11. factus est Sol in potestate diei, qui luceret super terram, si lux illa diei faciendo sufficerat, quæ dies etiam vocata est?* Nec item dici posse, aut facile intelligi, auctum esse fulgorem diei, facto Sole; quoniam quod transierit lux primò facta, difficile percipitur. Præterea lib. 4. cap. 21. easdem dubitandi rationes reassumit P. Augustinus, & cap. 22. resolvit, se non invenire ante quartum diem causam diei naturalis, dicens: *Sed quoniam lux corporalis, antequam fieret cœlum, quod firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta sunt, quo circuitu, vel quo processu, & recessu vices diei, & noctis exhibere potuerit, non invenimus; istam questionem relinquere non debemus sine aliquali nostræ prolatione sententie.* Hæc Augustinus P. ex quibus sequentem probationem conficio.

228 Dies naturalis esse non potest sine causa dici naturalis; sed ante quartum diem non memoratur Gen. primo

mo causa diei naturalis, cùm tamen triduum præcessisse legatur: ergo dies creationis Genesis 1. memorati, non fuerunt naturales. Major est per se nota. Minor probatur ex litera textus; quoniam quarto die dicitur: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant dies, ac noctes, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos; ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* Fecitque Deus duo luminaria magna: *luminare majus, ut præcesset diei: & luminare minus, ut præcesset nocti, & stellas;* & posuit eas in firmamento cœli, ut lucerent super terram, & præcessent diei, ac nocti, & dividerent lucem, ac tenebras. Ubi ponderandum est, S. Historiographum Moysem hic prolixè narrasse omnia munera diei naturalis, eaque tribuisse luminaribus quarto die productis, & in firmamento collocatis; manifestissime innuens, tunc primò causam diei naturalis fuisse conditam: proindeque triduum præcedens alterius fuisse conditio-
nis, & naturæ.

229 Ponderandum, inquam, est, quod quasi ad æquivocationem tollendam inter lucem primi diei, & quarti, tam signanter describat Moyses officia luminarium quarti diei ad constituendum diem materialem, & usua-
lem: Primo quantum ad rationem communissimam diei, su-
prà ex Venerab. Beda assignatam, nimirum, ad divi-
dendum diem, ac noctem, lucem, & tenebras, ibi: *Et di-
vidant dies, & noctes.* Secundo, ut deserviant ad præno-
cendas aliquas diversitates temporum pro opportunitate
negotiorum, & operum, quæ vitæ humanae sunt necessaria,
ibi: *Et sint in signa.* Tertio, quantum ad vicissitudines
temporum, quod nimirum in una parte anni sit ver, in alia
sternas &c. quod dies sit die calidior, aliis alio temporatio-
&c. ut sic & fastidium tollatur, & valetudo hominum con-
servetur, & vieti necessaria in terra orientur, ibi: *Et tem-
pora, & dies, & annos.* Quartò, ut deserviant homini-
bus, quantum ad visum, qui est directivus in operibus, &
maximè utilis ad cognoscendas res, ibi: *Ut luceant in
firmamento cœli, & illuminent terram.* (De his tribus ultimis
causis vide D. Thomani 1. p. q. 70. art. 2. in corp.)
Quinto, quantum ad divisionem diei artificialis, & noctis,
ibi: *Luminare majus, ut præcesset diei: & luminare mi-
nus,* ut

ART. IV. AN DIES CREATIONIS MUNDI, &c. 151
ut praefit nocti, & stellas. Sextò denique designatur, quod hoc manus dividendi dēm, ac noctem, illuminandi terram, & præsidendi dici, ac nocti, convenit Soli, Lunæ, atque stellis, licet his minus principaliter, ibi: *Et posuit eas in firmamento cœli, ut luerent super terram, & præ- effent diei, ac nocti, & diuiderent lucem a tenebris.* De quo vide Augustinum P. in Imperfecto de Gen. cap. 13. & Chrysoſt. hom. 6. in Gen. Et nota, quod cum dicitur, ut stellæ præsent diei, ac nocti, intelligendum est, præesse tamquam Duces sub Imperatoribus, ut pulchrè advertit Vielmius.

230 Cū ergo ita manifeste se habeant in litera Moysis quarto die, & tam dearticulatim exprimantur omnia munera causæ diei naturalis, omniumque, quæ in virtuilibus diebus materialibus experimur; & Adversarij contra Augustinum P. contendant, quod planiori, quoad fieri possit, sensu, accipienda sunt Moysis verba Gen. 1. fundati in verbis Magni Basili⁹ hom. 9. in Gen. illis verbis: *Ego verò, cū fœnum audio, fœnum intelligo, & stirpem, & pīscem, & feram, & jumentum, & omnia, ut dicta sunt, ita accipio:* Cur hic, cū primò audiunt, causam diei naturalis, & usualis cum tanta distinctione, & claritate, quantum ad omnes effectus illius quarto die factam, non sic, ut sonat, accipiunt? Cur ad novam qualificationem diei, ante facta, Scripturam S. distrahunt, & divertunt, cū absolute, & primo omnium litera pronuntiet substantiale rationem, & causam diei quarto die factam, nō ex additura qualificationem diversitatis dierum, temporum, & annorum &c., quæ nuper recensuimus? Nunquid communior hominum, & planior usus habet, quod ubi causa diei naturalis quantum ad omnia facta legitur, altera, ubi similes effectus non assignantur, diei faciendo excogitetur? Hoc sane alienum est à communi hominum sensu. Quid ergo in causa est, ut non obstante tam aperta causæ diei naturalis quantum ad omnia manifestatione, quarto die à Moyse descripta, ad aliam priorem confugere debeamus?

231 Causa est, inquiunt, quod lucem prima die factam, divisionemque inter illam, & tenebras primo die legimus, Deumque lucem appellasse diem, & tenebras noctem;

prop-

propterea ut nulla inveniatur in litera antylogia, ad novam qualificationem primigeniae lucis, quarto die factam, configimus cum Angelico P. qui 1. p. q. 70. art. 1. ad 2. ex D. Dionysio dicente: *Si autem lux primo die facta, intelligatur lux corporalis, oportet dicere, quod lux primo die fuit producta secundum communem lucis naturam: quarto autem die attributa est luminaribus determinata virtus ad determinatos effectus: secundum quod videmus, alios effectus habere radius Solis, & alios radius Lune, & sic de alijs.* Et propter hanc determinationem virtutis dicit Dionysius 4. cap. de divinis nominibus, *quod lumen Solis, quod primo erat informe, quarto die formatum est.* Et art. 2. ad 3: *Dicendum, inquit, quod primo die facta est communis distinctione temporis per diem, & noctem, secundum motum diurnum, qui est communis totius celi, qui potest intelligi cœpisse primo die. Sed speciales distinctiones dierum, & temporum, secundum quod dies est calidior die, & tempus tempore, & annus anno, sunt secundum speciales motus stellarum, qui possunt intelligi quanto die incepisse.* Hæc Ang. P. ad mentem Dionysij; & est plausibilior argumenti solutio, & literæ Moysis satis congruens expositio.

232 Ceterum licet hæc expositio sit literæ circunstantiæ satis accommodata, & videatur secundum illam convenienter vitari antylogia inter textum primi diei, & quarti; at, ut opinor, vel non omnino fœderantur prædicti textus juxta illam, vel saitim aptius, & convenientius salvatur cohærentia divinorum eloquiorum, secundum positionem Augustini P. Moveor ad primum ex reflexione consulto facta in probatione conclusionis super textum quarti diei; ubi Soli, luminaribusque signanter primo omnium tribuitur, quod sint causa diei naturalis quantum ad substantiam ejus; cetera enim, num. 229. dicta, munera luminarium indicaturus Moses, hoc primo loco præmissit, dicens: *Et dividunt diem, ac noctem.* Nunc sic: solutio instantium salvare nimirum cohortem textus, inquantum diversa causa dici naturalis assignatur, vel potius diversa munera diei naturalis indicantur quarto die, ac in primo, quia, nimirum, in primo significatur munus constituendi diem quantum ad substantiam, in quarto autem, secundum diversam qualitatem dierum, annorum &c: atqui hæc disparitas omnino non subsistit, cum etiam quarto die,

dic, munus constituendi diem quoad substantiam, luminariis primò omnium adscribatur: ergo idem præstant luminaria quarto die, ac primo, licet simul etiam amplius: ergo in quarto die actum agitur, proindeque antylogia textus, quantum ad omnia non vitatur.

233 Secundum, quod pro evortenda solutione proposui, est, aptius conciliari textus primi, & quarti diei, secundum positionem Augustini P. quod ex eo firmissimum apparet: Quia Augustinus P. aliam omnino lucem primo die factam intelligit, ac quarto die in firmamento collocatam: primam, videlicet, spiritualem, & Angelicam; secundam verò corporalem, materialē, & usualem, & humano sensui accommodatam: ergo alia est lux primi diei, alia quarti: ergo aliud est opus primi diei, ac quarti: ergo secundum Augustinum P. est summa cohærentia in utraque litera, eō quod aliud est actum primo die, aliud quarto.

234 At, inquis, hæc intelligentia, alioqui ad vietandam antylogiam aptissima, rudi Hebræorum captui est inaccessa, quippe subtilis, nimis sublimis, & à sensu imperitorum remota. Verum, rogo: tam planus est sensus Magni Basilij, suprà memoratus art. antecedenti, alioqui laudabilissimus? Adeò ne radibus accommodata est intelligentia novæ qualificationis lucis, cùm quarto die tam asseveranter à Moyse narratur producio luminarium, quoad omnes effectus notissimos in laminaribus? An ne idem sonat imperitorum auribus hoc quod dicitur: *Fiant luminaria in celo* &c. ac si diceretur: Luminaria acquirant diversos motus, & ratione horum, diversos aspectus, quibus resulant in sublunaribus diversi effectus? Minime.

235 Restat ergo, quod regula illa Basilij Magni suprà memorata, in qua fundatur replica, moderate sit intelligenda; quippe secundum eam, sic strictè, & rigidè acceptam, nullum sensum possumus aptare præsenti literæ, neque omnino juxta illam fit intelligentia illius textus ex Magno Basilio art. præcedenti relata. Dicendum ergo, quod Magnus Basilius in illis verbis unicè contendit, quod non est recurrendum ad allegoricas interpretationes, reliterali, uti Origenes in præsenti recurrit, contra quem PP. similes expressiones habent. Vide dicta de his

236 Deinde contra solutionem facit, quod illa pauperrimum constituit quartum diem, ut arguit Rupertus contra constituentes primum triduum luce quadam accidentaria. Quoniam juxta Doctores solutionis, quarto die solum addita est luminaribus determinata virtus ad particulares effectus, quae non est facta per additionem qualitatis, sed ex accretione novi motus, modo dicto. Quis autem credit, quarto die ad celi venustationem dedicato, Opificem divinum, quod summum erat, & præstantissimum, Solern videlicet, lucis fontem, & mundi decus, Lunam, & Stellas nullatenus condidisse, sed motum, qui cælis ab extrinseco principio activo convenit? Sanè cum in ceteris diebus vel aliqua substantia sit creata, vel nova speciositas rebus conditis addita, durissimum apparet, quod nihil sit quarto die hoc modo factum.

237 Dices, quod Scriptura S. multoties rem aliquam absolutè factam consuevit enuntiare, cum tamen ipsa de novo aliquam duntaxat dispositionem acquirit. Sic Christus Dominus discipulos ad prædicandum misurus, dixit: *Data est mihi omnis potestas*, hoc est, potestatem ab initio acceptam manifestare incipio. Et iterum de ipso met dicitur: *Iesus autem proficiebat sapientia, & etate*, hoc est, sapientiam habitam hominibus communicabat. Rursus, de Nabucodonosor legitur, ædificasse Babylonem; hoc est, de novo disposita civitatem, quam jamdiu fabricaverat Nembrod. Similiter ergo in præsenti dicuntur luminaria quarto die facta, quia licet anteà fuissent producta, tunc erant de novo disposita ad particulares effectus. Respondeo, quod licet in alijs Scripturæ S. locis habeat locum prædicta intelligentia, tamen in præsenti nimis apparet violenta; agitur enim hic de prima rerum institutione: ubi ergo de novo sit de conditione naturæ alicujus mentio, tunc primò illa natura absolutè, & quoad primum esse creata intelligenda est: alioqui nil firmum de prima rei productione haberemus in Scriptura S. Atqui usque ad quartum diem nulla sit luminarium mentio Gen. 1. neque enim idem est dicere; *fiat lux*, ac, *fiant luminaria*; cum hæc sint vasa luminis, illa autem, vel lux spiritualis, vel qualitas quadam luminosa: ergo.

238 Præterea: quia priusquam in exemplis adducatis diceretur de Christo Domino, *data est mibi omnis potestas;* & quod proficiebat sapientia; jam in Scriptura S. dictum fuerat: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae, & veritatis:* Ergo Christus Dominus jam antea Joannis I. Unigenitus Patris fuerat declaratus, proindeque cum plenitudine potestatis, sapientiae, & perfectionis. At in præsenti Moyses nullam mentionem Solis, luminariumque præmisserat, sed duntaxat lucis; cuius nomine, potest accipi propriæ manifestatio spiritualis, ut art. 2. dictum est, ināmō debet, juxta dicta, & inferius addenda: ergo luminarium productio quarto die, quoad substantiam facta accipienda est.

239 Nec dicas, lucis nomine satis congruè indicatam esse à Moysè primo die luminarium productionem; quippè lux est proprietas Solis, ut dictum est ex D. Thoma, proprietas autem naturaliter existere non potest sine proprio subjecto: & suprà etiam dictum est, quod natura rei convenienter per proprietatem ejusdem significatur: unde impressionem formarum elementalium per propriam passionem earum in tertio die indicasse Moysèm, diximus art. præcedenti ex Augustino P. & D. Thoma: Cur ergo pariter primo die lucis nomine non accipiemus, significatam fuisse luminarium, lucem deferentium, productionem? Respondeo, quod certè convenienter productio alicujus naturæ potest significari per productionem propriæ passionis ejusdem, ceterū quando hujusmodi sensu, & intelligentia utendum sit in Scriptura S. ex circumstantia literæ venandum est. Augustinus autem fundat prædictam intelligentiam in litera; eo quod Moyses Genesis I. sufficienter insinuat se universæ creaturæ genesim suscepisse narrandam; dicit enim ibi: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* Inter hæc autem omnia à Deo primitus creata, proculdubio Angeli intelliguntur connumerati; nam & ipsi creaturæ sunt Dei, simul cum cœlis, & elementis creati, ut art. præcedenti ex Augustino P. & D. Thoma ostensum est. Oportuit ergo, quod horum meminerit Moyses; & quidem primò omnium; quia prior omnium creata est sapientia, hoc est, Angelica natura. Unde censet Augustinus P. quod Moyses creatione cœli &

terre in principio, Angelos, & materiam corporalem omnium creaturarum indicavit, quam postmodum ordine convenienti formatam significavit, modo dicto articulo precedenti. Et hæc est ratio, quæ movet Augustinum P. ad prædictam intelligentiam.

240 At in Scriptura S. nedum non est fundamen-
tum simile, ut pariter die primo per lucis productionem lu-
minaria intelligantur creata, verum maxima apparet repug-
nacia; quippe systema Adversariorum quartum diem con-
stituit omni opere destitutum, vel saltē quod ibi ponit, est
valdè exiguum, & nomine luminarium minus congruè signi-
ficatum. Destitutum quidem omni opere; quod enim ibi in-
sinuatur factum, scilicet, luminaria, jam à primo die statuit
productum. Quid ergo dicemus quarto dic à Deo conditum?
Motum, inquiunt. Verum minus recte, ut opinor; quoniam
motus, & tempus simul cum cœlis extrinsece incepérunt: un-
de tempus, quod est numerus, & mensura motus, inter qua-
tuor coequæva computatur. Verum, inquiunt, hic motus
communis est toti cœlo, & motus diurnus, qui profectò cum
ipsis cœlis à principio cœpit: quarto autem die cœlis sub pri-
mo mobili existentibus additus est specialis motus retrogra-
dus, motuque primi mobilis contrarius, ex quo resultant
astrorum varij congressus, coitionesque ad causandum diver-
sos effectus. Hoc in summa est opus quarti diei juxta solu-
tio-
nis Auctores. Verum imprimis quis credat, his locutionibus:
*Fiant luminaria in firmamento cœli: O, fecit Deus duo lumi-
naria magna, O.* prædictos speciales cœlorum motus, latio-
nesque significari? Profectò hujusmodi intelligentia non est
communi, & vulgari hominum usui accommodata, quod val-
dè observandum esse docent Adversarij in historia Moysis.
Rursus, incredibile apparet, quod pro ornati cœlorum, quod
est opus quarti diei, hujusmodi specialis motus, qui nihil de-
coris aspectabilis cœlis addit, fuerit duntaxat cœlis ipsis com-
municatus: ornamenta enim partium Universi important
in mundo corporali visibilem pulchritudinem ipsarum, ut patet
in cæteris partibus, terra, nempè, aqua, & aëre. Non ergo
luminaria statuenda sunt primo die producta, sed quarto. Un-
de patet disparitas per hoc, quod lux primo die producta non
est materialis, ut propterea illius productione veniat intelli-

genda productio luminarium quoad substantiam; immò neque si materialis esset, deberet accipi illius nomine productio luminarium; quippè hæ sunt corpora cœlestia, quæ simul in principio, & ante lucem fuerunt à Deo creata secundum præmissa ex D. Thoma ad mentem aliorum PP. art. præcedenti.

241 Dices, ex probatione nostra ad summum inferri, quòd primum triduum non fuerit naturale, non autem quòd reliqui tres subsequentes non fuerint materiales; quoniam à quarto die jam erat causa diei usualis per productio-nem luminarium: ergo saltim ultimum triduum fuit materia-le. Respondeo, quòd semel statuto, & admisso, primos tres dies non fuisse naturales, consequens est, quòd idem sit di-cendum de tribus sequentibus; eodem enim tenore enumerat Moyses hos ultimos, ac primos. Præterea, si à Solis pro-ductione numerandi sunt dies naturales in narratione Moy-sis, dies productionis luminarium non quartus, sed primus foret nuncupandus; neque enim rectè quartus dies naturalis diceretur, quem nullus dies ejusdem rationis, & naturæ pre-ceferat; cum hæc nomina primus, secundus &c. sint ordina-lia, hoc est, ordinem inter res numeratas designantia, & in-ter dies diversæ rationis, scilicet, spirituales, & materiales, nullus sit ordo: unde si tres primi dies non fuerunt naturales, neque tres ultimi. Benè verum est, quòd facto Sole, dies naturales ejus motu ab Oriente in Occidentem esse cęperunt: & Sol, ceteraque luminaria, secundum positionem Augus-tini P. in primo creationis instanti fuerunt producta; ac proinde à primo instanti dies naturales re vera esse cęperunt. Ceterum aliud est dies naturales ab initio creationis mundi extitisse; aliud longè diversum, Moysem illos Gen. 1. me-morasse. Primam est verum: at secundum Augustinus P. re-pusat falsum.

242 Secundò probatur conclusio ex serie narratio-nis Moysis, qui dies à vespere incipit numerare; sed dies na-turales non à vespere, sed à mane initium habent, & exor-diantur: ergo. Major constat ex litera Moysis, dicentis: *Factum est vespere, & mane dies unus:* & sic secundus &c. Minor probatur: quoniam dies naturalis fit naturali motu Solis, & lucis; sed Solis motus naturalis est ab Oriente: un-
de

de Philosophus apud M. Bañez ad q. 69. prima part. art. 2.
dixit, quod si Sol incipere moveri, ab Oriente inciperet:
ergo.

243 Deinde, ut Ascanius argumentatur ex Philosopho, Orbis animal quoddam est, dexteraque ejus pars, Oriens, lava autem, Occidens; superior, Antarcticus Pöllus; inferior, Arcticus est. Cum autem omne animal motionem suam à dextera ad levam accipiat; consequens est, quod lux, vel Sol, ad faciendum diem, ab Oriente, vel à mane incipiat moveri; atqui Moyses dies creationis mundi non à mane, sed à vespera exorditur: ergo dies creationis non naturales, & materiales censendi sunt.

S. III.

ARGUMENTA SOLVUNTUR.

244 **P**RÆCIPUUM argumentum, quod fieri poterat ex Scriptura S. ubi prima dies productione lucis facta memoratur, & divisio lucis à tenebris describitur, luxque dies, ac tenebræ nox appellantur, præclusum manet ex dictis contra evasionem primæ rationis, & art. præcedenti in solutione primi argumenti ex Scriptura S. ubi quid lucis primi diei nomine sit intelligendum ex Augustino P. ostensum est; & similiter quæ fuerint tenebræ lucem prævenientes. Item solutum manet ibi argumentum, quod fieri poterat ex eo, quod si non accipiatur dies creationis mundi ad communem hominum usum, qui non nisi dies naturales percipit, distrahitur, & divertitur ad extraneum sensum litera Moysis. Præoccupatum, inquam, manet in disputationis discursu ab art. 1. Quoniam intelligentia literæ Moysis non debet in omnibus censeri accommodata imperitorum infirmo captui, quinimò plurimum vexat SS. PP. & Doctorum ingenia, ut fæpè dictum est. Et præterea sufficenter consuluit Moyses rudium Hebreorum instructioni; quoniam, ut suprà ex Augustino P. dictum est, intentio Moysis in historia creationis mundi erat, errores, qui tunc temporis circa Auctorem, & tempus primæ creationis rerum, circunserebantur, propulsare: hoc autem apex-

apertissimè præstítit Moyses, afferendo Deum Optimum Max. esse creátorem omnium, dictoq[ue], & imperio suo cuncta creasse initio temporis, atque ordinatissimè formasse.

245 Rursus, nedium non distrahit, & perturbat Augustinus P. Scripturæ sensum, verū magis adhæret, & se accommodat exigentia literæ, quin & communi intelligentiæ, hominumque usui; quoniam diem naturalem non nisi Solis circuitu peragi statuit: cò quòd in Scriptura S. solùm luminaribus, quarto die productis, substantia diei naturalis, omniumque effectuum, quos ad sensum experimur, causa, & ratio tribuitur. Unde cùm hi dies duntaxat sint in usu vulgi, consequenter Scripturam S. ad hominum communem usum explicat. At quantū ad reliqua, quia benè noverat Moyses, quòd omnibus debitor esset factus, sapientibus, nempè, & infipientibus, historiam suam profundissimè (Deo utique ad nostram exercitationem sic disponente) tradidit. Unde Augustinus P. subtili scrutatione illam versat; tum ad intentionem Moysis, univerorum productionem, proindeque Angelorum, describentis; tum etiam profundissimè Scripturæ S. antylogiam concilians. Et licet sensus Augustini P. rudibus, & imperitis sit inaccessus, tamen D. Thomæ, Alberto Magno, Alensi, & alijs fuit gratissimus: Cur ergo non & omnibus veris Augustinianis?

246 Objicies præterea hymnum Ecclesiæ, qui Dominica die cantatur, & sic scilicet habet:

¶ 2 2 2	<i>Lucis Creator optime,</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>lucem dierum proferens,</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>primordijs lucis novæ</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>mundi parans originem.</i>	¶ 2 2 2

Deinde quarto die sic canitur:

¶ 2 2 2	<i>Cæli Deus Sanctissime,</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>qui lucidas mundi plagas</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>candore pingis igneo,</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>augens decoro lumine:</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>Quarto die qui flameam</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>dum Solis accendis rotam;</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>Lunæ ministras ordinem,</i>	¶ 2 2 2
¶ 2 2 2	<i>vagosque cursus syderum.</i>	¶ 2 2 2

Ex quibus sic insert Ascanius tom. 1. in Gen. fol. 492 : Scitissimè certè tradit Ecclesia à Patribus edocta , & à Spiritu S. afflata , die primo lucem diei Deum protulisse , ut primordijs lucis novæ mundi pararet originem ; quarto autem Solis rotam constituisse, Lunæ ordinem , cursusque syderum vagos ministrasse, aucto decoro lumine , ut cœlum exornaret , coloreque pingere igneo.

247 Respondeo, quod certè S. Mater Ecclesia in suis hymnis magis in usu habere videtur aliorum Patrum sententiam ; at quid mirum, si allegati hymni , & fere omnes feriales, sunt Ambrosiani , & Gregoriani , teste Gavanto? Vide ipsum tom. 2. fol. 61. Neque Ecclesia quidquam circa doctrinam in illis contentam definit, ut patet ; sed duntaxat approbat sententias PP. in his quæ continentur prædictis hymnis. Et forsitan etiam approbasset Augustini P. sententiam, si ipse hymnos , & laudes composuisset , doctrinam de simultanea rerum productione, & de diebus Angelicis concernen-tes, quippe mirabiliorem modum primæ institutionis rerum importantes , atque adeò ad laudandum Deum valde excitanter.

248 Nec mirum, quod Ecclesiaz hymnis adversari appearat Augustini P. sententia, neque insuper propterea deferenda est. Non primum, quia SS. PP. eorum Auctores , secundum suam opinionem , circa processum creaturarum à Deo , illos composuerunt , & S. Mater Ecclesia illos duntaxat ad laudandum Deum aptissimos, sicutanque doctrinam includentes, amplexata est. Unde nihil aliud quantum ad modum processus creaturarum à Deo judicavit Ecclesia. Quod autem ex hoc non sit deferenda Augustini P. doctrina , patet ; quoniam alioqui plurime expositiones S. Scripturæ , quæ opponuntur expositionibus aliquorum PP. quibus Ecclesia prodivinis officijs utitur, essent deferendæ. Quis autem hoc concedat?

249 Præterea : hymnus quarti diei in objectione allegatus manifestè opponitur doctrinæ D. Thomæ ex S. Dionysio, communiter à Recentioribus admissæ, quod, nimirum, quarto die solùm addita est luminaribus nova , & specialis virtus ad particulares effectus ; quæ consistit in hoc, quod illo die cœlis additi sunt novi motus contrarij, & ratione ho-

rum resultant in ipsis astris varij aspectus, & ex illis diversi effectus; nā inimicē autem de novo accrebit cœlis aliqua lux, ut probat Joan. à Sancto Thoma de Opere 6. dierum, in opere quarti diei num. 7. dicens, quod lux naturalis, & debita Soli, est lux in summo, & talis, qualē nunc videmus, & quā possit diem facere, effugando tenebras: & mox addit, quod lux est connaturalis Soli, tamquam ejus proprietas: cū ergo Sol, & cœlum suas perfectiones exigat habere immutabiliter, ita quod in eo instanti, quo ei debentur, & dantur, perfectè, & immutabiliter dantur, quia hæc est connaturalitas rerum incorruptilium, ut id, quod sunt, & quod eis debetur, & datur, in statu perfecto, & immutabili detur; consequens est ergo, quod quarto die, secundum hanc positionem, non sit addita luminaribus lux aliqua.

250 Ex his infero sic: Ergo cū lux data sit luminaribus primo die, secundum Recentiores, in statu perfecto, & immutabiliter data est, & in summo: Ergo quarto die non est addita lux aliqua luminaribus; neque enim lux in summo potest lux accrescere. Atqui lux aucta cœlis legitur in hymno quarti diei, & similiter accensam fuisse Solis rotam, ibi: *Augens decoro lumine: & iterum: Dun Solis accendis rotam:* ergo Ecclesiæ hymnus nedam Augustino P. opponitur, verum & Recentiorum positioni. Cur ergo doctrinæ ab Ecclesia acceptæ isti Auctores non acquiescunt, illamque suæ opinioni non preferunt? Non utique aliatione, nisi quia Ecclesia nihil in suis hymnis definit, nec aliquid fide tenendum in illis tradit, sicut nec in expositionibus, & homilijs Evangeliorum, quas ex Patribus assument; & aliundè opposita sententia Recentiorum à D. Thoma ex Dionysio docetur. Benè sic: Sed etiam ab Augustino P. docetur opinio, quam tuemur; & à D. Thoma, & B. Alberto Magno, aliorum PP. sententiæ præfertur, & nondum ab Ecclesia est proscripta, sed neque, ut spero, proscriptetur: Cur ergo à nobis deseretur Augustinus P. quem Sanct. Thomas, & Albertus Magnus tantopere commendant?

251 Argues deinde ex Exim. D. & Ascanio; quorum ille obijcit textum Esdræ lib. 4. cap. 6. ubi ita habetur: *Et erat tunc spiritus, & tenebra circumferebantur, & silentium, &*

nus vocis hominis nondum erat abs te , tunc dixisti , de thesaurois tuis proferri lumen luminosum , quo appareret opus tuum. Ex quibus infertur , lucem , quam post tenebras Deus de thesauris suis protulit , fuisse materialem; hoc enim gentibus apparere facit opus Dei. Ascanius autem tom. 1. in Gen. fol. 418. octo causas assignat , cur Deus primò omnium lucem materialem condiderit , dicens : Expetebat hoc siquidem lucis excellentia. Deinde , lucis ipsius superexcellentissimus Auctor , qui cùm lux sit inaccessibilis , non nisi lucem primò proferre poterat. Amplius , quoniam ipsa specimen erat Universi. Deinde , quod cœlum , ut nobilium , celsiusque , primò foret exornandum. Rursum , quia lux efficacissimum est secundarum causarum instrumentum. Insuper , quia sine luce , creanda conspici non potuissent , atque etiam , quia sine luce dies consistere nequisset. Tandem , ut monumentum nobis esset , opera in luce esse perficienda.

252 Ad primum respondeo librum illum Esdræ non esse Canonicum , propterea nec gravis auctoritatis. Et præterea , ibi etiam legitur : *Quarta autem die imperasti fieri Solis splendorem , Luna lumen , & stellarum dispositio nem.* Quæ verba manifestè refutant sententiam hujus Doct. , qui Solis splendorem non adstruit quarto die factum. Vide ipsum lib. 2. de opere 6. dierum cap. 8. à num. 16. ubi quarto die corporibus cœlestibus solum motum ab Occidente in Oriens fuisse additum docet : & num. 18. quod ex his motibus contrarijs motui primi nobilis resultant astrorum diversi aspectus , & distantia , ex quo astra quodammodo invicem confortentur , & juventur , seu determinentur ad hos vel illos effectus producendos ; & hinc oriuntur varia influenza astrorum in hæc inferiora. Sicut ergo Suarez non tenetur evadere difficultatem horum verborum , sic nec nos , illorum , quæ ipse objicit.

253 Ad motiva Ascanij , quæ certè ex diversis SS. PP. dictis sunt eruta , respondeo : quod illa duo prima pro Augustino P. potius faciunt , quam ipsi adversentur. Quid enim congruentius apparet , quam quod à Verbo Patri coetero , quod *candor est lucis æterne* , lux ipsi magis accedens , & proxima , similiorque , nempe Angelus , primò omnium predixeret ? Quid convenientius , quam quod à Sapientia

genita, Angelus, qui est sapientia creata, primò procederet? quippè omnia in sapientia facta sunt: & prior omnium creatarum est sapientia, seu Angelica natura. Quod autem Angelus propriè datur lux, art. 2. ostensum est. Quod verò sit proximior suo principio, ipsa ejus spiritualitas, & immaterialitas, qua ad similitudinem Dei creatus est, manifestè demonstrantur. Unde ex majori approximatione, & accessu Angeli ad Deum, apertissimè deducitur, quod excellentia ejus, ut primò omnium crearetur, expetebat. Unde S. Dionysius 4. cap. de Divinis nominibus ait: *Imago Dei est Angelus, manifestatio occulti luminis, speculum purum, splendidissimum, immaculatum, incontaminatum, incoquinatum, recipiens totam (si justum est dicere) speciositatem bene formatæ deiformitatis, & purè declarans in seipso, sicut possibile est, beatitudinem, que est in abditis.* Anne decens erat, quod Angelus, præclarissimè hæc omnia præferens, priuò omnium crearetur, & ante omnia opera Dei à Moysi describeretur?

254 Ad aliud motivum, quod nempè, lux specimen est Universi; dicimus, quod, ut verificetur hoc, sufficit, ut à principio simul cum cœlis crearetur, ut docet Augustinus Parens. Per quod patet ad aliud, quod, scilicet sine luce creanda conspici non possent. Aliud autem, quod, nimis, lux efficacissimum sit causarum secundarum principium, libenter concedimus; quoniam certè lux est virtus instrumentaria in cœlis, qua, mediante motu, corpora cœlestia influunt in hæc inferiora. At verò motum accipiunt cœli ab Angelo: unde debent præcedere cœlos. Quod autem cœli, quippè nobiliores, debuerunt priùs ornari, certum est, comparativè ad alias creaturas corporales; ceterum Angeli, absolutè priores sunt in ordine Universi; proindeque priùs debuerunt per formationem lucis, hoc est, per conversionem ad Deum, ornari. Ultima causa Ascanij ad sensum spiritualem declinat: unde non premit pro literali expositione.

255 Argumentum nuper positum confirmat Suarius ex illa regula, quod, scilicet, verba S. Scripturæ, quoad fieri potest, in proprietate sunt accipienda, præsertim in narratione historica; sed lux in significatione propria, & maximè usitata, hanc sensibilem lucem significat: ergo de hac intelli-

254 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

genda sunt verba Moylis. Neque satisfacit, inquit, ratio, quam Augustinus in suo fundamento indicat, quod etiam de spirituali lumine lux proprie dicatur; nam licet hoc verum sit secundum quandam significationem, altiorum quidem ex parte rei significatae, nihilominus absolute illa est secundaria significatio ex Sapientum usu derivata, spectata primava illius vocis impositione, ut probat S. Th. 1. p. q. 67 art. 1. Et quod loco Gen. 1. sumenda sit illa vox in proprietate prima significationis sua, ratio facta ostendit, quia Moyles expressè describere voluit ornatum hujus mundi visibilis. Juvent etiam omnes alias circumstantiae, ut est illa de tenebris, quam ponderavimus. Item quod illa verba dies, nox, mane, & vespere, non nisi per metaphoram ad spiritualia transferuntur: ergo in illo loco non nisi sensibiliter accipiuntur: ergo codem modo intelligenda est lux, quæ illius dicit, & noctis, initium, & origo fuit.



256 Respondeo ad argumentum, singulas ejus propositiones examinando. Et profectò illa regula, & maxima, in principio præfixa, est Tyconij, ab Augustino P. explicata; proindeque, ut jacet est à nobis amplexanda. Ceterum Exaudiens D. in prima Minoris nimis illam restringit illo addito: *Et maximè usitata.* Aliud enim est vocis propria significatio, aliud autem maximè usitata. Primum verificatur de luce ad significanda spiritualia extensa, ut art. 2. ostensem est, nec amplius exigit, aut exprimit Tyconij regula. Secundum autem negandum judicamus; neque enim Moyles usque adeò attemperavit, & accommodavit suam narrationem captivis Hebræorum obessi ingenij, ac ab imperitis posset facile sensus percipi, ut sèpè dictum, & ostensum est. Et ulterius inquit à P. Suarez: Intelligentia textas quarti diei ab ipso n. 252. relata, estne secundum vocum literas quarti diei maximè usitatam significationem? Quis hoc concedat? Quippe significatio horum verborum: *Fiant luminaria in firmamento cœli,* præsertim cum historia antecedenter luminarium non membruerit, in maximè usitata significatione, non novi motus luminarium acquisitionem præfert, sed substantia ipsorum primam productionem indicat.

257 Neganda est ergo minor primi syllogismi propositione, si sensum exclusivum importet, & innuat, propriam



rationem, & conceptum lucis tantum convenire luci sensibili, & materiali. Licet enim hæc lucis acceptio magis in usu habeatur, & attenta prima nominis impositione, ad lucem spiritualem significandam non perveniat; propriè tamen, & strictè acceptum lucis nomen, spiritualem, & immateriale lucem significat; quia secundum quod nunc est in usu loquentium, extensum est ad significandum omne illud, quod facit manifestationem, sive secundum cognitionem sensibilem, sive immateriale, & intelligibilem, ut expressè afferit Aug. Praecept. loco in argumento allegato. Neque hinc licet inferre, quod lucis nomen tantum secundari, & in minus stricta acceptione spiritualia significet; licet enim hoc forsitan verum teneat, si prima nominis impositione solusmodò inspiciatur, nunc vero ex sapientum usu propriè, primari, & principaliter lucem intelligibilem significat; hæc quippe proprius, versus, & principalius manifestationem facit, qua in immediate, & proprio luminis significato clauditur; ut innuit illud Apostoli: Omne, quod manifestatur, lumen est. Sed de hoc fusius tractatum est art. 2.

258. Deinde negamus, quod hic Doctor addit in argumento, quod, scilicet, lux in illo loco Genesis accipienda sit in proprietate primæ significationis; quoniam falsum est, quod Moyses præcisè ornatum hujus mundi corporalis expressè tradere voluerit, ut patet ex dictis ex Aug. P. in probatione secundæ conclusionis articuli tertij, & sèpè in hoc opusculo. Illæ denique duas círcumstantias, ex quibus roborat argumentum Exim. Doctor, suprà manent examinata in solutione argumentorum contra secundam conclusionem art.

3. Nam tenebrarum, & abyssi nomine, ibi informitas materia, vel carentia lucis spiritualis, vel utrumque significatur. Pro quo amplius vide D. Thomam super caput primum Joannis lect. 3: in illud: *Et lux in tenebris luet;* quod de irradiatione à Verbo in mentibus nostris facta, quæ tenebrae sunt, sicut aer sine luce, intelligit S. Thomas: vel etiam pro naturali insipientia hominum, quæ tenebra dicitur tum in ordine naturæ, tum gratiæ: procedit autem ibi ad literam S. Thomas. Illud autem, quod dies, nox, mane, & vespere metaphorice transferuntur ad spiritualia, falsum est, ut ostendimus art. 2. & infra amplius declarabitur.



UTRUM DIES CREATIONIS MUNDI FUERINT
spirituales, & Angelici?



Aliqua pro expeditione dubij prænotantur.

259 **T**ITULUS bimembbris est. Primum membrum est num dies creationis mundi sint spirituales? Secundum, dato primo, an Angelici? Primum membrum supponit, esse quidem dies spirituales, & rogat, an hujusmodi sint dies creationis mundi? Et profectò esse spirituales, & immateriales dies, frequenter nos admonent Scripturæ S. legitur enim Psalm. 76. v. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Ubi dies antiqui non possunt materiales intelligi, qui non consti-tuant annos æternos, qui mox diebus illis annexuntur. Similiter psalm. 33. v. 13. dicitur: Diligit dies videre bonos.* Et ad Roman. 13. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Et 2. Petri 1. *Donec dies elucescat. Quæ testimonia apertissime indicant, esse dies spirituales; & meritò quidem; dies enim luce constituitur: ergo ubi verior, & certior lux, ibi verior etiam dies, ut arguit Augustinus P. 4. de Gen. ad lit. cap. 28. Atqui in spiritualibus verè, & propriè est lux, immò verior, & certior; dicitur enim 1. Joan. 1. *Deus lux est, & tenet in eo non sunt ullæ.* Et Joan. 1. Verbum dicitur *lux vera*, & ibi exponit S. Thomas: *Lux vera dicitur, quia non falsa, ut lux gentium, non figuralis, non per participationem, sed per essentiam:* Et ita vera, ut contra Arium, & Origenem, ex quo Verbum erat lux vera, demonstretur ejus divinitas: ergo suppositio vera est. Unde Apocalypsis 21. dicitur, quod *tivitas non eget Sole, neque Luna; quantum lucerna ejus est Agnus.**

260 Dies autem creationis mundi spirituales esse, infertur ex dictis art. præcedenti; ibi enim ostendimus, non suisse materiales: *cum autem dies ad æquatè dividatur in spi-*
tri-

ritualem, & materialem, & dies in creatione Universi Gen. 1. memorentur; consequens est, quod sint spirituales. Spiritualis vero dies, cum luce, & manifestatione spirituali fieri debeat, & manifestatio spiritualis solum inveniatur, vel in Deo per essentiam, ut nuper ex D. Thoma dictum est; vel in Angelo, & homine per participationem; superest, ut illi dies, per ordinem ad manifestationem, ab aliquo ex tribus memoratis factam, sint explicandi.

261 Et profecto dies creationis mundi non esse lucem increata, & per essentiam constituendos, patet ex litera Moysis dicentis: *Fiat lux, & facta est lux &c.* & probat Augustinus P. in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 5. dicens: *Quamlibet enim lucem significet, factam tamen & creatam debemus accipere, non illam, qua fulget ipsa Dei Sapientia, qua non creata, sed nata est; ne sine luce Deus fuisse putetur, priusquam istam, de qua nunc agitur, condidisset.* De hac enim scut ipsa verba satis docent, hoc commendatur, quod facta sit: *Hec dixit, inquit, fiat lux, & facta est lux.* Alia est lux de Deo natura, & alia lux, quam Deus fecit: *Natura de Deo lux, est ipsa Dei Sapientia; facta vero est quelibet mutabilis, sive corporea, sive incorporea.* Ergo lux faciens dies, de quibus Gen. 1. non est lux divina, & increata, sed creata, & a Deo facta. Rursus, dies illi habeut vesperam, & mane, hoc est, lucem in summo, & decrementum ejusdem; sed lux divina semper est in summo: ergo. Tertiò, quia dies creationis mundi fuerunt temporales, vel æviterni; sed dies a Verbo, quod est candor lucis æternæ, constitutus, est æternus: ergo.

262 Restat ergo, quod dies creationis mundi vel sint Angelici, vel humani. Non esse autem humanæ mentis manifestatione constitutos dies illos, certissimum est ex eo, quod ante hominis productionem quinque numeraverit Moyses: ergo non fuerunt illustratione, & manifestatione mentis humanæ facti dies creationis mundi. Patet ergo inductione, quod debuerint esse Angelici. Sed priusquam hoc ex professio ostendamus, quia dies ex vespere, & mane constant, & Augustinus P. de vespertina, & matutina cognitione in mente Angeli illos explicat, oportet ipsam ex Augustino P. & D. Thoma enucleare, pro quo sit.

* * *
EXPLICANTUR COGNITIO MATUTINA,
 & vespertina ex M. P. Augustino, & Angelico
 Praeceptore.

263 **C**ELEBERRIMA est ab Augustino P. inventa cognitionis Angelicæ in matutinam, & vespertinam divisio, quam ad mentem ejus dilucidandam assumo. Diversimodè autem Doctores Augustino P. posteriores, illas cognitiones explicarunt. Quidam enim per matutinam naturalem Angelicæ cognitionem Augustinum intellexisse autemant: Alij supernaturalem. Quidam ex his visionem beatam esse matutinā cognitionem, assertuisse Augustinum senserunt: Alij cognitionem vix. Alij matutinam in relatione in laudem creatoris statuunt: meridianam in summi boni contemplatione; & vespertinam in naturali cognitione creaturarum. Et similiter de vespertina non unica est omnium sententia. At priusquam de his omnibus disseram, aliqua ad dicendorum pleniorē intelligentiam necessaria, præmittenda sunt ex Augustino P. D. Thoma, & alijs probatissimis Doctoribus.

264 Sciendum est ergo primò, seu potius recolendum, quod art. 3. ex Augustino P. dictum est: Angelos simul ab inicio cum mundo corporeo, licet prius natura, à Deo prossiliisse. Decuisse item, quod à supremo Opifice, qui lux est inaccessibilis, candor lucis æternæ, splendorque Paternæ gloriae, Angelus primò omnium, ut splendor creatus, snoque principio proximior, prodiret. Quod etiam eleganter docet Nazianzenus oratione in Christi Domini Nativitate, dicens: *Atque ita secundi splendores procreati sunt primi splendoris ministri.* Præmiserat autem ibi S. Doctor: *Primum Angelicas, & cælestes virtutes cogitavit.* Ergo Angeli primò omnium prodiere, tamquam radij à Sole.

265 Sciendum insuper, quod Angeli à primo creationis instanti in gratia sunt constituti, ut docet Augustinus P. 12. de Civit. Dei cap. 9. Bonam voluntatem inquit, quis fecit in Angelis, nisi ille, qui eos cum sua voluntate, idest, cum amore casso, quo illi adberentur, creavit, simul in eis condens na-

turam, & largiens gratiam. S. Thomas hoc ipsum ratione ex ipsomet Augustino P. deducet & confirmat 1. p. q. 62. art. 3. in corp. dicens: *Sic enim videmus, quod omnia, que processio temporis per opus divine providentiae creata, à Deo operante sunt producta, in prima rerum conditione producta sunt secundum quasdam semifinales rationes, ut Augustinus dicit 5. super Gen. sicut arbores, & animalia, &c.* Manifestum est autem, quod gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem. Unde 1. Joan. 3. gratia semen Dei nominatur. Sicut igitur secundum opinionem Augustini ponitur, quod statim in prima creatione corporalis creature, indite sunt ei semifinales rationes omnium naturalium effectuum, ita statim à principio Angelii sunt creati in gratia. Hęc Angelicus Præceptor, ubi obiter nota, ipsum ad suam sententiam firmandam uti doctrinam Augustini P. de productione mixtorum in seminali ratione in prima rerum institutione; ut scias, qua ratione plures ex Recentioribus, inter quos Joan. à Sancto Thoma, dicant, quod licet S. Thomas problematicè verset Patrum sententias, tamen in Summa Theologiae magis in usu habet contrariam Augustino opinionem; cuius oppositum videre est in præsenti, & frequentissimè cùm agit de Angelorum cognitione.

266 Sed dices: Augustinus P. 2. sup. Gen. ad lit. docet; quod Angelus primò fuit creatus informis, ut nomine coeli significatur Gen. 1. & postmodum lucis creatione formatus. Respondet Angelicus P. loco proximè citato ad 1. quod informitas illa potest accipi, vel per comparationem ad formationem gloriae: & sic informitas, temporis duratione præcessit formationem; vel per comparationem ad formationem gratiae, & sic ordine dantaxat natura antecessit, sicut de formatione creaturae corporalis supra art. 3. dictum est. Vide Augustini P. verba num. 48. Angeli ergo ex puritate, & natura præstantia, quam supra num. 253. ex Dion. 4. cap. de divinis nominibus determinavimus, donis item supernaturalibus gratiae, amoris casti, cærarumque virtutum cumulatissime in primo suæ creationis instanti sunt decorati; ut sub typo Regis Tyri eleganssimè declaratur Ezech. 28. his verbis: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus*

770 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

decore, in deliciis paradysti Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum: sardius, topazius, & jaspis, chrysolitus, & onyx, & berillus, saphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui: & foramina tua in die, quo conditus es, preparata sunt. Tu Cherub extensus: perfectus in vijs tuis à die conditionis tue, donec inventa est iniquitas in te. Ecce Angelus à principio suæ conditionis omni ornatus venustatus à supremo omnium bonorum largitore proslijt, etiam ille, qui post peccavit: Quanto magis ergo qui in veritate stetit?

267 Licet autem Angeli in gratia, & casto amore Deo adhærentes, sint creati, non tamen cum ultima sua felicitate supernaturali, à qua discedere, & cadere nullomodo potuissent. Quod egregie probat Augustinus P. 11. de Gen. ad lit. cap. 23: At Angelus, inquit, Diabolus factus, continuè se à luce veritatis avertit, superbiatumidus, & proprie potestatis delectatione corruptus. Unde beate, atque Angelica utè dulcedinem non gustavit, quam non utique acceptam fastidivit, sed nolendo accipere, deferuit, & omisit. Proinde nec sui casus precius esse potuit, que sapientia pietatis est fructus. Ille autem continuò impius, consequenter & mente cœcus, non ex eo quod accepérat, cecidit, sed ex eo quod acciperet, si subdi voluisset Deo; quod profectò quia noluit, & ab eo, quod acceperat, cecidit, & potestatem illius, sub quo esse noluit, non evasit: factumque in illo est pondere meritorum, ut nec iustitia possit lumine delectari, nec ab ejus sententia liberari. Non ergo Angelus in beatitudine supernaturali fuit creatus.

268 Probatur deinde hoc ipsum ex Angelico P. 1. p. q. 62. art. 1. ubi in argum. Sed contra hanc rationem proponit: De ratione beatitudinis est stabilitas, sive confirmatio in bono; sed Angeli non statim ut creati sunt, fuerunt confirmati in bono: quod casus quorundam ostendit: Non ergo Angeli in sua creatione fuerunt beati. Et in corpore duplicem beatitudinem, naturalem videlicet, & supernaturalem distinguuntur: & primam Angelis in sua creatione concedit, secundam autem negat, dicens: Non inbeatitudinis intelligitur ultima perfectio rationalis, seu intellectualis naturæ, & inde est, quod naturaliter desideratur: quia unumquodque naturaliter desiderat suam ultimum perfectionem. Ultima autem perfectio rationalis, seu intellectualis naturæ est duplex. Una quidem, quam pos-

possunt asequi virtute sue naturae: & hac quodammodo beatitudine, & felicitas dicitur. Unde & Arist. 10. Ethic. cap. 7. perfectissimam hominis perfectionem, qua optimum intelligibile, quod est Deus, contemplari potest in hac vita, dicit esse ultimam hominis felicitatem. Sed super hanc felicitatem est alia felicitas, quam in futura expectamus: quia videbimus Deum sicuti est. Quod quidem est supra cuiuslibet intellectus creati naturam, ut supra ostensum est. Sic igitur dicendum est, quod quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus a se qui virtute sue naturae potuit, fuit creatus beatus. Quia perfectionum hujusmodi non acquirit per aliquem motum discursorum, sicut homo, sed statim ei adest, propter suam naturam dignitatem, ut supra dictum est. Sed ultimam beatitudinem, quam naturam dignitatem excedit, Angeli non statim a principio sua creationis habuerunt. Quia hæc beatitudo non est aliquid naturæ, sed naturæ finis: & ideo non statim eam a principio debuerunt habere.

269 Hæc uterque SS. Doct. ex quibus conciliantur quædam loca Augustini P. ubi docuisse videtur, Angelos fuisse in sua beatitudine, & felicitate creatos. Licet enim Augustinus P. 12. de Civit. Dei cap. 11. dixerit: *Nullo quidem modo secundum aliquam temporis spatum, prius erant illi spiritus tenebre, quos Angelos dicimus. Sed simul ut facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantum creati, ut quoquomodo essent, & quoquomodo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter, & beatè viderent.* Haec tamen beatam vitam, quam simul ab initio Angeli habuerunt, non fuisse ultimam supernaturalem felicitatem, mox explicat S. Doctor dicens: *Ao his illuminatione aversi quidam Angeli, non obtinuerunt excellentiam sapientis, beatæque vite, que proculdubio non nisi eterna, eternitatisque sue certa est, atque secura.* (Ecce primam rationem D. Thomæ in arg. sed contra.) Ergo Augustinus P. illam Angeli a principio beatitudinem non fuisse perfectam docet, & duplice ratione confirmat; quia, nimirum, nec illa beata vita erat æterna; nec iterum mens Angelorum de illius æternitate erat præficia, & secura. Et rursus, ut ex ipso num. 267. dictum est, Angelus malus non beatitudinem acceptam fastidivit; sed nollendo accipere deseruit, & emisit. Non utique acceptam fastidivit; quippe in summo

bono, clare visso, nullum motivum fastidij, nec displicantie detegitur, sed sumnum, & plenum satiativum, complens undique omne desiderium. Nec quod Angeli crearent illuminati, ut sapienter, beatèque viverent, probat, fuisse in beata vita creatos; sed quod si vellent illam acquirere, beatèque vivere, utique, accepta à Deo gratia, possent, si meritum beatitudinis eliciissent; & ut ipsam felicitatem asseruerentur, sunt creati, & ordinati.

270 Difficiliora apparent alia Augustini P. verba 2. de Gen. ad literam cap. 8. ubi ait: *Neque enim sicut nos ad percipiendam sapientiam proficiebant Angelii, ut invisibilia Dei per ea, que facta sunt, intellecta conspicerent, qui ex quo facti sunt, ipsa Verbi aeternitate, sancta, & pia contemplatione perfruuntur: atque inde ista despicientes, secundum id, quod intus vident, recte facta approbant, vel peccata improbant. Nec mirum est, quod sanctis Angelis in prima lucis productione formatis, prius Deus ostendebat, quod erat deinceps creature.* Ceterum dupli solutione solvi potest difficultas ex D. Th. Primò dicendo quod loquitur de beatitudine naturali, quam à principio habuerunt Angeli. Secundò, quod si loquatur Augustinus P. de felicitate supernaturali, non est intelligendum, à primo instanti ipsam habuisse Angelos. Primum fundo in Angelico P. loco nuper citato ad tertium, ubi ait: *Angelus duplum habet Verbi cognitionem; unam naturalem, & aliam glorie. Naturalem quidem, qua cognoscit Verbum per ejus similitudinem in sua natura relucentem. Cognitionem vero glorie, qua cognoscit Verbum per suam essentiam. Et utriusque cognoscit res in verbo. Sed naturali quidem cognitione imperfecte; cognitione vero glorie perfecte. Primi ergo cognitione rerum in Verbo affuit Angelo à principio creationis sue: Secunda vero non, sed quando facti sunt beati per conversionem ad bonum. Et hæc propriè dicitur cognitione matutina.*

271 Hæc Angelicus P. ex quibus habemus, quod si accipiatur Augustinus P. de Verbi contemplatione naturali perfecta, utique Angeli in primo instanti illam habueront; neque enim sicut nos motu discursivo proficiunt ad acquirendam sapientiam: & ista cognitione, fienda à Verbo prius natura cognoscebant, sicut ipsi inter creaturem prius natura facti

facti sunt; sed tamen imperfectè. Cognitionem autem perfectam in primo instanti actu quidem non habuerunt Angeli, bene verò seminaliter in gratia, quæ est semen vite: sicut terra habuit plantas à principio seminaliter.

272 Si autem contendas, quod Augustinus P. loquitur de contemplatione gloriae perfectæ, ut innuere videntur illa verba: *Ipsa Verbi aeternitate, sancta, O pia contemplatione*: & illa alia: *Sanctis Angelis*, ubi contrapositivè ad malos videtur loqui; præmiserat enim sermonem de recte facta approbantibus, & peccata improbantibus: Tunc duo præcipue ingerunt difficultatem. Primum, ly ex quo facti sunt. Secundò, illud, prius Deus ostendebat Angelis, quod erat deinceps creaturus. Sed primum satis probabiliter ex ipsomet Augustino à simili solvitur. Augustinus enim illud Joan: *Diabolus ab initio peccat*, sic exponit: ab initio, non ex quo factus est, peccare putandus est; sed ex quo peccavit, non destitit, & ab ejus superbia peccatum esse cœpit. Similiter ergo nos intelligimus illud Augustini: *Ex quo facti sunt*, hoc est, ex quo beati facti sunt, non ex quo creati sunt; & quod ab ejus beatitudine felicitas creaturæ sumpsit exordium. Movent ad hanc intelligentiam verba manifesta Augustini P. num. 264. 267. & 269. allegata. Secundum dubium infrà latius est examinandum, & ex D. Thoma solvendum. Pro nunc dico, quod licet Angelus simul fuerit cum cœlis, & elementis creatus, ac per consequens simul facta illa omnia cognovedit ab initio; tamen cum in Verbo videt creaturem, illas ut siendas cognoscit; quia sic pertinent ad Verbum, in quo exemplaria, & rationes idæales rerum, tanquam in primordiali principio, resident.

273 Quod autem nunquam Augustinus P. in ea fuerit sententia, quod Angeli in supernaturali beatitudine fuerint creati, præterquamquod satis patet ex allegatis illius verbis, & D. Thoma; amplius confirmatur ex B. Alberto M. lib. de quatuor coæquavis q. 6. art. 2. his verbis: *Dicimus, quod meritum illorum est in hoc solo, quod Verbo adserunt, cum possent ab illo deflecti. Et si queratur, utrum hoc ipsum fuit eis actus gloriae? Dicendum, quod gloria vite aeternæ, O beatitudo dicuntur per confirmationem cum fruitione Verbi, & illam confirmationem nondum habuerunt Angeli. Unde si*

aliquando invenitur beatitudo, & vita eterna dicta de Angelis in primo statu, intelligitur de beatitudine secundum quid, scilicet, quæ non habet confirmationem conjunctam sibi; & hoc videtur sentire Augustinus, & Anselmus, qui dicunt, quod Angelus in primo statu habuit unde proficeret ad confirmationem, & beatitudinem. Ecce veram mentem Augustini P. ex B. Alb. M. & D. Thoma. Et ad hunc sensum etiam accipiendo sunt varij Scripturæ S. textus; ut illud Isaiae 14: *Quomodo ecedisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris.* Et illud Ezech. 28: *In delicijs paradiſi Dei fuiſti.* Quoniam Lucifer quidem in suo mane, & ortu, luce certè coruscavit, at non beatifica, & supernaturali; sed naturali, ut dictum est. Et similiter in delicijs fuit donorum supernaturalium, & naturalium; at non in ultima, & consummata deliciarum fruitione.

274 His præmissis jam ad propositam difficultatem expediendam dicimus, quod cognitio matutina dicitur ab Augustino P. illa, qua Angelus creaturas in Verbo, tamquam in arte factiva earum, cognoscit. Vespertina vero, qua in se ipsis, vel per proprias species easdem contemplatur. Sic docet Augustinus P. pluribus in locis. Undecimo de Civit. Dei cap. 29. hoc habet: *Ipsam quoque creaturam melius ibi, hoc est in sapientia Dei, tamquam in arte, qua facta est, quam in ea ipsa sciunt, ac per hoc & seipſos ibi melius, quam in seipſis, quamvis etiam in seipſis; facti sunt enim, & aliud sunt, quam ille qui fecit.* Ibi ergo tamquam in cognitione diurna, in seipſis autem tamquam in vespertina, sicut suprà diximus, (scilicet, cap. 7.) & lib. 4. de Gen. ad literam cap. 23. ait: *Multum intereft inter cognitionem rei cuiuscumque in Verbo, & cognitionem in natura ejus;* ut illud merito ad diem pertinet, hoc ad vesperam. Et eodem lib. cap. 22. cognitionem rei in seipſa vespertinam appellat S. P. & visionem ejusdem in Verbo matutinam, ut infrà videbimus, cum dies angelicos formemus. Ergo cognitio mututina, vel diurna (indiferenter enim utitur Augustinus P. his vocibus) est creature in Verbo contemplatio; vespertina vero, ejusdem extra Verbum, seu in seipſa cognitio.

275 Idem docet Ang. P. 1. p. q. 58. art. 6. in corp. ad mentem Augustini P. dicens: *Sicut in die consueto mane est principium dieti, vespere autem terminus: ita cognitio ipsius pri-*

primordialis esse rerum dicitur cognitio matutina: & hoc est secundum quod res sunt in Verbo. Cognitio autem ipsius esse rei creare secundum quod in propria natura consistit, dicitur cognitio vespertina: Nam esse rerum sicut à Verbo sicut à quodam primordiali principio. Et hic est ixus terminatur ad esse rerum, quod in propria natura habet. Clariissimi est Ang. P. doctrina. Et amplius Ang. P. explicat similitudine dierum naturalium penes hoc, quod sicut in illis mane est principium diei, vespere autem terminus; ita cognitio matutina dicitur per ordinem ad primordiale esse rei, idest, esse rei in prima causa, & secundum quod in illa cognoscitur. Vespertina vero secundum ultimatum esse rei, idest, in seipsa. Ceterum sciendum, quod in hoc, quod dicitur vespertina cognitio esse rei in seipsa, non debet intelligi, quod terminetur ad esse rei, ut est sub propria existentia praeceps; sed sufficit, quod extra Verbum attingatur. Unde esse rerum in intelligentia Angelica, ut ait Ang. P. ibi ad 3. comprehenditur sub vespertina cognitione, sicut & esse rerum in propria natura; et quod etiam ipsi Angeli creature sunt.

276 Sciendum est etiam, quod cum vespertina cognitio dicitur esse, quae res cognoscitur in propria natura, particula in, ut advertit Angelicus P. ibi art. 7. in corp. non denotat rationem cause; quia Angeli non accipiunt cognitionem à rebus; sed accipitur secundum rationem cogniti, secundum quod subsistit cognitioni; ut scilicet, cognitio vespertina in Angelis dicatur, secundum quod cognoscunt esse rerum, quod habent res in propria natura. Quod quidem per duplex medium cognoscunt, scilicet, per species innatas, & per rationes rerum in Verbo existentes. Non enim videndo Verbum cognoscunt solum illud esse rerum, quod habent in Verbo, sed illud esse, quod habent in propria natura. Sicut Deus per hoc quod videt se, cognoscit esse rerum, quod habent in propria natura. Si ergo dicitur cognitio vespertina, secundum quod cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura videndo Verbum: sic una, & eadem secundum efficiam est cognitio matutina, & vespertina, differens solum secundum cognita. Si vero cognitio vespertina dicatur, secundum quod Angelii cognoscunt esse rerum, quod habent in propria natura per formas innatas, sic alia est cognitio matutina, & vespertina. Et ita videtur intelligere Augu-

gustinus, cùm unam ponat imperfectam respectu alterius.

277 Ex qua Angelici P. doctrina habemus, quòd si cognitio vespertina habeat duntaxat pro termino creaturam in propria natura, & non simul pro medio secundum speciem creatam ejus, sic non differunt secundum speciem matutinam, & vespertina cognitio; cùm etiam in Verbo Angelus propriam naturam creaturarum cognoscat. Si autem vespertina attingat creaturam pro termino, & in medio creata, hoc est specie creata, sic essentialiter differunt. Augustinus autem hoc secundo modo accipit vespertinam, ut constat illis verbis nuper relatis: *Multum interest inter cognitionem rei cuiusque in Verbo, & cognitionem in propria natura, ut illud meritò pertineat ad diem, hoc ad vesperam.* Magna ergo est, & essentialis inter has cognitiones differentia.

278 Hæc autem differentia inter matutinam, & vespertinam cognitionē sumitur à medio utriusque cognitionis, non autem ab objecto cognito, nisi ut cadit sub diverso medio. Quod satis insinuat Augustinus P. verbis relatis, & ibi cap. 22, per hæc verba: *In suo genere tamquam in vespero terminatum est ... & fit vespere illius lucis, cùm similitudinem non in Verbo, sed in sua natura cognoscitur.* Ubi ly *in Verbo* relate ad cognitionem matutinam, & ly *in proprio genere, & in propria natura*, respectu vespertinae cognitionis, manifestè indicant medium utriusque. Cùm igitur aliunde objectum ad specificandam, & distinguendam cognitionem concurrat, superest, ut eadem creatura, in quantum diversis medijs cognoscitur, specificet diversas cognitiones matutinam, & vespertinam.

279 Expressius adhuc hoc docet Angelicus Praecept. pluribus in locis. Quest. 8. de Veritate art. 16. in corp. hæc habet: *Sciendum tamen, quòd ista distinctio potest duplificari intelligi.* Uno modo ex parte rei cognitæ. Alio modo ex parte medij cognoscendi. Ex parte quidem rei cognitæ, ut dicatur res in Verbo cognosci, quando cognoscitur esse ejus, quod habet in Verbo; in propria verò natura, secundum quòd cognoscitur ipsum esse rei, quod habet in seipsa. Et hic non est conveniens intellectus, quia esse rei, quod habet in Verbo, non est aliud ab esse Verbi; quia ut Anselmus dicit, *creatura in creatore est creatrix essentia.*

ria. Unde hoc modo cognoscere creaturam in Verbo,
 „ non esset cognitio creatura, sed magis creatoris. Et ideo
 „ op̄ortet hanc distinctionem intelligi ex parte medijs cognos-
 „ cendi; ut dicatur res cognosci in Verbo, quando per ipsum
 „ Verbum ipsa res in propria natura cognoscitur; in propria
 „ verò natura, quando cognoscitur per formas aliquas
 „ creatas, rebus creatis proportionatas; sicut cum cognoscit
 „ per formas sibi inditas, vel etiam si per formas ac-
 „ quisitas cognosceret, quantum ad hoc pertinet, nihil
 „ differt.

280 In his apertissimè docet D. Thomas, quod
 „ cum dicitur, cognitio matutina est rei in Verbo, non debet
 intelligi, quod res ut identificata cum Verbo, seu in qua-
 „ tum est ipsamet creatrix essentia, sit objectum cognitionis ma-
 tutinæ; sed propria natura rei, ut per essentiam Verbi mani-
 festata; alioqui matutina cognitio non diceretur cognitio re-
 ram in Verbo, sed potius cognitio ipsius Verbi. Rursus, ma-
 nifestè tradit rationem formalem differentialem inter utramque
 cognitionem penes hoc, quod matutina per Verbum tamquam medium, creaturas contemplatur; vespertina au-
 tem, per formas creatas, & rebus proportionatas, seu Angelo ab initio inditas. Tota ergo differentia matutinæ, & vespertina in ratione cognitionis attenditur ex parte medijs repræ-
 sentantis creaturem, ut manifestè docet S. Thomas q. 8. de
 veritate art. 17. in argum. Sed contrà, dicens: *Cognitio ma-*
tutina, & vespertina distinguuntur per creatum, & increa-
tum, intellige medium; objectum enim in utrâque est crea-
tum. Et in corp. ait: *Dicendum, quod de cognitione matutina,*
& vespertina dupliciter loqui possumus. Uno modo quantum
ad id, quod cognitionis est; & sic inter utramque nihil cadit
medium. Cognitio enim matutina & vespertina distinguitur, ut
suprà dictum est, per medium cognoscendi: quod quidem, si crea-
tum est, facit cognitionem vespertinam quocumque modo; si au-
tem increatum, facit cognitionem matutinam. Patet ergo,
 quod unicum formale distinctivum matutinæ cognitionis &
 vespertina est medium utriusque; quod scilicet matutina per
 medijs increatum, nescie Verbum, cognoscit creaturem;
 vespertina autem per medium creatum, quodlibet illud sit,
 sive species innata Angeli, sive acquisita; quia ut vidimus na-

per ex D. Thoma, nihil refert quantum ad hoc, qualitas speciei, modò creata sit.

281 Idem docet S. Doct. q. 4. de pot. art. 2. ad 10.
 „ dicens : *Cognitio*, qua videt Angelus res in propria natura,
 „ quæ dicitur vespertina, sit per speciem intelligibilem crea-
 „ tam, & inhærentem : *Cognitio* verò, qua videt res in Ver-
 „ bo, quæ dicitur matutina, sit per essentiam Verbi, quæ non
 „ est *inhærens*. Vide ipsum ibi identidem hanc doctrinam re-
 petentem. Maneat ergo fixum, quod formalis differentia, in
 ratione cognitionis, inter matutinam, & vespertinam, pen-
 sanda est penes utriusque medium, hoc est, penes creatum,
 & increatum.

282 Hinc deduces, quod nihil cadit medium inter
 utramque, secundum rationem cognitionis; ut q. 8. de verit.
 art. 17. dicit S. Thomas. At si considerentur (inquit ibidem
 „ S. Doctor) quantum ad rationem matutini, & vespertini,
 „ sic cadit inter ea aliquid medium dupli ratione. Primo,
 „ quia mane, & vespere sunt partes diei; dies autem est in An-
 gelis per illustrationem gratiæ, secundum Augustinum: un-
 de non se extendunt ultra cognitionem gratuitam bono-
 rum Angelorum : & sic naturalis cognitio est præter has
 duas. Secundo, quia vespere, in quantum hujusmodi, ter-
 minatur ad mane, & mane ad vespere. Unde cognitio re-
 rum in propria natura non quælibet potest dici vespertina,
 sed illa tantum, quæ refertur in laudem creatoris ; sic enim
 vespere reddit ad mane : & sic cognitio dæmonum, quam
 habent de rebus, nec est matutina, nec vespertina, sed
 solummodo cognitio gratuita, quæ est in *Angelis beatis*. Li-
 cèt ergo matutina cognitio, & vespertina in ratione cogni-
 tionis unicè differant per medium creatum, & increatum ; ac
 per consequens nihil sit medium inter illas : nihilominus, in
 ratione matutinæ, & vespertinæ important, quod sint gra-
 tuae ; proindeque cadit inter ipsas medium, cognitio nempe
 dæmonum, quæ nec est matutina, nec vespertina, proprié-
 loquendo, propter duplicem rationem à D. Thoma assigna-
 tam.

283 Ex hucusque dictis colliges, cuius ordinis sint
 prædictæ cognitiones. Et quidem quantum ad matutinam,
 apertissimè deducitur, esse supernaturalem in sua entitatem, &
 spe-

specie, ipsam nempe visionem beatam. Unde Augustinus P. i. de Civit. Dei cap. 7. ait: *Lucem illam, & diem non esse nisi sanctam civitatem in sanctis Angelis, & spiritibus beatis, de qua dicit Apostolus: Quæ sursum est Hierusalem, quæ est Mater nostra, æterna in cœlis.* Ergo dies ille est in spiritibus beatis. Ergo saltem cognitio matutina, quæ potior est illius diei pars, est visio beata. Præterea id ipsum paret; quia secundum Augustinum Par. cognitio matutina, perfectissima est in Angelo, & rerum in Verbo: ergo visio beata. Rursus: Cognitio matutina subsequitur in Angelo ad conversionem in Deum; in præmiumque illius datur ipso: unde Augustinus P. inquit, quod Angelus ex vespertina profecit in matutinam; & i. de Civit. Dei cap. 7. *Scientia creature, comparatione scientia creatoris, quodammodo vesperascit; itemque lucescit, & mane fit, cum & ipsa referatur ad laudem, dilectionemque creatoris.* Atqui cognitio, quæ ad laudem dilectionemque creatoris subsequitur, & qua lucescit Angelus, tamquam præmio dilectionis, ipsiusque fructu, & profectu, est visio beata: ergo.

284 Unde Angelicus P. i. p. q. 58. art. 6. ad 2. ait: *Dicendum, quod matutina, & vespertina cognitio ab diem pertinet, id est ad Angelos illuminatos, qui sunt distincti à tenebris, id est, à malis Angelis. Angeli autem boni cognoscentes creaturem, non in ea figuntur, quod esset tenebrescere, & noctem fieri: sed hoc ipsum referunt in laudem Dei; in quo, sequut in principio, omnia cognoscunt. Et ideo post vesperam non ponitur nox, sed mane; ita quod mane sit finis precedentis diei, & principium sequentis, in quantum Angeli cognitionem praecedentis operis ad laudem Dei referunt. Ergo cognitio matutina, & vespertina ad Angelos illuminatos, & ut à malis distinctos pertinent. Atqui Angeli mali solum penes cognitionem, & visionem beatam distinguuntur à malis, in genere cognitionis; quippe omnem naturalem cognitionem, & etiam fidei habuerunt Angeli mali: ergo.*

285 Clarius adhuc hoc ipsum docet Angelicus P. i. p. q. 62. art. 1. ad 3. verbis relatis num. 270: ubi preme illa verba in fine: *Et hæc propriè dicitur cognitio matutina.* Partet etiam ex auctoritatibus ipsius nuper relatis, ubi cognitionem matutinam à vespertina distinguit ex parte medij penes

286 **DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.**

creatūm, & increatum, scilicet, Verbum divinum, & speciem creatam. Quoniam cognitio, ad quam Verbum divinum, seu divina essentia fecundat intellectum creatum, est visio beatissima: ergo haec est cognitio matutina. Denique idem docet frequenter S. Doctor, q. 4. de pot. art. 2. & alibi.

286 Major difficultas occurrit circa vespertinam, quoniam Augustinus P. expressè de illa non determinat, quòd sit ordinis supernaturalis, nec oppositum; sed duntaxat dicit, quòd est cognitio creaturæ *in proprio genere, in suo genere, in propria natura, & in seipsa*. Potest autem esse hujusmodi cognitionis vel naturalis, & per species innatas, vel supernaturalis, & per species infusas supernaturales; vel scientiam infusam ordinis supernaturalis, quæ est appendix, & corollarium beatitudinis in sententia D. Thomæ. Nec quòd Augustinus P. dicat, quòd ille dies est in Angelis sanctis, & spiritibus beatissimis, probat, vespertinam cognitionem esse supernaturalem; quoniam in beatissimis etiam est cognitio naturalis, tum sui ipsius, cum aliarum creaturarum: ita quòd Angelus seipsum semper actu intelligit; quia se intelligit per essentiam suam, qua semper informatur, ut ait Ang. P. q. 8. de verit. art. 14. ad 6: unde Angeli beati habent naturalem cognitionem sui per suam essentiam. Habent etiam cognitionem aliарum creaturarum per species earum, ut expressè asserit idem S. Doctor q. 4. de pot. art. 1. ad 25. Licet ergo matutina, & vespertina cognitionis sit in Angelis beatissimis, ut asserit Augustinus P. non illicò infertur: ergo vespertina est supernaturalis: neque sequitur: ergo est naturalis; utrāque enim cognitione Angelii beati vident creaturas per species creatas modo dicto.

287 Angelicus Praeceptor q. 8. de verit. art. 17. in cap. videtur sentire, quòd vespertina sit supernaturalis, cùm ait: *Unde non se extendunt ultra cognitionem gratuitam;* (loquitur de matutina, & vespertina ex professo) & in fine corporis concludit: *Et sic cognitio dæmonum, quam habent de rebus, nec est matutina, nec vespertina, sed solummodo cognitione gratuita, quæ est in Angelis beatissimis.* Sed cognitione gratuita est supernaturalis: ergo vespertina est supernaturalis.

288 Veruntamen cum distinctione resolvendam esse difficultatem judico. Et dico primò, quòd si vespertina Angelii cognitione consideretur in ordine ad formationem sui,

ipius per gratiam, & dona supernaturalia; sic vespertina Angeli cognitio supernaturalis est; quia objectum ejus, nempe gratia, ordinis superni est: nequit autem cognitio naturalis objectum supernaturale attingere, & clare cognoscere; quippe specificativum, & specificatum debent esse in eodem ordine. At in ordine ad formationem ceterarum creaturarum verosimilius mihi apparet, quod vespertina sit naturalis ordinis; quippe objectum ejus, nempe formatio cœlorum, per productionem firmamenti designata, & reliqua formationes sicutā num. 48. & sāpē ex Augustino Parente in discursu disputationis determinatæ in operibus quinque dierum post primum, sunt ordinis naturæ. Habet item Angelus species innatas, & naturales entitativæ, representativas harum creaturarum in propria natura, & proportionatas prædictis objectis: Non ergo est necessitas, ut vespertinam quinque dierum post primum, supernaturalem asseramus. Neque enim ex parte objecti, supernaturalis est: Neque etiam ex parte meæ dñi: ergo ex nullo capite; quoniam ex his sumitur supernaturalitas cognitionis: & quoties neutrum horum excedit capacitatem naturæ, non est confugiendum ad cognitionem, & speciem supernaturalis ordinis.

289 Præterea: Supernaturalitas in cognitione, & amore, intranea, & essentialis differentia est: Unde Thomista nullam virtutem proximè contentivam, & facultatem proximè operativam agnoscunt in viribus naturæ respectu visionis beatæ, actus charitatis, fidei &c. sed duntaxat per modum potentia. Nunc sic: Sed vespertina cognitione in ratione cognitionis, se extendit ad omnem cognitionem infra matutinam, sic quod nihil cadit medium inter utramque, ut expressè asserit S. Thomas, tum in argum. *sed contra* articuli 17. q. 8. de verit. tum in principio corporis articuli: & infra matutinam in Angelis sanctis, & spiritibus beatis plures sunt naturales cognitiones creaturarum in propria natura: ergo cum in ratione cognitionis omnes ille vespertinae sint secundum D. Thomam; & aliunde supernaturalitas sit intranea differentia in ratione cognitionis; consequens est, quod supernaturalitas non sit de conceptu vespertinae cognitionis, licet aliquando vespertina contrahatur per supernaturalitatem. Ex quo duntaxat inseritur, quod vespertina indifferens sit ad hoc,

hoc, ut per conceptum naturalitatis, vel supernaturalis tatis contrahatur; non autem, quod determinatè supernaturalis sit.

290 Ad rationem autem dubitandi ex D. Thomae propositam respondeo, quod certè cognitio vespertina in ratione vespertina gratuita est, & supernaturalis, verum non præcisè entitativè, & in recto, sed de connotato; vel etiam in recto, si objectum illius superuaturale sit, v. g. vespertina primi diei, ut terminatur ad Angelum gratia, & donis supernaturalibus illustratum. Explico solutionem exemplo actus virtutis moralis, v. g. clargitionis eleemosynæ, qui entitativè in se, & quoad speciem virtutis, ordinis naturalis est; at in ratione meriti, supernaturalis est, media relatione charitatis ipsum ad finem vitæ æternæ ordinantis; neque enim aliter actus virtutis misericordiæ posset proportionari cum præmio supernaturali vita æternæ. Similiter dicendum censeo in praesenti. Cognitio enim vespertina Angeli relatè ad formationem colorum considerata, neque ex objecto, neque ex medio, cum extra Universum Angelus cognoscit opus firmamenti, habet unde supernaturalis debeat judicari. Unde entitativè, quoad speciem, & in recto, naturalis est, cum nec ex parte objecti, nec ex parte medij excedat facultatem, & virtutem naturalem Angeli. At quia vespere refertur ad mane, & Angelus, ut inquit Augustinus P. ex vespertina profecit ad matutinam, & visionem beatam, referendo se, & suam cognitionem in laudem creatoris, & Verbi; ex quo disponitur ad recipiendam matutinam: hinc de connotato importat prædicta cognitio relationem charitatis, quam sequitur in Angelo visio beata, & matutina cognitio in ratione præmij vespertina, ut sic relata in laudem creatoris.

291 Nec amplius, ut opinor, sentit Angelicus P. q. 8. de veritate art. 17. in corpore; ait enim ibi: *Unde cognitionis rerum in propria natura non qualibet potest dici vespertina; sed illa tantum, que refertur in laudem creatoris.* Ubi considerandum est, quod Angelicus P. supernaturalitatis rationem in vespertina, in quantum tali, non assignat ex parte objecti, nec ex parte medij, nec ex parte principijs, ex quibus, vel aliquo eorum, provenit supernaturalitas in opera:

tatione; sed ex parte relationis charitatis in laudem Dei, quæ prorsus extranea differentia est ad constituendum actum intellectus in aliqua determinata linea, vel specie, quoad rectum intellectionis. Unde signanter dixerat ibi in principio articuli S. Thomas, quod quantum ad id, quod cognitionis est, nihil cedit medium inter utramque, hoc est, matutinam, & vespertinam. Non ergo fentie D. Thomas, quod vespertina entitative, in recto, & quoad speciem actus, sit supernaturalis, sed ex parte relationis, & imperij charitatis, & de connotato. Nec quod vespere terminetur ad mane, amplius convincit; quoniam vespertina, adjuncta relatione ad laudem Dei, redditur connexa cum matutina; quippe in Angelo ad meritum, quod præcipue in relatione charitatis consistit, immediatè sequitur mane, seu visio beata, tamquam præmium, ut sæpè docet D. Thomas.

292 Fundo amplius solutionem in D. Thoma, qui ibi ad primum sic ait: *Cognitio rerum in propria natura semper est vespertina. Nec relatio ejus ad cognitionem in Verbo facit eam matutinam, sed facit eam terminari ad matutinam.* Nunc sic: Ang. Præc. ibi in corp. articuli in tantum dixit cognitionem vespertinam esse gratuitam, in quantum vespere terminatur ad mane; sed juxta eundem verbis relatis, quod facit vespertinam terminari ad matutinam, est relatio ejus; ergo hæc reddit illam gratuitam. Clarius adhuc docet D. Thomas q. 8. de veritate, art. 16. ad 6. vespertinam adhuc respectu Angeli ut instructi naturalibus donis, esse naturalem in recto, & quoad speciem, solumque fieri gratuitam, & supernaturalem media relatione charitatis. *Dicendum*, inquit, quod cognitio matutina præcedit vespertinam ordine naturali respectu unius, & ejusdem rei; sed respectu diversarum rerum vespertina cognitio prioris, intelligitur esse prior cognitione matutina posterioris, prout in cognitione at tenditur ordo respectu rerum cognitarum. Et ideo Gen. 1. vespere ante mane ponitur hac necessitate, quia opus primi diei est lux, quam Augustinus intelligit spiritualem natutam, quæ illuminatur per conversionem ad Verbum. Angelus autem seipsum prius in seipso cognovit naturali cognitione, & in se cognito, non in seipso permanens, quasi se ipso fruens, & in se finem ponens, sic enim rex factus es,

, set , ut Angeli , qui peccaverunt ; sed cognitionem suam in
 „ laudem Dei retulit , & sic ex sui cognitione conversus
 „ est in Verbi contemplationem , in quo est mane secundi
 „ diei , secundum quod in Verbo accepit cognitionem sequen-
 „ tis creature , scilicet , firmamenti . Ecce in Angelo naturalis cognitionis sui ipsius , relatione duntaxat ad laudem Verbi addita , est vespertina cognitionis primi diei juxta D. Thomam , & ad contemplationem naturalem sui ipsius cum praedicta relatione , sequitur mane sequentis diei . Ergo vespertina , quae ad rectum naturalis est . Vide D. Thomam ibi ad 8 .

293 Hinc patet etiam solutio similis doctrinæ D. Thoma q. 4. de pot. art. 2. ad 15. quia loquitur S. Thomas de cognitione vespertina , in quantum sit gratuita per gratiam sanctificantem , media relatione charitatis , ut patet ex ibidem dictis à D. Thoma : *Non enim , inquit , qualibet cognitionis rerum in propria natura potest dici vespertina , sed illa tantum , quae refertur ad laudem creatoris .* Idem eisdem verbis docuerat solutione ad 14.

194 Colliges etiam , falsam esse opinionem eorum , qui Augustinum P. matutinam cognitionem in aliqua cognitione via statuisse sentiunt ; ponit siquidem illam , ut supra ex ipso dictum est , in *sanc̄tis Angelis , & spiritibus beatis* . Falsa etiam deprehenditur opinio illorum , qui matutinam in relatione in laudem Dei constituunt : Quoniam hujusmodi relatio , ut dictum est , extra differentias de linea cognitionis est , & pertinet ad voluntatem formaliter : unde nec matutinam , nec vespertinam formaliter in ratione cognitionis constituit , sed duntaxat à vespertina , seu cognitione rerum in propria natura , connotatur , ut ipsa ad matutinam terminetur , cum ipsaque connectatur , ut expressè afferit S. Thomas q. 8. de veritate art. 17. ad 1. *Cognitionis , inquit , rerum in propria natura , semper est vespertina . Nec relatio ejus ad cognitionem in Verbo facit eam matutinam , sed facit eam terminari ad matutinam . Non ergo dicitur , quod ex hoc Angelus cognitionem matutinam habeat , quia cognitionem rerum in propria natura ad Verbum referat , quasi ipsa cognitionis relata , sit ipsa cognitionis matutina , sed quia ex hoc , quod refert , speretur cognitionem matutinam accipere .*

295 Colliges etiam , quod non restat aliqui distinctione

gauis

gunt cognitionem Angeli in vespertinam, matutinam, & meridianam. Quoniam Angeli cognitio in ordine ad constitutendum diem solum dividitur penes illam, quæ est per medium creatum, & increatum, ut supra ex utroque SS. Doctor dictum est. Unde omnis illa, quæ fit per medium creatum, dicitur vespertina: illa autem quæ fit per medium increatum, matutina, vel etiam diurna, ut manifestè docet D. Thomas q. 8. de veritate art. 17. ad 4. dicens: *Augustinus vocat cognitionem matutinam, quæ est in plena luce: unde continet sub se meridianam. Unde quandoque nominat eam diurnam, quandoque autem matutinam.* Et addit S. Doctor ibi, quod omnis cognitio intellectus Angelici habet tenebras admixtas ex parte cognoscentis. Unde nulla cognitio intellectus Angelici potest dici meridiana, sed sola cognitio, qua Deus cognoscit omnia in seipso. Vide D. Thomam q. 4. de pot. art. 2. Potest etiam aliter meridies in cognitione Angeli assignari, non quidem multiplicando cognitionem ipsius, sed intrinsicè in ipsa cognitione matutina, quatenus hæc terminatur ad ipsum Deum, ut D. Th. 1. p. q. 58. art. 6. ad 2. innuerit, dicens: *Vel potest meridies referri ad cognitionem ipsius Dei, quæ non habet principium, nec finem.*

§. III.

EXPEDIUNTUR ALIQUÆ DIFFICULTATES circa præmissa occurrentes.

DIXIMUS supra num. 270. ex D. Thoma, quod Angelus naturali cognitione cognoscit res in Verbo; sed matutina est cognitio rerum in Verbo: ergo hæc non est præcisè supernaturalis. Idem habet S. Doct. q. 4. de pot. art. 2. ad 25. Respondeo, quod certè Angelus cognoscit res in Verbo naturali cognitione, sed imperfectè, ut in utroque allegato loco dicit Angelicus P. Cognitio autem matutina perfectissima est in Angelo, & in plena luce, ut nuper ex D. Thoma dictum est, & per medium increatum, quod unicè ad cognitionem supernaturalem, & visionem beatam potest deservire. Unde Augustinus P. dicit, quod dies est in sanctis Angelis, & spiritibus

bus beatis : ergo saltim præcipua ejus pars, nempe matutina, non est naturalis cognitio, sed supernaturalis, utpote ad beatitudinem Angelii pertinens. Hinc Angelicus P. ibi concludit, dicens : *Et hec*, (videlicet, cognitio gloriae) propriè dicitur cognitio matutina. Quod si ex hoc vellis inferre, quod illa naturalis cognitio saltim impropriè dicetur matutina; transeat consequens : & secundum hanc cognitionem imperfectam Verbi, & creaturarum in ipso, verificabitur illud mane, quod Isaías Lucifero concessit, dum dixit : *Quomodo cecidisti de celo Lucifer, qui manu oriebaris?*

297 Diximus etiam supra, quod matutina est visio beata, ac per consequens una numero entitativè cognitio est; quia in Verbo non sunt volubiles Angelorum cogitationes. Ex quo dubitari posset, quomodo dies possunt multiplicari sub illa, ut sexies mane repetatur, juxta exigentiam literæ Moysis Gen. 1. Sed de hoc infra, cum de formatione dictrum s. sequenti. Dubitari etiam posset, utrum sicut matutina unica numero est, ita etiam pariter vespertina in omnibus diebus unica sit, an multiplex? Sed de hoc etiam infra latè agendum. Interim breviter dico, quod si vespertina cognitionem supernaturalem, & naturalem importat, proculdubio plurificatur. Quot autem assignanda sint cognitiones in hoc eventu, infra determinabo. Et certè Angelicus P. q. 4. de pot. art. 2. ad 8. duplarem saltem numero cognitionem ex parte vespertina assignat, dicens : *Angelus triplicem cognitionem habet de rebus, videlicet, prout sunt in Verbo, prout sunt in mente ejus, & prout sunt in proxiana natura. Prima vocatur cognitio matutina, aliae due sub vespertina cognitione comprehenduntur.* Vide ipsum ibi ad 10. ubi simul esse in Angelo triplicem hanc cognitionem ex profecto ostendit S. Doctor.

298 Quod autem ex quo matutina unica sit numero, non inferatur, vespertina pariter debere esse unicam, optime probat Exim. D. lib. 1. de Op. 6. dier. cap. 10. num. 13. dicens : At vero extra Verbum non una tantum, sed multiplex potest esse cognitio : ergo potest esse multiplex vespertina ; & ita cessat aequiparatio inter illa duo membra, scilicet, quod sicut una numero est cognitio matutina, &

visio beata, ita unica pariter debeat esse vespertina. Nam in omni latitudine summum, & perfectum, unum est; imperfeta verò multiplicantur, quia ab illa summa perfectione multipliciter receditur. At sanè matutina cognitione attingit summum gradum perfectionis cognitionis creaturarum, vespertina verò dicit defectuosam cognitionem: ergo licet illa una tantum sit, hæc multiplicari potest.

299 At, inquis, si multiplicantur vespertine, quomodo unum diem constituant? Hoc etiam infra examinandum. Breviter tamen dico; quod unum diem constituunt, unitate ordinis; nam sicut opera sex dierum, quæ sunt objecta illarum cognitionum, ordinem habent inter se, & ad unum totum Universum, quod constituent; ita illæ cognitiones Angelicæ, ut ad ipsa opera sex dierum terminatæ, unum diem conficiunt unitate ordinis, seu potius unum vespere. Sicut etiam vespertina, & matutina, quia ordinatè se habent, & vespertina terminatur ad matutinam, unum diem constituant, sicut dicit Angelicus P. q. 4. de pot. art. 2. ad 10.

300 Præterea contra divisionem matutinæ, & vespertinæ cognitionis argues: diximus enim, quod matutina est, qua cognoscuntur res in Verbo, & per essentiam Verbi: vespertina verò, qua creaturæ per species creatas cognoscuntur; hæc autem non videtur adæquata divisio, ita ut nihil cadat medium inter hujusmodi cognitiones; quippè per matutinam necdum creaturæ attinguntur, verum & ipse Deus, immò primò, & principalius. Et per speciem etiam creatam cognoscitur ipse Deus, ut de Angelo supra diximus ex D. Thoma cognoscere Verbum per ejus similitudinem in sua natura relluentem: & similiter homines ex creaturis assurgunt ad creatoris cognitionem, secundum Apostolum dicentes: *Invisibilia ejus à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspicuntur.* Sed neutra harum cognitionum est creaturæ per creatorem, vel creaturæ per creaturam; ergo.

301 Respondeo, quod ut supra ex D. Thoma dictum est, matutina, & vespertina unicè distinguuntur, quoad formale cognitionis, ex parte medijs penes creatum, & increatuum. Unde omnis cognitione attingens objectum per me-

ūm increatum , seu essentiam Verbi , est matutina ; proī-
de que cognitio ipsius Dei per Verbum matutina est , vel si
mavis , meridiana dici potest , ut nuper ex D. Thoma dictum
est . Unde etiam septimus dies , qui non habet pro ob-
jecto creaturam , sed quietem Dei in seipso , seu beatitudinem
Dei , habet mane , ut ex utroque Mag. infrā dicam . Similiter
cognitio creatoris per creaturam vespertina est ; quia per me-
dium creatum attingit Deum ; quæ cognitio comparativè ad
illam , qua in lumine Dei videbimus lumen indeficiens , devo-
tior est , & vespere scit , ut inquit Augustinus P. suprà ci-
tatus ; quæ item lucescit , & mane sit , cum ad laudem crea-
toris assurgitur , hoc est , meretur ex hoc cognitionem matuti-
nam accipere , ut ex D. Thoma dictum est .

302 Quæres denique circa matutinam , & vesperti-
nam , quo ordine se habeant inter se ? Num videlicet vesperti-
na præcedat matutinam , vel potius è converso ? & an illa
prioritas sit durationis , an ve ordinis naturæ , vel digni-
tatis ? Pro dubij resolutione recollenda sunt superius dic-
ta ex D. Thoma , quod , nimirum , non omnis cognitione extra
Verbum , & per speciem creatam , dicitur vespertina pro-
priè , & formaliter ; quoniam vespere in quantum tale *recur-
rit ad mane* , ut ait Augustinus P. 11. de Civitate Dei cap. 7.
vel *terminatur ad mane* , ut diximus ex D. Thoma , vi rela-
tionis charitatis , cognitionem extra Verbum in laudem ip-
sius referentis . Unde in dœmone non fuit proprie vespere , nec
mane . Cognitio ergo vespertina est gratuita modo expli-
cato . Si autem quilibet cognitio per medium creatum esset
propriè vespertina , proculdubio hac duratione p̄raivisset
matutinam .

303 Scendum est etiam , quod vespertina potest
considerari dupliciter . Primo , secundum quod importat
cognitionem per medium creatum , & relationem in laudem
Verbi . Secundo , ut dicitur vespertina secundi dici , tertij &c .
Aliter autem dicendum censeo de illa in prima consideratio-
ne ; aliter in secunda . In hac enim necessario supponit vespe-
re secundi dici , v. g. primum diem adæquate constitutum ;
neque eam secundas , vel tertius dies proprie numerar-
etur , quia præcedat primus , vel secundus undequaque abso-
lutus . Unde ordine saltem numerali vespertina cognitione tertij
dies supponit mane secundi .

304 Rursus, quantum ad prioritatem dignitatis, citra dubium est, matutinam, priorem esse vespertina. Multum quippe interest, ut inquit Augustinus P. inter cognitionem rei cuiusque in Verbo, & in propria natura; & per se manifestum est, quoniam in Verbo luce plena & per essentiam, videtur creatura; & per medium creatum in luce participata, & veluti quadam scintilla à luce per essentiam decisa: ergo ibi melius, & perfectius, quam hic cognoscitur creatura. Quibus præmissis, decisio dubij partim pendet ex resolutione alterius, quando nimis facta sit glorificatio Angeli? Circa quod quidam censem, quod in secundo instanti, in quo beatitudinem meruit Angelus per conversionem sui plenè liberam, & deliberatam ad Deum, pro posteriori signo ejusdem instantis accepit præmium suæ beatitudinis per visionem beatam: in qua sententia nulla erique intercedere potuit duratio inter vespertinam, & matutinam, juxta præmissa ex D. Thoma, quod nempe vespertina requirit prædictam relationem, ut terminetur ad mane. Quidam vero autem, quod Angeli pro instanti meritum subsequenti, sunt glorificati.

305 Dico ergo primò: *Vespertina cognitione primi diei aliquam prioritatem importat respectu matutinæ. Sic docet Augustinus Parenz 4. de Gen. ad lit. cap. 22. dicens: Us si lux ista, que primitus creata est, non corporalis, sed spiritualis est, sicut post tenebras facta est. Oe. ita post vesperram fiat mane, cum post cognitionem sue propriæ nature, que non est, quod Deus, referat se ad laudandum lucem, que ipse Deus est, cuius contemplatione formatur. Et infra: Ut vespertina primi diei sit etiam sui cognitione, non se esse, quod Deus est. Mane autem post vesperam hanc, quo concluditur dies unius, Oe. Quibus aperte docet Augustinus P. priorem suam cognitionem sui, seu vespertinam in Angelo, quam matutinam; hoc enim sonant illa verba: Mane autem post vesperram hanc. Præterea: quia Augustinus P. inquit, quod Angelus ex vespertina proficit in matutinam, vel ut ait D. Th. q. 8. de verit. art. 17. ad 1. ex hoc quod Angelus refert vespertinam, meretur accipere matutinam; sed meritum, & profectus ad matutinam præcedit matutinam; quippe est via, & tendentia ad illam; neque enim beati proficiunt, & merentur in*

in statu beatitudinis, qui est terminus meriti, & profectus ad illam: ergo vespertina cognitio primi diei aliqua prioritate antevertit matutinam.

306 De vespere autem aliorum dierum aliter loquendum est, & dicendum, quod vespertina cognitio omnium subsequentium dierum, secundum se sumpta, & quatenus importat cognitionem per medium creatum, & relationem in laudem creatoris, praeedit matutinam omniam dierum; secus autem, si consideretur, secundum quod actu constituit secundum tertium, & reliquos dies. Prima pars asserti suadetur; cognitio namque vespertina in recto & formaliter, juxta praemissa, importat notitiam rerum extra Verbum, & per medium creatum, de connotato autem meritum relationis charitatis in laudem Verbi; sed utrumque in Angelo præcessit ejus glorificationem, seu visionem beatam, ut infra ostendam: ergo.

307 Assertum quoad secundam partem patet ex nuper dictis. Et ulterius probatur ex D. Thoma q. 8. de verit. art. 16. ad 6. dicente: *Cognitio matutina praeedit vespertinam ordine natura respectu unius, & ejusdem rei; sed respectu diversorum rerum vespertina cognitio prioris intelligitur esse prior cognitione matutina posterioris, prout in cognitione attenditur ordo respectu rerum cognitarum.* Et ideo Gen. 1. vespere ante mane ponitur hac necessitate, quia opus primi diei est lux, quam Augustinus intelligit spiritualem naturam, que illuminatur per conjunctionem ad Verbum. Angelus autem seipsum primò in seipso cognovit naturali cognitione, & in se cognito, non in seipso permanxit ::: sed cognitionem suam in laudem Dei retulit. Et sic ex sui contemplatione conversus est in Verbi contemplationem, in quo est mane sequentis diei. Sicut autem videmus in tempore continuo, quod idem nunc est duorum temporum, prout est finis preteriti, & principium futuri; ita matutina cognitio secundi diei est prime diei terminus, & secunda diei initium. Idem docet S. Doctor q. 4. de pot. art. 2. ad 13.

308 Habeimus ergo ex S. Thoma ad mentem Augustini P. quod in numeratione dierum prior est cognitio vespertina primi diei; & è converso matutina cognitio secundi diei est primi diei terminus, & initium secundi: ergo secundus dies incipit à mane; ergo vespertina cognitio in se-

Tunc dic posterior est matutina , & sic de reliquis . Sed de hoc amplius & sequenti .

309 Sed contra primam partem secundi asserti oppones Augustinum P. 4. de Gen. ad lit. cap. 24. dicentem : *Cum Sancti Angeli, quibus post resurrectionem coequabimur, si viam, qua nobis Christus factus est, usque in finem tenuerimus, semper videant faciem Dei, Verboque ejus unigenito filio, sicut Patri aequalis est, perfruantur, in quibus primò omnium creata est sapientia: proculdubio universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium, que temporaliter facta sunt, aeternae rationes, tamquam in eo, per quod facta sunt omnia; ac deinde in ipsa creatura. Et ibi cap. 32: Mens verò Angelica, inquit, pura charitate inherens Verbo Dei, posteaquam illo ordine creata est, ut præcederet cetera, prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt; ac sic prius in ejus fieri cognitione, cum Deus dicebat, ut fierent, quam in propria natura: que itidem facta in seipsis etiam cognovit, minori utique notitia, que vespера dicta est. Hac Augustinus P. in quibus si preimas illa verba: *In ipso Verbo Dei prius noverunt:: O deinde in ipsa creatura: & illa: Prius ea vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt, manifestè colliges, quòd absolute priorem statuit matutinam cognitionem omnium creaturarum præter Angelum, quam vespertinam eundem: ergo.**

310 Respondeo, quòd Augustinus P. locis allegatis loquitur de cognitione Angelii in beatitudine jam constituti, ut aperte indicant illa verba: *Cum Sancti Angeli, quibus post resurrectionem coequabimur, si viam, qua Christus est tenuerimus. Manifestum autem est, quòd si finaliter in via, qua nobis Christus est, perseveraverimus, non quibuscumque Angelis, sed beatis coequabimur. Angelii verò in beatitudine constituti, cum cognoscant creaturas eo ordine, quo ipsæ habent esse; & absolute prius sit esse, quod habent creaturæ in primordiali suo principio, quod est Verbum, per quod facta sunt omnia, quam in propria natura; hinc Angelus simul videns res in Verbo, & in propria natura, prius dicatur ordine naturæ cognoscere creaturas in Verbo, quam in propria natura; eò quòd cognoscit illas ordine, quo habent*

bent esse in omni statu; & prius habent esse absolutè in Verbo, supremo earum Artifice, quam in seipsis. Unde rectè ait Augustinus P. quòd prius ea vidi Angelus in Verbo fienda, quam in propria natura: prius, inquam, prioritate naturæ non duratione; & fienda in Verbo vidi, sic enim pertinent ad Artificem earum, ut in ipso cognoscuntur. Non autem negat Augustinus P. quòd Angeli ante glorificationem ipsum cognoverint creaturas, immò cognovisse, cognitionem que in laudem creatoris retulisse, multoties asserit S. P.

311 At, inquis, si hoc ita est, etiam Angelus, prius seipsum cognovit in Verbo fiendum, quam in seipso; quippe Angelus in Verbo se cognoscit, & esse ejus prius fuit in Verbo, quam in propria natura. Ergo primus dies habuit mane, seu cognitionem primæ creaturæ in Verbo, & per prius ad vespere; eò quòd ordine naturæ prius est esse Angeli in Verbo. Atqui hoc est contra Augustinum P. & D. Th: ergo. Respondeo, quòd dispar est ratio de Angelo, & cæteris creaturis; licet enim Angelus videns res in Verbo, seipsum etiam in ipso cognoscat, tamen in hoc ipso, quod dicitur, Angelum cognoscere creaturas, & seipsum in Verbo, involvitur repugnantia, ut prius Angelus se in Verbo cognoscat, quam in propria natura; quoniam in Angelo cognitionerum in Verbo supponit existentiam ipsius extra Verbum in propria natura; alioqui prius esset factus in esse intentionalis, & cognoscitivo, quam in esse existentiali, & naturali: cum ergo in Angelo nulla sit assignabilis duratio, vel prioritas, in qua seipsum in se non cognoscat; quippe esse, & substantia ejus semper actuat intellectum ipsius ad sui cognitionem, consequens est, quòd illa propositio, *Angelus cognoscit res in Verbo*, supponat pro aliquo priori cognitionem Angelii in seipso, sicut & esse suum in propria natura ex parte subjecti præfert. Unde in Angelo, absolutè & in quocunque statu consideretur, prius est cognitionis sui in propria natura, quam in Verbo. At cum Angelus consideratur cognoscens alias creaturas in Verbo, existentia earum, & ipsarum cognitionis in propria natura, non reduplicatur ex parte illius propositionis; & licet re vera supponatur, omnino de materiali se habet respectu Angelii creaturas in Verbo cognoscentis. Unde pro hoc statu cum Angelii cognitionis conformetur cum esse

tel pro omni statu, & prius res habeat absolute esse in Verbo, hinc etiam prius intelligitur cogitio Angeli terminata ad esse rei in Verbo, quam in propria natura. Unde dispar est ratio in Angelo, se, & alia in Verbo cognoscente, quoad prioritatem cognitionis in Verbo, & in propria natura. Vide D. Th. q. 4. de pot. art. 2. ad 18.

312 Ad aliud in dubio propositum, quænam, vide-
licet, sit prioritas inter has cognitiones, an durationis, vel
potius naturæ? Dicendum censeo juxta duplicem opinionem
nuper memoratam: Quòd si Angelus in secundo instanti, quo
meritum beatitudinis elicuit, pro posteriori ejusdem instanti
præmium æternæ fœlicitatis accepit, sic vespertina in illo,
solum ordine naturæ prævit matutinam. Si autem Angelus
in tertio instanti fuit glorificatus, tunc vespertina etiam du-
ratione præcessit matutinam. Et nota, quòd loquimur de
vespertina, quatenus præcisè importat cognitionem rerum
per medium creatum, & relationem in laudem Verbi. Posi-
tio hæc ex dictis sit satis perspicua quoad primam partem.
Quoniam cognitione creaturarum relata ad laudem creatoris
ex propria electione, & deliberatione, meritoria que vitæ
æternæ, non datur in Angelo usque ad secundum instans: si
ergo in illomet secundo instanti, quo Angelus hujusmodi
meritoriam relationem posuit, præmium visionis beatæ ac-
cepit, hæc solum ordine naturæ ad illam posterior fuit.

313 Secunda pars conclusionis patet etiam ex dic-
tis: quoniam in secundo instanti fuerunt omnia requisita ad
vespertinam in ratione cognitionis, & quoad connotatum
relationis charitatis: ergo in illo fuit vespertina: si ergo ma-
tutinam in sequenti instanti recepit Angelus, consequens est,
quòd illa banc duratione præcesserit. Sed nota, quod non lo-
quimur de vespertina, ut est acta in Angelis beatis, & ut diem
actu constituit, sed in ratione cognitionis, & quoad conno-
tatum relationis in laudem Dei. Nec immorandum arbitror
in examine illius difficultatis de tempore glorificationis An-
geli, modò non contendas, illam in primo instanti fuisse fac-
tam; disputatio enim hæc à præsenti instituto extranca est,
& ad tractatum de Angelis pertinens. Hoc unum moneo,
quòd quacumque ex dictis opinionibus eligatur, cum illa fœ-
derantur omnes doctrinæ Aug. P. circa propositum, licet me-
lius secundum posteriores.

314 Sed dices: quod Augustinus P. sive docet, quod Angeli sancti simul habent vespere, & mane: ergo vespertina non praecedit matutinam. Sed haec difficultas infra latè est examinanda. Pro nunc solum adverto, quod Augustinus P. loquitur de Angelis beatis, in quibus vespertina conjugitur matutinæ; & pro hoc statu simul duratione vident **creaturas**, tum in Verbo, & per medium increatum, tum in propria natura, & per medium creatum; ceterum cum ordine nuper explicato, & quem esse rei habuit pro diverso statu. Potest etiam dici (nec improbabiliter, ut opinor) quod in Angelis beatis simul duratione sunt vespertina, & matutina, sed non simul incepunt, sed vespertina, quippe meritoria matutinæ media charitatis relatione, ipsam matutinam præcessit. Unde Augustinus P. inquit, quod Angelus ex vespertina profectus in matutinam: in beatitudine autem, ut nuper arguebamus, nec est meritum, nec profectus in præmium, sed fruitio præmij & summi boni.

§. IV.

**FORMANTUR DIES ANGELICI AD MENTEM
Parentis Augustini.**

315 **V**IDIMUS suprà num. 48. & à num. 117. & 183. & deinceps, & à num. 227. & passim in toto hoc opusculo, quod Augustinus P. illam clausulam in frontispicio Scripturæ S. positam: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, intelligit de productione informis materiae omnis creaturæ, sic quod per cœlum, accipiatur creaturam spiritualem informem, per terram autem, materiam primam omnium corporalium creaturarum, cuius informitas, & vastitas amplius manifestetur per hoc, quod à Moysi ostendatur inanis, invisibilis, tenebrosa, aquisque cooperta: post autem per opus sex dierum indicaretur formatio universæ creaturæ, ut suprà numero 48. ex Augustino P. dictum est: Primo nempe die, formatio creaturæ spiritualis, & supremæ, per productionem lucis. Secundo, formatio creaturæ corporalis supremæ, per productionem firmamentij. Tertio, formatio omnium elementorum,

rum, per congregationem aquarum, & apparitionem aridæ, & productio plantarum virtualiter, seminaliter, & causaliter. Quarto, ornatus cœlorum, per productionem luminarium actu, quoniam non habent cœli virtutem productivam luminarium, sicut terra plantarum: neque corpora cœlestia sunt transmutabilia, ut ex ipsis fiant luminaria; sicut plantæ, & mixta fiunt ex terra, & aqua. Quinto, avium, & piscium productio seminaliter, ut art. 3. conclusione 1. dictum est. Sexto denique, animalium terrestrium, & hominis generatio etiam causaliter, potentialiter, & seminaliter.

316 Hæc autem omnia, ut etiam art. 3. & 4. dictum est, ponit Augustinus P. simul, modo ibi explicato, in prima rerum institutione producta, ita ut inter creationem informis materia, ejusdemque formationem, non media- verit temporalis aliqua mora, sed duntaxat prioritas naturæ, quatenus id, ex quo aliquid fit, præcedit id, quod inde fit, ut inter vocem, & cantum contingit. Sciendum etiam, quod sicut Scriptura S. non computat diem pro cœli, & terræ crea- tione, sic nec Augustinus P. literæ scrutatur rigidissimus, diem aliquem in ordine ad creationem informis materia constituit, sed relate ad formationem omnis creaturæ, ut sic exactius se accommodaret ordini narrationis Moysis. Et sicut inter formationem unius, & alterius creaturæ non agnoscit Augustinus P. temporalem successionem, sic nec in diebus pro illis connumeratis admittit aliquam successivam dura- tionem, sed unius, & ejusdem diei sextuplam, vel septem- plicem sex operum Dei, & quietis ipsius præsentationem, mentibus Angelorum factam.

317 Quia ergo, ut dixi, dies creationis mundi con- numerat Augustinus P. in ordine ad formationem creatu- rarum, & primam omnium adstruit formationem Angeli, qui sicut prior omnium est creatus, sic & congruebat, ut prius intelligeretur formatus: opera pretium est determinare, quæ informitas fuerit in Angelo, sub qua pro priori naturæ consideretur in potentia ad formationem. Pro quo sciendum, quod nulla est in Angelo potentialitas, vel materia in or- dine ad aliquam formam substantialem; est enim Angelus subs- tantia spiritualis completa, expers omnis materia. Quod hac irrefragabili ratione ostendit D. Thomas 1. p. q. 51. art. 1:

196 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

Quod enim accidit alicui nature, non inventur universaliter in illa natura; sicut habere alas, quia non est de ratione animalis, non convenit omni animali. Cum autem intelligere non sit actus corporis, nec alicujus virtutis corporeæ, ut infra patebit, habere corpus unitum non est de ratione substantia spiritualis, in quantum hujusmodi, sed accidit alicui substantia intellectuali, propter aliquid aliud: sicut humana anima competit uniri corpori, quia est imperfecta, & in potentia existens in genere intellectualium substantiarum, non habens in sua natura plenitudinem scientiae, sed acquirens eam per sensus corporeos à sensibilibus rebus, ut infra dicetur. In quocumque autem genere invenitur aliquid imperfectum, oportet praecistere aliquid perfectum in genere illo. Sunt igitur aliqua substantiae perfectae intellectuales in natura intellectuali, non indigentes acquirere scientiam à sensibilibus rebus. Non igitur omnes substantiae intellectuales sunt unitæ corporibus, sed aliqua sunt à corporibus separatae, & has dicimus Angelos.

318 At verò creatura spiritualis Angelica, licet omnino expers corporalis materia, tamen quia finita est, & limitata, ac per consequens non identificans secum ultimam suam actualitatem, & perfectionem, ad plura est in potentia; ad suam, nimirum, existentiam, & subsistentiam, cum quibus veram compositionem facit natura, & substantia Angelica. Insuper, cum in ordine intelligibili non sit identice sua ultima actualitas, intelligitur formabilis, tum speciebus intelligibilibus, tum ipsa intellectione; sicut enim Angelus non est suum esse, ita nec est suum intelligere; hoc enim proprium est Dei, qui in universalissima ratione entis est suum esse, proindeque habet plenitudinem essendi, & ultimam actualitatem secum identificatam in omni linea perfectionis simpliciter simplicis, ut tenet communis Theologia.

319 Enimverò Augustinus P. non constituit diem, nec cognitionem matutinam, aut vespertinam per ordinem ad hanc formationem, sed in ordine ad formationem gratiarum, ut ex dictis patet, & ulterius expressè docet D. Thomas q.4. de pot. art. 2. ad 11. dicens: *Formatio autem spiritualis naturæ est per hoc, quod illuminatur, ut adhæreat Verbo, non quidem per gloriam perfectam, cum qua creata non fuit,*
sed

Sed per gratiam perfectam, cum qua creata fuit. Nunc siq^{ue} dies, & mane & vespere constituuntur in Angelo relatè ad opus, quod quolibet die ponitur à Moysè, factum à Deo; sed in opere primi dīci intelligitū per lucem formatio Angelī, quæ juxta D. Thomam intelligitū facta per hoc, quod Angelī adhærent Verbo per gratiam perfectam: ergo formatio Angelī, quæ pertinet ad primum diem, per dona gratiæ intelligitū facta.

320 Hinc colliges, quod verosimilius apparet, cognitionem vespertinam Angelī respectu sui, esse supernaturalem; quia objectum ejus, nempe Angelus gratia formatus, supernaturale est pro formalī: cū ergo actus sumat speciem ab objecto formalī ejusdem, consequens est, quod vespertinae primi diei supernaturalis sit. Quod ex eo etiam suadetur, quia non est assignabilis species ordinis naturæ repræsentans illud complexum, quippe gratia excedit omnes vires, & facultates naturæ. Quibus præmissis.

321 Præclarissimus N. P. Augustinus licet pluribus locis diem Angelicum ex vespere, ac mane, in ordine ad sex genera rerum primitus productarum, constituat, disertiūs tamen, & clariūs hoc præstat lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 22. dicens: *Si lux ista, que primitus creata est, non corporalis, sed spiritualis est, sicut post tenebras facta est, ubi intelligitur & sua quadam informitate ad creatorem conversa, atque formatita & post vesperam fiat mane, cū post cognitionem sue propria naturæ, que non est, quod Deus, refert se ad laudandum lucem, quod ipse Deus est, cuius contemplatione formatur. Et quia ceteræ creature, que infra ipsum sunt, sine cognitione ejus non sunt; propterea nimirū idem dies ubique repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quotiens distinguuntur rerum genera creatarum, perfectione senarij numeri terminanda: ut vespера primi diei sit etiam sui cognitione, non se esse, quod Deus est: mane autem post vesperam hanc, quo concluditur dies unus, & inchoatur secundus, conversio sit ejus, quia id, quod creata est, ad laudem referat creatoris, & percipiatur de Verbo Dei cognitionem creature, quæ post ipsam sit, hoc est firmamentum: quod in ejus cognitione sit prius, cūm dicatur, & sic est factum, deinde in natura ipsius firmamenti, quod conditur, cūm additur postea, jam dicto & sic est factum: & fecit Deus fir-*

mamentum. Deinde fit vespera illius lucis, cùm ipsum firmamentum non in Verbo Dei, sicut antè, sed in ipsa ejus natura cognoscit. Quæ cognitio, quoniam minor est, rectè vespere nomine significatur: post quam fit mane, quo concluditur secundus dies, & incipit tertius: in quo itidem mane conversio est lucis hujus, id est, diei hujus, ad laudandum Deum, quod operatus fit firmamentum, & percipiendam de Verbo ejus cognitionem creature, quæ condenda est post firmamentum. Ac per hoc, cùm dicit Deus: Congregetur aqua, quæ est sub cœlo in collectionem unam, & appareat arida; cognoscit hoc illa lux in Verbo Dei, quo id dicitur: & ideo sequitur, & sic est factum, hoc est, in ejus cognitione ex Verbo Dei. Deinde cùm additur: & congregata est aqua, &c. cùm jam dictum esset: & sic factum est, in suo genere ipsa creatura fit. Quæ item, cùm in suo genere facta cognoscitur ab ea luce, quæ jam in Verbo Dei facienda cognoverat, fit tertio vespera: & inde hoc modo cetera usque ad mane, & post vesperam sexti diei.

322 His, inquam, dissertiūs suam mentem aperit præexcelsus Parens. Caterūm quia in ejus verbis quicquid hærere poterit, ea placeat enucleare, ut formatio dierum postmodum ad mentem ejus lucidior valeat apparere. Sciendum igitur, quod Augustinus P. primis verbis docet, quomodo facta sit formatio Angeli, cuius informitas ante primum diem per tenebras fuerat in Scriptura indicata: per conversionem, scilicet, ad creatorem; conversionem, inquam, liberam, & meritoriam. Quod satis indicant verba Augustini P. ibi: *Ad creatorem conversa, atque formata.* Quod autem hæc conversio sit libera, & meritoria, innuunt illa verba: Cùm post cognitionem sue proprie naturæ, quæ non est, quod Deus, refert se ad laudandum lucem, quod ipse Deus est, cuius contemplatione formatur. Hæc autem relatio Angeli in laudem Dei, ex eo orta, quod se creaturam cognoscens, ac per consequens jure optimo creatori subjiciendum, refert se ad laudandum lucem, quod ipse Deus est, manifestum est, quod est conversio Angeli boni, discretiva à malo, qui non sic consideravit propriam excellentiam Deo subjiciendam, sed potius nulli subordinandam, ut eleganter explicat Augustinus P. II. de Civit. D. cap. 33. dicens: *Nos tamen has duas Angelicas societas, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho: unam cui dicitur, Adorate*

rate eum omnes Angeli ejus : aliam, cuius princeps dicit, *Hac omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me: unam Dei sancto amore flagrantem, alteram propria celstudinis immundo amore fumantem: O quoniam, sicut scriptum est, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, illam in cœlis cœlorum habitantem; istam, inde dejectam, in hoc infimo aereo cœlo tumultuantem: illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam: illam Dei nutu clementer subvenientem, justè ulciscentem, istam suo fastu subdendi, O nocendi libidine excastantem; illam, ut quantum vult, consulat, Dei bonitatis ministram, istam, ne quantum vult, noceat, Dei potestate frenatam: illam huic illudentem, ut nolens profit persecutionibus suis, hanc illi invidenter, cum peregrinos colligit suos.* Ecce discrimin pulchrum Angelorum bonorum, & malorum fuisse, & egregie à P. N. explicatum, in quo inter alia invenitur intenta quoad præsens differentia, illis verbis: *Unam Dei sancto amore flagrantem, alteram propria celstudinis immundo amore fumantem.*

323 Mox statuit Augustinus Parenz, quod Angelus habuit notitiam omnium creaturarum, dicens: *Et quia ceteræ creaturae, quæ infra ipsum fiunt, sine cognitione ejus non fiunt.* Pro quo etiam vide D. Th. I. p. q. 55. art. 2. in corp. & ad 1. Est ex hoc infert S. Doctor, quod propter eam in Scriptura Gen. I. ubique idem dies repetitur, ut ejus repetitione fiant tot dies, quotiens distinguuntur rerum genera creatarum, perfectione senarij numeri terminanda. Ubi considerandum est, quod Augustinus Parenz unum diem constituit in prima rerum institutione, ex cuius repetitione fiant tot dies, quot in Scriptura S. numerantur, scilicet, sex, vel septem: sex, nimirum, si illum diem repetas in ordine ad sex genera rerum creatarum, quæ senario primo perfecto numero terminantur; quibus additur septimus, cum cognitio Angelica ad quietem Dei contemplandam refertur, de qua requie Dei ex proposito infra agendum. Ponit quidem unum & eundem diem Augustinus Parenz, & profectò, ut strictius se narrationi Moysis accingeret, qui factum vespere, O mane unum diem commemorat: quod ponderatione dignum appetet; quippè secundum diem, tertium, & sic deinceps usque ad septimum, numeraturus premissit Moyses diem unum; cum potius videatur præ-

figere debuisse *primum*, cui recto numerandi ordine sequerentur, & annexerentur *secundus*, *tertius*, & sic usque ad *septem dies*; hic enim est in hujusmodi numeris ordinalibus numerandi modus, ut compertum est: scilicet autem si calculatio fierenda esset secundum numeralia nomina primitivæ speciei, ut *unum*, *duo*, *tria*, &c. Cùm ergo Moyses unum diem ante *secundum*, *tertium*, &c. præfixerit, manifestum est, quod diem subjective, & ex parte ipsius diei secundum intrinseca ejusdem, non divisit, seu multiplicavit; alioqui in subsequentibus congruentius dixisset, & numerasset, sequendo ordinem nominum numeralium primitivæ speciei, scilicet, *duo*, *tres* &c. Unum ergo, & eundem numero diem, quoad intrinseca, & formalia ejus, Moyses proposuit in prima rerum institutio-ne, quem postmodum nobis radioribus, & tardioribus ad intelligendum, in ordine ad sex genera rerum primitus productarum, & quietem Dei, multiplicaret.

324 Quod insinuare videtur Augustinus P. in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 7. dicens: *Ita ergo fortassis dictum est, & facta est vespera, & factum est mane dies unus: sicut ratione prospicitur, ita fieri debere à Deo, non posse, non ita ut sit temporalibus tractibus. Nam in ipsa ratione operationem contemplatus est in Spiritu S. qui dixit: Qui manet in aeternum, creavit omnia simul. Sed commodissime in illo libro, quasi morarum per intervalla factarum à Deo rerum digesta narratio est, ut ipsa dispositio, quæ ab infirmis animis contemplatione stabili videri non poterat, per busmodi ordinem sermonis exposita, quasi istis oculis cerneretur.*

325 Hunc unicum diem in ordine ad senarium primum numerum perfectum, in quo comprehenduntur omnia primitus à Deo in numero, pondere, & mensura producta, & disposita, repetit Scriptura S. Gen. 1. & secundum Augustinum multiplicatur hic dies, prout manifestationem cognitionis Angelicæ, ad sex genere rerum terminatam, importat. Unde illa distinctio dierum potius est objective, & ex parte rerum, quæ repræsentantur menti Angelicæ, tum in Verbo, tum in propria natura, quam subjective, & ex parte lucis manifestantis; ad quod designandum, ut dixi, postquam diem unum ex vespere, & mane constitutum, proposuerat

primò Moyses, non fuit prosecutus in numeratione nominibus numeralibus primitivæ speciei, ut initium numerandi exigere videbatur, dicendo nimirum, *facto vespere & mane, facti sunt duo dies*; sic enim dierum enumeratio faceret numerum, & multiplicationem subiectivam ex parte lucis manifestantis, & diem constituentis, juxta regulam dialecticorum, quod, nimi am, *nomina numeralia primitivæ speciei, ut unum, duo tres, &c. ad juncta substantivo, numerant principaliter formas*; sed ordinem numerandi invertit Moyses, declinando ad nomina numeralia ordinalia, scilicet, *secondus, tertius, &c.* utique ut agnosceremus, ipsum dies subiectivè, & ex parte lucis non multiplicasse, sed objective, & ex parte termini, luce, & cognitione angelica manifestati. Quasi diceret: Hic unicus dies, quem lucis productione constitui, creaturas omnes, ordine, & in sapientia à Deo in senario primo perfecto numero in rerum prima institutione conditas, ordine etiam manifestabat menti Angelica; & propterea illius unius diei senariam representationem nominibus numeralibus ordinalibus hunc ordinem designantibus proposui, ut dies ex parte lucis non multiplicetis, sed ex parte objecti, & termini luce manifestati. Hanc considerationem, alicujus Doctoris auctoritate fulcitam proponere desiderabam; sed nullum inveni, qui me suo patrocinio foveret: enim verò, nisi me philaicia fallit, illam satis in narratione Moy-sis, in nominum numeralium energia, & dialecticorum regula fundatam judico.

326 Dierum enumerationem senarij numeri perfectione terminatam, docet Augustinus Paren literæ Moy-sis exactissimus scrutator. Unde oportet hujusmodi perfectionem senarij numeri ex eodem explicare. Igitur Augustinus P. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 2. sic ad propositum loquitur: Alij sunt numeri, quorum partes simul ductæ, minorem summam faciunt: alij verò ampliorem: alij denique, qui suis partibus simul ductis ita complentur, quarum summa, nec citrà insistat, nec ultrà excrescat, sed ad tantum occurrat, quantus est ipse numerus, cuius partes sunt. Primi generis numeri dicuntur imperfecti, secundi generis plusquamperfecti, tertij generis perfecti. Exemplum primi est in quaternario, in quo dimidia ejus pars aliqua, est duo; quarta ejusdem, est

unum; tertiam verò partem aliquotam non habet hic numerus, nec est designabilis: junge ergo illas partes aliquotas quaternarij, & duc illas in summam, profectò non quaternarium numerum deduces, sed ternarium, infra illum exilcentem; proptereaque ille numerus est imperfectus. Similem combinationem facies in binario, ternario, & quinario numero, & idem liquidò, ac in quaternario, deprehendes.

327 Exemplum secundi sit in duodenario numero: hujus duodecima pars aliqua est unum, sexta duo, quarta tria, tertia quatuor, dimidia sex: numera ergo, & reduc in summam dictas partes aliquotas, sanè non duodenarium numerum deduces, sed summam usque ad numerum decimum sextum excresces, & protrahes. Exemplum tertij sit in senario numero, cuius tres sunt partes aliquotæ, nimirum, sexta ejus pars, quæ est unum; tertia, nempe duo; dimidia, scilicet, tria: junge autem in summam has partes, & ex illis senarium numerum, cuius sunt partes, conficies, & complebis, ita ut, nec illum excedant, nec citra ipsum consistant, sed illum adæquent, & compleant; unum enim si duobus jungas, tria faciunt, tribus autem si tria addas, senarium numerum constitues. Est ergo senarius numerus primus perfectus; quippe suis partibus aliquotis, simul ductis, completus; quod si alios numeros infra ipsum existentes mediteris, hoc in illis minime invenies. Perfectio autem hujus numeri resplendet in alia ejusdem partium combinatione, multiplicando, nimirum, ejus partes aliquotas, quæ etiam sic totum senarium complent; quoniam sexies unum, sunt sex; & bis tria, sunt sex; & ter duo, sunt sex. Undique ergo concluditur, quod senarius numerus est primus perfectus.

328 Sed sciendum ex B. Alberto Magno, lib. de 4. coquævis q. 72. art. 9. ad ultimum, quod hujusmodi senarij numeri perfectio ab Augustino assignata est, secundum quod perfectus numerus dividitur contra diminutum, & abundantem, & in hac consideratione est primus numerus perfectus, quidquid sit, an in alia sit aliis perfectus; quod propere nota, quia Eximus Suarez, & alij contra Augustinum P. ex eo arguunt, quod denarius numerus, & alij etiam sunt perfecti, ac per hoc ex perfectione senarij nullum argumentum fieri potest pro sententia Augustiniana. At hoc argumentum

imprimis non procedit contra Augustinum P. ea ratione, quæ ipse in numeris determinat perfectionem; quoniam in denario non est assignare hujus numeri adæquationem ex suis partibus aliquotis simul sumptis; in illo enim duntaxat est decima pars aliqua, nempè unum; & dimidia pars, scilicet, quinque; neque enim est determinabilis alia pars aliqua hujus numeri, aut tertia, vel quarta, vel quinta, aut sexta, ut consideranti patebit: haec autem partes simul junctæ à toto infra ipsum latissimè distant. Unde licet alia sit in alio ordine denarij numeri perfectio, quam studiosus in Bongo de myst. num. significatione videre poterit, tamen in consideratione, sub qua Augustinus Patens numerorum perfectionem attendit, & quam nuper ex B. Alb. Magn. determinavimus, non habet perfectionem denarius numerus, sed est imperfetus, sicut duodenarius est plusquam perfectus. Sed accipe pro majori luce solutionis M. P. Augustini verba initio præcitati cap. 2. *Invenimus senarium numerum primum esse perfectum ea ratione, quod suis partibus compleatur. Sunt enim & alij numere alijs causis, rationibusque perfecti. Proinde istam senarium ea ratione perfectam dicimus, quod suis partibus compleatur, talibus duntaxat partibus, quæ multiplicatae possint consummare numerum, cuius partes sunt.* Præterea: Augustinus Pareas propterea prima Dei opera, in numero, pondere, & mensura ab ipso condita, ad senarium numerum afferit cum Scriptura S. esse reducta, quia illa sunt prima Dei perfecta opera, & hic inter numeros pariter est primus perfectus, sicque & opera Dei in se evadunt in essendo perfecta, & simul in primo perfecto numero comprehensa. Unde congruens adest ab Augustino assignata primorum operum Dei ad primum senarium perfectum numerum correspondentia; & quidem conformiter ad Scripturam S. quæ sex diebus claudit sex genera & classes rerum à Deo in principio conditas, quas Aug. P. modo num. 48. dicto distribuit, tum penes formationem informis materiae, tum penes ornatum partium Universi.

329 Ex his ita præmissis descendit August. P. in formationem dierum, dicens: *Ut vespera primi diei sit etiam sui cognitione, non se esse, quod Deus est.* Ubi notandum, quod à vespera incipit Aug. P. diem constituere; & meritò

quidem, quoniam & Moyses hujusmodi seriem observavit, dicens: *Et factum est vespere, & mane dies unus.* Et sane hujusmodi incepitio in formatione dierum congruentius, & melius intelligitur secundum expositionem Augustini P. quam aliorum PP. dies creationis mundi naturales constituentium; quoniam in his, ut supra num. 221. & 243. dictum est, naturalior inceptionis modus est à mane, non autem à vespere: è contrà autem, si excogitetur Augustini P. placitum, dies illos angelicos, & spirituales statuuntis, convenientissimè exordiuntur à vespere dies; quoniam, ut §. antecedenti statutum est, vespertina cognitione in Angelo necessariò fuit prior matutina cognitione, saltim respectu primi diei. Rigidius ergo, & strictius se accommodat narrationi Moysis August. P. quam alij Patres.

330 *Mane autem post vesperam hanc, (prosequitur Augustinus) quo concluditur dies unus, & inchoatur secundus, conversio sit ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat creatoris, & percipiat de Verbo Dei cognitionem creature, quæ post ipsam fit, hoc est firmamenti: quod in ejus cognitione fit prius, cum dicitur, & sic est factum: deinde in natura ipsius firmamenti, quod conditur, cum additur postea, jam dicto, & sic est factum, & fecit Deus firmamentum.* Ubi etiam notandum est, quòd Augst. P. mane illius diei non constituit in cognitione Angeli, relatè ad objectum vespertina cognitionis, scilicet, sui ipsius, sed in ordine ad firmamentum, ut in Verbo cognitionis; & percipiat, inquit, de Verbo Dei, cognitionem creature, quæ post ipsam fit, hoc est firmamenti. Cujus ratio est, quòd Aug. P. sentit, primum diem non habuisse mane, sicut nec septimus habet vespere: quod infra patefiet, cum difficultates contra formationem Augustinianam dierum enodabo. Insuper difficultatem ingeret dictum illud Augustini, quòd nempe, firmamentum priùs fit in cognitione Angeli, & postea in natura ipsius firmamenti: in quo antilogia apparet dictorum Augustini, quippè ipse docet frequenter, Angelos, firmamentum &c. simul à Deo in principio prodijisse: non ergo priùs fiebat firmamentum in mente Angeli, quam in propria natura. Hoc dubium infra etiam examinandum est, interim dico, duplíciter intelligi posse, quòd firmamentum priùs fit in mente Angeli, quam in se ipso; pri-

mò per hoc, quòd Deus Angelo in sui primo ortu indiderit species representativas firmamenti, cæterarumque omniū creaturarum corporalium; cùm ergo Angelus, licet simu tempore cum firmamento creatus, priùs tamen natura à Deo emanaverit, prior enim omnium creata est sapientia, hinc etiam priùs intentionaliter, & in sui specie intentionaliter firmamentum in mente Angeli. Vel etiam, conformiter ad dicta num. 310. & 311. dici potest, quòd Augustinus P. loquitur de Angelo in beatitudine constituto, & propterea priùs cognoscit res in Verbo, quam in propria natura; vide ibi, & in toto §. dicta.

331 Deinde (inquit ibi S. Doctor) fit vesper illius lucis, cùm ipsum firmamentum non in Verbo Dei, sicut antè, sed in ipsa ejus natura cognoscit. Quæ cognitio, quoniam minor est, rectè vespere nomine significatur. Ubi advertis, quòd licet Augustinus P. vesperam primi diei ante mane constitutat, tamen in secundo die è converso accidere docet; quoniam mane secundi diei incipere dixerat à cognitione firmamenti in Verbo, & vespere illius docet fieri deinde, hoc est, post mane illius, cùm scilicet, firmamentum non in Verbo Dei, sicut antè, (nota etiam, ly sicut ante) sed in ipsa ejus natura cognoscit. Hujus etiam rationem insinuavi in expeditione difficultatum contra cognitionem matutinam, & vespertinam, vide ibi dicta. Illis verbis; Quæ cognitio, quoniam minor est Oct. confirmat Augustinus P. quæ suprà de cognitione matutina, & vespertina dicta sunt.

332 In reliquis verbis auctoritatis ex Augustino propositæ, nihil speciale advertendum occurrit, propterea ab ejus ulteriori elucidatione supersedeo, & dies Augustinianos ex ejus doctrina, jam discussa, formare progredior. Priùs tamen tamquam corollarium præcedentis Augustini P. doctrinæ, infero, Eximum Doct. lib. 1. de Operे sex dierum cap. 11. num. 16. non processisse ad mentem Augustini, cùm dies sic composuit: Angelus, inquit, cognoscendo se in se, conficit primam vesperam cognoscendo autem se in Verbo, fit primum mane, & consurgit prius dies: cognoscendo autem firmamentum in ipsomet, vel in Verbo fit secunda vespера, vel secundum mane, & compleetur dies.

dies secundus, & sic de ceteris. Fateor, me aliquando in hac opinione fuisse, eo ductus fundamento, quod Augustinus P. diem eundem sexies repetit in ordine ad sex genera rerum primitus producta, & ab Angelo, tum in Verbo, tum in propria natura cognita; cum ergo primum genus creaturarum obtineat Angelus, hinc primum diem constitui meditabatur per hoc, quod Angelus se in se cognosceret, & post relationem suae cognitionis in laudem Dei, ab ipso acciperet cognitionem sui in Verbo, quae esset proinde cognitio matutina primi diei.

333 Fallebar tamen; quoniam mane, quod Augustinus Paren agnoscit immediate in Angelo ad cognitionem vespertinam sui secutum, est cognitio firmamenti in Verbo, ut evidenter innuunt illa verba: *Mane autem post vesperam hanc, quo concluditur dies unus, & inchoatur secundus; conversio sit ejus, qua id quod creata est, ad laudem referat creatoris, & percipiat de Verbo diei cognitionem creature, quae post ipsam fit, hoc est, firmamenti.* Ergo mane quod in Angelo sequitur ad vesperam hanc, scilicet, ad cognitionem sui, qua se in se cognoscit, de qua ibi loquitur, est cognitio firmamenti in Verbo, quam Augustinus Paren immediate sub jungit ad illam vesperam; & de illa dicit, quod ex ipsa concluditur dies unus, & inchoatur secundus: ergo mane unius diei, & initium secundi, seu cognitio matutina est cognitio firmamenti in Verbo, non autem sui; quippe Augustinus Paren hic ex proposito dies ex vespertina, & matutina cognitione creaturarum constituens, nec ullam mentionem, nec verbum facit de cognitione Angeli in Verbo relate ad esse, quod ipse Angelus habet in Verbo: ergo mane primi diei non conficitur ex cognitione, qua Angelus se in Verbo cognoscit, ut Suarius contendit. Quo premisso, duo facienda restant: primo formatio omnium dierum creationis mundi ad mentem M.P. Augustini: Secundo enodatio difficultatum contra illam insurgentium: pro primo.

STATUITUR CONCLUSIO PRO FORMATIONE
dierum Angelicorum Augustinianorum.

334 Vespere primi diei constituit Augustinus Pas
rens

rens in cognitione Angeli, qua seipsum in se cognoscit Angelus, cui adjungitur relatio ipsius in laudem Dei, ut proxime succedat ipsi mane, cum eoque connectatur. Assertio, quantum ad rationem formalem vespertinę cognitionis, patet ex verbis Augustini, nuper expensis, nimirum his: Ut *vespera primi diei sit etiam sui cognitione, non se esse, quod Deus est.* At quantum ad relationem illius cognitionis in laudem Dei, veluti connotatum necessarium, ut illi succedat mane, sitque formaliter illa cognitio vespertina, patet ex dictis §. praecedenti, & innuit hic Aug. P. illis verbis: *Conversio sit ejus, quia id quod creata est, ad laudem referat, creatoris.* Manifestum autem est, quod conversio ipsa in Angelo, formaliter, & intransitivè non est cognitio matutina, nec vespertina; quippè est actus voluntatis, & relatio charitatis: est ergo connotatum vespertinæ, & dispositio ad proficiendum ex vespertina in matutinam. Unde, ut hoc innotesceret, signanter subjungit Augustinus Paren: *Et percipiat de Verbo Dei cognitionem creaturæ, quæ post ipsam fit, hoc est firmamentum.* Vespere primi diei statuto, sciendum est, quod hic dies secundum Augustinum mane non habet, sicut nec septimus vespere. Primum in Augustino non inveni, aut saltim inventisse non memini: secundum autem expressè docet Augustinus P. lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 26. dicens: *Hujus ergo diei, cuius & vespera, & mane secundum supradictam rationem accipi potest, sexta repetitione consummata est universa creatura; factumque est mane, quo finiretur sextus dies, & inde inciperet septimus, vesperam non habiturus; quia Dei requies non est creatura.*

335 At licet Augustinus Paren, expressè non assertat, primum diem non habuisse mane, tamen D. Thomas multoties ad mentem Augustini hoc docuit, ut videre est q. 4. de pot. art. 2. ad 13. his verbis: *Unde sicut prima dies habet tantum vespere, ita septima dies, quæ significat contemplationem Dei, habet tantum mane: & ibi ad 15. sic: Unde significanter primus dies dicitur habuisse solum vespere, & non mane.* Idem docet multoties Angelicus Praceptor. Vide ipsum q. 8. de verit. art. 16. ad 8. & in 2. dist. 12. q. 1. art. 3. ad 7. Sed tamen hoc cum distinctione accipiendum, & intelligendum arbitror, sic nimirum, quod primus dies non habeat

mane, relatè ad unum, & idem opus, & objectum, ad quod cognitio vespertina primi diei terminatur, nempe Angelum; cuius ratio, secundum positionem Augustini, est, quia cùm mane naturaliter præcedat vespere, ut ex dictis art. præced. manifestum est, & hoc in Angelo contingere non potuerit; neque enim priùs se in Verbo fiendum potuit cognoscere Angelus, quām se jam in seipso factum agnosceret; quoniam Angelus priùs debet intelligi in esse naturali in se constitutus, ad quod esse naturaliter sequitur cognitio sui ipsius in se, quām se cognoscat in Verbo; hinc respectu sui ipsius non potuit habere mane: non quidem quia se non cognoverit in Verbo, postquam visionem beatam asseditus est, sed quia in ordine ad constituendum primum diem hæc cognitio sui in Verbo non potuit esse prior, quām sui ipsius in se contemplatio ad laudem Verbi relata, in quo consistit vespertina cognitio primi diei: & hoc erat necessarium, ut prima dies in ordine ad objectum vespertinæ cognitionis habuisset mane.

336 Quòd autem mane naturali ordine debeat præcedere vespere, ut propterea primus dies non potuerit habere mane respectu objecti cognitionis vespertinæ, patet ex Angelico P. quæst. 8. de veritate art. 16. in corp. dicente: *Sicut autem in die naturali mane est diei principium, vespere vero finis; ita in cognitione Angeli respectu ejusdem rei est considerare principium, & finem secundum ordinem rei cognitæ: principium autem cuiuslibet rei est in sua causa, à qua fluit; terminus autem ipsius est in ipsa re, ad quam actio causæ producentis terminatur. Unde primitiva alicujus rei cognitio est, secundum quòd consideratur in sua causa, quæ est Verbum aeternum: unde cognitio rerum in Verbo dicitur matutina cognitione. Ultima autem rei cognitio est, secundum quòd cognoscitur in seipso, & talis cognitio dicitur vespertina. Hæc Angelicus P. ex quibus sic: Ergo sicut in die naturali mane est principium diei, ita in die Angelico, & spirituali principium diei, seu cognitione matutina, vel rerum in Verbo, est prior vespertina, & initium diei. Ergo ubi assignari non potest respectu alicujus objecti per priùs cognitio ipsius in Verbo, quām ejusdem in se, non potest esse cognitione matutina relatè ad idem objectum. Atqui Angelus non potuit se priùs in*

In Verbo cognoscere, quam in se: ergo matutinam non habuit respectu sui: ergo primus dies mane non habuit respectu Angelii. Et rarsus infertur: ergo Scriptura S. congruenter à vespere numerationem dierum exorditur. Cum ergo in die Iuce Solis constituto è converso deberet accidere; quippe, ut art. 4. dictum est, Sol incipit moveri ab Oriente; hinc Augustinus convenienter in expositione dierum creationis mundi ad dies Angelicos configuit, quos à vespere incipere debere recta ratio convincit.

337 Verum enim verò licet primus dies non habeat mane respectu ejusdem operis, nempe formationis Angelii, absolutè tamen illi mane assignandum videtur, ut sex dies cum vespere & mane in Scriptura S. memoratos confidere possimus: quod mane respectu sequentis operis assignandum apparet, cuius cognitio in Verbo sit finis primi diei, & initium sequentis. Sic docere videtur Ang. P. ad mentem Augustini pluribus locis, ex quibus clariora eligam. Igitur D. Thomas q. 8. de veritate art. 16. ad 6. hæc habet ad propositum: *Sicut autem videmus in tempore continuo, quod idem nunc est duorum temporum, prout est finis præteriti, & initium futuri; ita matutina cognitione secundæ diei est prima diei terminus, & secundæ diei initium; & sic deinceps usque ad diem septimum.* Rogo nunc: estne cognitione matutina secundæ diei, nempe cognitione firmamenti in Verbo, terminus primæ diei in ratione partis vespertina? Minime; quoniam cognitione rerum in Verbo semper est matutina, ut ex dictis compertum est. Cum ergo aliunde hujusmodi cognitione adstruatur à D. Th. ut terminus primi diei, & in die angelico partes ejusdem sint vel vespertina, vel matutina cognitione, supereft, quod, cum terminus sit, & pars primi diei, sit mane ejusdem. Nec huic discursui obest doctrina num. præcedenti data; quoniam illa intelligenda est de mane respectu unius, & ejusdem operis, ut mox ex D. Thoma dicam. Idem eisdem verbis docet D. Thomas, q. 4. de creatione, art. 2. ad 13. & 1. p. q. 58. art. 6. ad 2. ait: *Et id est post vesperam non ponitur nox, sed mane, ita quod mane fit finis præcedentis diei, & principium sequentis, in quantum Angeli cognitionem præcedentis operis ad laudem Dei referunt.* In his verbis eandem reflexionem facies.

338 Sed contra hanc positionem vina faciunt verba

Dicit.

Ang.

Ang. P. q. 4. de pot. art. 2. ad 15. & alibi sāpē dicentis: *Unde significanter dicitur primus dies habuisse solum vespere, & non mane.* Ergo inconsequenter aſſignatum est mane primi diei. Sed ibi manifestē loquitur D. Thomas de cognitione matutina Angelī respectu ſui ipſius, ut conſideranti illa verba ibi, *ideo ſui ipſius cognitionem matutinam non habuit*, patet. Negat ergo D. Thomas Angelo cognitionem matutinam reſpectu ſui ipſius.

339 Veruntamen prædictum judicium, ſeu potius imaginationem meam, non ita firmo, quod oppofitum, nempe quod dies primus abſolutē non habeat mane, verius non existimem; quoniam attenta distributione dierum ab Aug. P. in ordine ad ſex genera rerum primitus productarum, & menti Angelicæ prætentatarum, facta, conſequenter videntur diſtinguendi dies, penes diſtinctionem objectorum, ſecondūm quod hæc menti Angelicæ prætentantur: ſi ergo primus ordo, & genus rerum, nempe naturæ angelicæ, non prætentatur menti ipſius Angelī modo requiſito, ut ejus cognitione in Verbo poſſit mane primi diei conſtituere, neceſſariò relinquitur, quod abſolutē primus dies mane non habuerit, illud quippe in ordine ad primum opus foret aſſinandum, nempe in ordine ad formationem Angelī, ut in Verbo cognitam. Hinc etiam Scriptura S. non dicit: *Factum eſt vespere, & mane dies primus*, ſed, *Factum eſt vespere, & mane dies unus*: forſitam, ut innueret, primum diem, quem tacitè, quoad rationem *primi diei*, præterijt, mane non habuisse, ſed ſolum vespere: quod vespere transiuit in mane, cum Angelus ſuam cognitionem retulit in laudem Dei, ex quo meruit matutinam, ſeu visionem beatam accipere, quæ eſſet mane omnium dierum: & quia unica eſt in ſe illa viſio, unus proinde eſſet dies ex vespere, & illo mane conſtitutus, ſolumque penes objecta illius eſſer ordo, & numerus, ut illud mane ſexies, vel septies repeteretur in ordine ad ſex genera rerum, quæ in Verbo cognoscebat.

340 Ad fundaſmentum in oppofitum, quod, nempe, cognitioni firmamenti in Verbo ſic initiam, ſeu mane ſecondi diei, & primi diei terminus. Respondeo, quod eſt terminus primi diei, non in ratione partis ipſius priuileji diei,

per modum matutinæ, vel vespertinæ cognitionis illius; sed est terminus primi diei in ratione præmij correspondencis merito relationis charitatis, importatæ in vespertina cognitione primi diei. Unde Augustinus P. & Ang. Præcept. frequenter dicunt, quod Angelus ex vespertina profecit in matutinam: hoc est, meruit matutinam ex eo, quod vespertinam retulerit in laudem Dei. Manifestum autem est, quod meritum, & præmium ad invicem per modum viæ, & termini comparantur: unde matutina secundi diei est terminus vespertinæ primi per modum præmij.

341 Primo ergo die sine mane constituto, jam assignare oportet partes sequentium dierum in ordine ad propria objecta eorum. Itaque secundi diei mane, ejusdemque initium, est cognitio Angeli, ad firmamentum in Verbo terminata, secundum quod hæc creatura corporalis suprema in Verbo cognoscitur; vespere autem ejusdem, cognitio firmamenti in se, seu extra Verbum, & per speciem creatam, secundum quod supra de cognitione matutina, & vespertina determinatum est: & hujusmodi cognitio importat relationi sui in laudem Dei, non quidem in recto, & de formali, sed de connotato, ut dictum est. Dixi, mane esse initium secundi diei, quod videtur invertere ordinem, quo cœpimus numerare dies à vespere primi diei. Cur ergo, rogas, hoc ita? Respondeo, quod ad mentem Augustini Parentis formamus dies; ipse autem sic in enumeratione dierum procedit, ut num. 330. & 331. illa verba: *& inchoatur secundus & deinde fit vespera illius dici,* denotant. Et rursus, ut ex Angelico P. n. 336. dictum est, *mane naturali ordine præcedit vespera.* Ex quibus sic: ergo ubicumque respectu alicuius diei assignetur mane, oportet, quod in illo priùs sit ordine naturæ mane, quam vespere; sed secundus dies habet mane: ergo in illo priùs est mane, quam vespere.

342 Überior autem hujus rei causa assignatur ab Angelico P. pluribus in locis. Igitur S. Thomas q. 8. de verit. art. 16. in corp. sic ait: *Sicut enim præsentatio lucis corporalis super hæc inferiora diem facit temporalem: sic præsentatio, vel operatio luminis mentis Angelicae super res creatas, diem facit spiritualem.* Et secundum hoc multi dies distinguuntur, quod intellectus Angeli diversis rerum generibus cog-

noſcendis comparatur. Et ſic ordo diei non fuit ordo tem-
poris, ſed ordo nature, qui in cognitione Angelii attenditur
ſecundum ordinem cognitorum ad invicem, prout alterum
altero eſt prius natura. Sicut autem in die naturali mane eſt
diei principium, vespere vero finis; ita in cognitione Angelii
reſpectu ejusdem rei eſt conſiderare principium, & finem
ſecundum ordinem rei cognitam: principium autem cuiuslibet
rei eſt in ſua cauſa, à qua fluit: terminus autem ipſius eſt
in ipſa re, ad quam actio cauſae producentis terminatur: Unde
primitiva alicuius rei cognitio eſt, ſecundum quod conſideratur
in ſua cauſa, que eſt Verbum aternum: unde cognitio rerum in
Verbo dicitur matutina cognitio. Ultima autem rei cognitio eſt,
ſecundum quod cognoscitur in ſeipſa, & talis cognitio dicitur
veſpertina. Ex quibus ſic: Ergo juxta D. Thomam ſicut in
die temporali mane eſt principium diei, vespere vero finis;
ita in die Angelico principium, & finem diei eſt conſiderare
ſecundum ordinem rei cognitam; ſed reſte eodem, & ſe-
cundum veritatem, principium cuiuslibet rei eſt in ſua cauſa,
& primum principium in cauſa prima, qua eſt Verbum
aternum: ergo mane & principium diei Angelicæ eſt ſe-
cundum quod res cognoscitur in Verbo: ergo mane prece-
dit vespere in ordine ad conſtituendum diem Angelicum.
Patet conſequentia; quia prioritas, & posterioritas in hiſ
cognitionibus juxta D. Thomam attenditur ſecundum
quod eſt ſimilis ordo in objectis in eſſendo: Cū ergo res in
eſſendo, abſolute prior ſit in ſua prima cauſa, à qua fluit,
quam in ſe; hinc pariter reſpectu intellectus Angelici, res
ſecundum ordinem, quem habent in eſſendo, cognoscentis,
prior eſt cognitio matutina, quam veſpertina, reſpectu ejus-
dem objecti.

343 Dixi, reſpectu intellectus, res ſecundum ordi-
nem, quem habent in eſſendo, cognoscentis; quoniam cū
intellectus creatus ex creaturis aſſurgit ad cognitionem crea-
toris, & creaturarum in ipſo, certe prius contemplatur crea-
turam in ſe, quam ſecundum eſſe, quod habet in ſua cauſa:
at hæc ſcientia eſt à posteriori, ut ita dicam, in preeſenti au-
tem loquimur de intellectu attingente creaturam per crea-
torem, ut ſuprà cum Auguſtino P. dictum eſt, & ratiſus creatu-
ram etiam in ſe. In intellectu autem, utrumque illud eſſe
cogit

Tognoſcente, abſolute prior eſt cognitio rerum in Verbo, quam ipsarum in ſeipſis; quia prius habet eſſe objectum cognitum ibi, ſcilicet in Verbo, quam in ſe. Relinquitur ergo, quod convenientiſſimè Auguſtinus Parens in ſecundo die prius natura ſtatuerit mane, quam vespere. Idem docet An- gelicus Praeceptor i. p. q. 58. art. 6. in corp. dicens: *Sicut autem in die conſueto mane eſt prius iuna diei, vespere autem terminus: ita cognitio ipsius primordialis eſſe rerum, dicitur cognitio matutina: Et hec eſt ſecundum quod res ſunt in Verbo. Cognitio autem ipsius eſſe rei creatæ, ſecundum quod in propria natura conſiſtit, dicitur cognitio vespertina: Nam eſſe rerum ſicut à Verbo, ſicut à quodam primordiali principio: Et bic effluxus terminatur ad eſſe rerum, quod in propria natura habet. Et ibi ad primum: Vespere, Et mane accipiuntur ſecundum ſimilitudinem principij, Et termini. Idem diſcurſus formari potest ex his verbis, ac ex antecedenti doctrina Divi Thomæ, ſeu potius eadem doctrina hic à D. Thoma firmata.*

344 Tertiū diem ſic ex Auguſtino P. conficies: Angelus poſtquam cognitionem firmamenti retulit in laudem Dei, accipit in Verbo cognitionem creature, quæ condenda eſt poſt firmamentum: quod opus ad formationem firmamenti ordine naturæ immediate ſecutum, eſt formatione elementi aquæ, indicata in congregatiōne aquarum; & terra, inſinuata in appariſſione arida; & plantarum germinatio in ſeminali ratione earum, ſecundān determinata juxta Auguſtinum P. art. 3. & cognitio formationis harum creaturearum in primordiali earum principio, nempè Verbo divino, eſt cognitione matutina hujus tertij diei. Vespertina autem, cognitione earundem in propria natura, & relata in laudem Verbi, ex qua meretur Angelus accipere cognitionem in Verbo operis immediate ſequentis, nempè ornatus cœlorum per productionem luminarium: Quorum cognitione in Verbo eſt mane quarti diei; cognitione autem eorumdem in propria natura, vespere ejusdem. Similiter quintus dies incipit in cognitione ornatus aquarum, aërisque per productionem avium, & pifcium, in Verbo; & horum cognitione in ſe, facit vespertinam ejusdem. Sextus denique dies conſtituitur ex mane, quod eſt cognitione ornatus inſima partis Universi, nempè ter-
tij, per hoc quod animalia terrefaria cum homine in ea ſien-
da.

da, cognoscerentur in Verbo; quæ item in se facta tamquam in vespere, & fine, & termino actionis divinæ, in se posterius natura contemplarentur ab Angelo; & modo dicto referrent Angeli hanc cognitionem in laudem Verbi, in quo jam non acciperent cognitionem sequentis creature, quippè hæc consummatæ fuerant sexto die. At, inquis, si sexto die consummavit Deus sua ope, & dies in ordine ad creaturas constituimus, jam septimum diem non est quo conficiamus?

345 Pro solvenda difficultate proposita sciendum, & investigandum est, quid significet completio divinorum operum, quæ illo die à Moysè narratur, & requies Dei, & sanctificatio diei septimi. Circa primum Angelicus Praeceptor i. p. q. 73. art. 1. ad 2. notat, quod completio divinorum operum secundum aliam translationem attribuitur sextæ diei. Quo admisso, in septimo die nihil ad completionem Universi de novo factum intelligi oportet; quoniam sexto die jam erat mundus completus. At sustinendo nostræ Vulgatæ, & translationis memoratae expressionem, utrobique dictum verum esse tenendum est, cum distinctione tamen, qua ibi utitur S. Thomas, ut, nimirum, quantum ad integratatem partium Universi, sexto diei adscribatur consummatio, & completio divinorum operum: at quantum ad administrationem, operationem, & propagationem Universi, septimo diei tribuatur inchoatio completionis partium ipsius. Hæc solutio videtur ex Augustino P. 4. de Gen. ad lit. cap. 12. desumpta; ubi postquam cap. antecedenti, dicta septimi diei, & Evangelij, ubi dicitur: *Pater meus usque modò operatur*, in sensu spirituali explicuerat, & conciliaverat; ad literam loca illa fœderans, ait: *Potest etiam intelligi, Deum requievisse à condendis generibus creature, quia ultrà non condidit aliquæ genera nova: deinceps autem usque anno, & ultrà operatur eorundem generum administrationem, que tunc instituta sunt.* Et in fine capitulis concludit: *Quapropter sic accipimus Deum requievisse ab omnibus operibus suis, quæ fecit, ut jam novam naturam ultrius nullam conderet; non utique ut quod considerat, continere, & gubernare cessaret. Unde & illud verum est, quod in septimo die requievit Deus, & illud, quod usque nunc ope-*

operator. Ecce eandem Angelici P. doctrinam ad explicandam completionem divinorum operum, & sexto die , & septimo , aliter tamen, & aliter factam, qua & conciliantur dicta alterius illius translationis , & nostræ Vulgatæ , & simul dicta septimi diei , & Evangelij.

346 Quantum ad secundum , nempè , significatio nem quietis septimi diei , plura convenienter intelligi posse differit Augustinus P. 4. de Gen. ad lit. à cap. 8. ubi prius rejicit tamquam absurdum dicere, quod Deus à labore quasi fatigatus in condendo Universo requieverit ; dicendo quippe , & volendo cuncta creavit. Nec minus deliramentum reputat dicere , seu potius despere , quod aliqua causa in cogitando , & disponendo fabricam mundi , ipsum molestaverit; incomparabilis namque , & ineffabilis rerum condendarum apud Deum est facultas , atque facilitas. Et mox capite 9. probabiliter dici posse judicat Sanctissimus P. quod Deus in se requievit , quatenus nos in ipso quietescere fecit dono , & muniberibus gratiæ , dicens : *Quid restat , ut intelligamus , nisi fortè creature rationali , in qua & hominem creavit , in seipso requiem prebuuisse , post ejus perfectionem , per donum Spiritus S. per quem diffunditur charitas in cordibus nostris , ut illuc feramur appetitu desiderij , quod cum pervenerimus , requiescamus , id est , nihil amplius requiramus ?* Sicut enim rectè dicitur Deum facere , quidquid ipso in nobis operante fecerimus : ita rectè Deus dicitur quietescere , cum ejus munere requiescimus. Hoc quidem rectè intelligimus , quia & verum est , & non magna intentione indiget , ut videamur ita dicere quietescere Deum , cum nos quietescere facit ; sicut dicitur cognoscere , cum efficiat ut cognoscamus. Neque enim Deus temporaliter cognoscit , quod anteà non noverat : & tamen dicit ad Abraham : *Nunc cognovi , quoniam timeo Deum.* Ubi quid aliud accipimus , nisi , nunc feci , ut cognosceretur . His locutionum modis , cum ea , quæ non accident Deo , tamquam illi accident , loquimur ; eum facere agnoscimus , ut nobis accident , ea duntaxat , quæ laudabilia sunt. Vide ipsum ibi ulterius rem prosequentem , exemplisque expositionem hanc comprobantem. Et nota , quod hæc intelligentia secundum figuram methonimia procedit , quæ tamen non obest , ut exposicio sit literalis ; rem enim gestam per voces

propriè illam manifestantes declarat , & ad intentionem
Auctoris procedit , ut consideranti patchbit.

347 Veruntamen cap. 10. licet hanc expositionem
quaibusdam sufficientem reputet Augustinus , tamen ulterius
requiem Dei in seipso scrutandam esse docet ; & cap. 12.
illam explicat per verba num. 345. allegata; & demum quasi
ex mente propria cap. 15. requiem Dei in seipso septimo
die significari , docet Augustinus P. Ex mente , inquam , pro-
pria , quod indicant illa verba in fine capituli præcedentis:
*Dicam sanè quod sentio , hæc duo indubitate præloquens ,
nec Deum , velut post laborem , desideratum ve negotij finem ,
temporali quadam requie delectatum : (neque enim , ut di-
xerat initio illius cap. cùm creavit , defessus , nec cùm cessa-
vit , refectus est.) Nec has literas tanta auctoritate meritò
præminent , frustà , falsòque dixisse , quòd Deus ab omni-
bus operibus suis , que fecit , septimo die requieverit , eaque
causa eundem diem sanctificaverit. Quibus præmissis , sic
habet cap. sequenti: *Nimirū ergo quia vitium est , &
infirmitas anime , ita suis operibus delectari , ut priùs in ipsis ,
quām i. se requiescat ab eis : cùm procudubio melius aliquid
in illa sit , quo ea facta sunt , quām que facta sunt : insinua-
tur nobis per hanc Scripturam , qua dicitur , requievisse ab
omnibus operibus suis , que fecit , nullo opere suo sic de-
lectatus , quasi faciendi ejus eguerit , vel minor futurus , nisi
fecisset , vel beatior cùm fecisset. Quia enim ex illo ita est quid-
quid ex illo est , ut ei debeat quod est , ips: autem nulli , quod
ex ipso est , debeat quod beatus est , se rebus , quas fecit , di-
ligendo præposuit : non sanctificans diem , quo ea facienda
inchoavit , nec illum , quo ea perfectit , ne illis vel faciendis ,
vel factis auctum ejus gaudium videretur : sed eum , quo ab
ipsis in seipso requievit. Et ipse quidem numquam ista requie-
caruit , sed nobis eam per diem septimum ostendit : hinc
etiam significans , non percipi requiem suam nisi à perfectis ,
cum ad eam intimandam non deputavit diem , nisi qui perfec-
tionem omnium rerum sequebatur. Nam qui semper est
quietus , tunc nobis requievit , cùm se requievisse mons-
travit.**

348 Requievit ergo Deus septimo die ab operibus
suis , hoc est , non in operibus suis , quasi ad sui oblectamien-

tum ea fecerit, in seipso plenam satietatem omnium desiderabilium non habens; nullius quippe indigus erat, qui sibi sufficientissimus: unde nec minor fuisset, si ea non fecisset, nec beatior, cum fecisset: non ergo ex factis auctum est ejus gaudium. Nec oppositum innuunt illa Proverb. verba: *Delectabatur per singulos dies, ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & delitiae meae esse cum filiis hominum:* Quia lusus iste, delectatio, & delitiae, nihil aliud important, quam complacentiam, quam Deus in communicatione bonitatis, & summa largitatis suæ ad extra habet; in quo nulla accrescit ei bonitas, qua fruatur, sed potius ex summa bonitate, & perfectione ejus participant creaturæ, quidquid bonitatis, & perfectionis est in illis. Unde motivum illius delectationis Dei est sua bonitas in creaturis tum in ordine naturæ, tum gratiæ, diffusa; suaque sapientia, qua cuncta disposita in numero, pondere, & mensura, attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Hinc Deus illa requie, summaque felicitate nunquam caruit; sed illam post consummationem suorum operum ad extra manifestavit, ostendens simul, suam beatitudinem non in operibus ab ipso conditis consistere; quippe nullam bonitatem summa ipsius bonitati, & perfectioni aggerant: sed in seipso, qui est ipsamet plenitudo essendi, & origo, & fons omnis perfectionis creatæ; ut & nos pariter discamus non in operibus ejus, aut nostris quiescere, sed in ipso Deo, qui omnium primum principium, & ultimus finis est. Habemus ergo, quid Moyses septimo die per requiem Dei ab operibus suis ianoscere voluit.

349 Sequitur demum sanctificatio diei septimi, quam præ alijs sanctificari docet ibi Augustinus Par. proper requiem Dei septimo die significatam. Igitur cap. 14. ejusdem lib. 4. ait: *Nos voluit Deus per scripturam suam ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis, eum diem sanctificasse, in quo quievit ab omnibus operibus suis.* Nam nusquam omnium sex dierum, quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, nec ante ipsos sex dies, ubi scriptum est. In principio fecit Deus cœlum, & terram, additum est: & sanctificavit: sed diem istum, in quo requievit ab omnibus operibus suis, quæ fecit, sanctificare voluit, tanquam apud

ipsum, qui nihil in opere suo laborat, plus quies, quam opera-
tio valeat. Hoc quidem in hominibus Evangelium nobis inti-
mat, ubi Salvator noster meliorem partem dicit Mariae, quod
sedens ad pedes ejus requiescebat in verbo ejus, quam Marthae;
quamvis propter obsequium, quo ei ministrabat, circa multa
occupata, & licet bonum opus operantis. Ergo quia Deus sep-
timo die quietem suam manifestavit, ideo septimum diem
sanctificari voluit; & nos quieti ejus & divinorum contem-
plationi vacare debere, & inhianter ad cosecutionem ejus
aspirare, docuit.

250 Sic intelligit Augustinum P. S. Thomas plu-
ribus in locis, clarius autem, & diffusius se explicat q. 4. de
pot. art. 2. ad 5. dicens: Septima vero dies est ipsa cognitio
Angeli ad quietem Artificis relata, dicitur enim secundum Au-
gustium Deus septima die quievisse, in quantum quietem pro-
priam, qua in seipso à rebus factis quievit, & beatus existit,
creaturis non indigens, sed sibi ipse per se sufficiens, menti An-
gelicæ monstravit, cuius cognitionem diem appellat. Et dicitur
ab opere die septima cessasse, quia postea nihil novum fecit,
quod aliquo modo in operibus sex dierum non præcesserit, vel
materialiter, vel causaliter, vel secundum aliquam similitudi-
inem speciei, vel generis. Et quia post omnia opera condita
Deus septima die in seipso quievit, propter hoc Scriptura, &
lex præcipit septimanam diem sanctificari. Nam sanctificatio cu-
juslibet rei in hoc maximè consistit, quod in Deo requiescit:
unde res Deo dicantur, ut tabernaculum, vasa, ministri, sanctæ
dicuntur: dies autem septimus est ad Dei cultum dedicatus:
ideo sanctificatus dicitur, ut, scilicet, sicut Deus, qui sex re-
rum genera condidit, & menti Angelicæ monstravit, non in
ipsis rebus conditis, quasi in fine quievit, sed à rebus conditis
in seipso, in qua sua beatitudo consistit, permanxit; cum non
sit beatus ex eo, quod res fecerit, sed ex hoc, quod in se ipso suf-
ficientiam habens, rebus factis non indiget: Ita etiam, & nos,
non in ejus operibus, aut nostris, discamus, sicut in fine quies-
cere, sed ab operibus in ipso Deo, in quo nostra beatitudo con-
sistit, quiescamus; propter hoc enim institutum est, ut homo
sex diebus laborans in operibus proprijs, septima die quiesceret,
sultui divino, & quieti divine contemplationis vacans, in qua
sanctificatio hominis maximè consistit. En doctrinam Augus-
ti

ni p. hucusque de cessatione divinorum operum, quiete Dei, & sanctificatione diei septimi, luculenter traditam, & egregie explicatam, & propterea illam non amplius expendo.

351 Hinc jam liquidò constat, & colligitur expeditio difficultatis num. 344. in fine propositæ; dicendum est enim ad mentem Augustini P. & D. Thomæ, quod septima dies constituitur per hoc, quod Deus quietem, & felicitatem suam menti Angelicæ præsentavit, & monstravit; quæ Dei beatitudo, quia nec formaliter, nec objectivè creaturam aliquam involvit, & cognitio vespertina est creaturæ in se, vel in propria natura contemplatio; propterea illa dies vesperam non habet, ut ex Augustino P. suprà dictum est, sed mane tantum; quia summa fœlicitas Dei non in creatura aliqua, sed in Verbo ipsius duntaxat potest manifestari: si enim, Apostolo attestante, *nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit gaudium, & fœlicitas, quam Deus diligentibus se præparavit;* quanto minus ipsius Dei summam quietem, & beatitudinem medium aliquod creatum manifestare quibit? Unde solùm sex priores dies, in quibus Deus aliquam creaturam primitus, & de novo condidit, constituuntur cognitione Angelica ad creaturas in propria natura relata: non autem septimus, qui non deputatur pro primitiva alicujus creature conditione, sed pro requie Dei, & diei sanctificatione.

S. V.

*EXPEDIUNTUR DIFFICULTATES
ex formatione dierum Angelorum suprà
tradita pullulantes.*

352 **O**CCURRIT primò difficultas circa præmissa, quod primæ diei mane negavimus ex Augustino P. & D. Thoma; quod videtur Scriptura S. repugnare; ibi enim sexies repetitur vespere, & mane; & rursus septimus dies seorsim, sine distinctione vespertinæ, & matutinæ partis diei, additur: cum ergo sex primi dies in ordine ad sex genera rerum primitus produc a constituentur, & distinguantur, & primum genus, &

clasis creaturarum sit Angelus, consequens est, quod etiam dies illi pro spiritualibus, & Angelicis sint accipiendi, non possint Scripturæ S. secundum positionem Augustini adaptari; quippe exclusa matutina cognitione in ordine ad Angelum, non est excogitabile aliquod genus creaturarum, in ordine ad quod illud mane repetatur: quoniam duntaxat remanent quinque genera, seu classes in Scriptura S. à firmamento usque ad hominem inclusivè, memoratae: ergo formatio dierum ab Augustino P. posita, cum exclusione matutinæ cognitionis prima die in ordine ad Angelum in Verbo cognitum, Scripturæ S. non quadrat: ergo admittenda non est.

353 Argumentum hoc, et si appareat gravissimum, tamen in æquivoco laborat, & non procedit in recta intelligentia positionis Augustini P. quod sic ostendo, & simul æquivationem detego. Igitur verum est, quod in Scriptura S. ante septimum diem, qui est quietis, & sanctificationis, sexies vespere, & mane invenitur repetitum: at observatione dignum est, quod Scriptura S. illos dies nominibus numeralibus ordinalibus numeratura, diei secundo non præmissit *primum*, ut ipse ordo numerandi exposcebat, & num. 324. & deinceps notavimus; sed diei secundo præfixit *unum diem*, ibi: *Factum est vespere & mane dies unus*. Utique, ut agnosceremus illos sex dies esse unum diem, & quoad constitutivum intrinsecum diei non plurificari. Ex quo fit, quod mane illud primo loco in Scriptura S. positum, constituensque diem illum unicum, est mane omnium dierum, non sui multiplicatione quoad entitatem, sed diversa terminatione ad distincta objecta ordinem inter se habentia: & ex repetitione illius cognitionis matutinæ, toties repetitur dies, quotiens distinguuntur rerum genera creaturarum in Verbo cognita, ut ait Augustinus P. num. 321. cito tatus, ibi: *Et quia ceteræ creature, que infra ipsum sunt, sine cognitione ejus non sunt; propterea, nimirum, idem dies ubique repetitur*: preme illa verba, *idem dies*. Unde illud *mane* in uno illo die positum, non ponit in numero cum mane secundi diei, nec tertij &c. sed potius sub illo unico mane, in ordine ad distincta objecta in Verbo prius cognita, quam in propria natura, numerantur dies, & mane, & vespere, ordine, quo in Scriptura S. memorantur.

354 Sub illo autem unico mane illius unius diei, non potest designari primum mane in ordine ad Angelum, ut in Verbo cogitum, ut ex Angelico P. à num. 342. sufficienter ostensum est; non quia Angelus seipsum in Verbo non cognoverit; sed quia hæc cognitio, sui extra Verbum, & in propria natura cognitionem non præcessit, quod exigebat ordo matutinæ, & vespertinæ cognitionis, ut scilicet, prior sit matutina, quam vespertina, respectu ejusdem objecti; quia matutina attenditur penes primordiale esse rei, quod ipsi convenit in Verbo, tamquam in primo, & supremo Artifice; vespertina verò, secundum ultimum esse rei, quod habet res in propria natura. Quia ergo Angelus prius se in propria natura, & secundum ultimum esse cognovit, & sui cognitionem in laudem Verbi retulit, propterea vespere illius, seu vespertina cognitio Angeli matutinam præcessit: proindeque in illo mane unius, & ejusdem diei, non est assignare mane in ordine ad Angelum, ut in Verbo cognitum: & propterea Scriptura S. primum diem cum mane silentio præteriit, nec illum unum diem nomine primi diei appellavit.

355 Ex quibus liquidò constat ad argumentum solutione, & patefit ejusdem equivocatio. Dicimus enim, quod estò sexies ibi repetatur mane ante septimum diem, non infertur ex hoc, primum diem habuisse mane; quoniam mane positum in illo uno die non ponit in numero cum mane secundi diei, nec tertij &c. sed significatur ibi unus dies quoad intrinsecum, & formale diei, cuius mane repetendum est in ordine ad diversa objecta in Verbo cognita; & secundum hoc numeratio omnium dierum facienda est sub unico illo mane: non annexando ipsum cæteris in numerando, sed sub ipso ordinem ad diversa objecta considerando, secundum quod ipsa in Verbo cognoscuntur ordine fienda. Cum ergo in illo mane unius diei non possit verificari respectu ipsius Angeli attingentia in Verbo, modo necessario, ut constituat mane primi diei, hoc est, relatè ad Angelum; quoniam, ut ex D. Thoma s. antecedenti dictum est, mane naturali ordine præcedit vespere, & in diebus Angelicis mane & vespere designantur, secundum quod Angelus cognoscit res penes esse primordiale in Verbo, & ultimum esse

esse earundem in se: & Angelus non potuit prius se cognoscere in Verbo , penes esse primordiale sui in ipso , quām se cognoverit in propria natura jam factum ; quippè ad esse Angeli immediate , & necessariò sequitur cognitio sui , eò quod substantia ipsius sufficienter actuat mentem Angelicam ad sui contemplationem; & in Angelis bonis præcessit etiam relatio sui in laudem Dei ad ipsorum glorificationem : hinc illud unicum mane non potuit constituere mane primi diei , hoc est , relatè ad Angelum. Nec in litera Genesis aliquid huic solutioni obstante invenio.

356 Sed dices: Secundus dies supponit primum: ergo ante mane secundi diei præcessit mane primi diei. Paret consequentia ; quoniam sicut dies ex vespere , & mane constituitur ; ita secundus dies ex secundo vespere , & secundo mane conficitur ; neque enim secundum in aliquo ordine completum est invenire , quin primum plenè in eodem ordine constitutum præcesserit ; atqui dies plenè ex vespere , & mane , tamquam sui partibus adæquatis completur: ergo secundus dies ex secundo vespere , & mane constitutus , supponit primam ex eisdem partibus completum : ergo cùm Scriptura S. apertè dicat: *Fatum est vespere & mane dies secundus*, consequens est , quod implicitè innuat , quod præcessit primus ex eisdem partibus adæquate compleatus.

357 Respondeo , distinguendo consequens : præcessit mane primi diei in ratione termini vespere primi diei , concedo ; in ratione matutinæ in ordine ad idem opus , vel objectum , nego. Solutio sumitur ex verbis D. Thoma num. 337. allegatis , ubi comparat matutinam cognitionem secundi diei respectu primi diei & secundi , nunc indivisibili nostri temporis , quod est finis partis præteritæ , & initium futura. Sicut ergo nunc nostri temporis est terminus partis præteritæ , & initium futuræ; sic matutina cognitione secundi diei est terminus primi diei , & initium secundi. Et in quantum est terminus primi diei præcedit mane secundi diei ; quippè secundum , absolute supponit terminatum , & suis terminis clausum , primum in aliquo ordine. Et denique sicut nunc nostri temporis est terminus partis præteritæ , non in ratione partis temporis , sed in ratione medij annexantis , & ordinantis partem præteritam cum futura ; ita mane secundi diei non

non est terminus primi diei in ratione partis constituentis primum diem, sed in ratione terminantis illum, & ordinantis seriem dierum. Unde mane, quod supponit secundi diei matutina cognitio, non est mane primi diei in quantum tale respecta primi diei, sed in ratione termini; quatenus vespere recurrit ad mane, & terminatur ad mane, ut ex utroque SS. Doctore dictum est.

358 Secundò occurrit difficultas ex eo, quòd supra ex utroque SS. Doct. determinatum est, unicum esse diem creationis mundi subjectivè, solumque objectivè multiplicari. Ex quo infertur, quòd subjectivè, & ex parte cognitionis non multiplicetur: ergo unicum est mane, & unicum vespere omnium dierum creationis mundi: ergo unica cognitione matutina, & vespertina: ergo unica cognitione cognoscit Angelus omnia opera sex dierum in Verbo, & similiter eadem extra Verbum per aliam unicam cognitionem. Hoc autem licet verum teneat ex parte matutinæ, res in Verbo, ubi non sunt ex hoc in illud volubiles cogitationes nostræ, cognoscentis; & grè tamen percipitur in vespertina; quoniam eatus matutina unica esse potest, quatenus habet pro medio cognitionis ipsum Verbum, quod est unum, & multiplex; unum in se formaliter, & subjectivè: multiplex autem representative, quatenus summa sua, & infinita luce, & claritudine potest manifestare plures idæas, & imitabilitates suæ perfectionis à creaturis. At vespertina cognitione non potest omnia opera sex dierum, unica in se existens, contemplari; cùm habeat medium creatum, finitum, & limitatum; atque adeò ad repræsentandum, & manifestandum objecta determinatae lineæ, & sphærae destinatum. Unde in Angelis sunt species diversæ, à Deo in principio suæ creationis inditæ, ut medii illis, cùm voluerint, possint ad cognoscendum res diversi generis se applicare.

359 Rursus: vespertina cognitione primi diei, cùm terminetur ad Angelum gratia ornatum, (hæc fuit formatio Angeli, quòd, nempe adhæreret Deo, non per gloriam perfectam, sed per gratiam perfectam, ut supra ex D. Thomas dictum est) debet esse ordinis supernaturalis; vespertina autem aliorum dierum debet adstrui entitativè naturalis, quippe habet objectum naturalis ordinis, nempe, formationem

cælorum, & elementorum, corundemque ornatum; & similiter species ordinis naturalis, Angelo à Deo in sui primo esse inditas: unica autem cognitio nequit simul esse naturalis, & supernaturalis: ergo vespertina Angeli cognitio multiplicanda est ad constituendum sex dies; proindeque non poterit simul esse in mente Angeli matutina, & vespertina cognitio sex genera rerum attingens. Hoc autem manifeste opponitur litteræ Augustini P. pluribus in locis. Nam 4. de Gen. ad lit. cap. 29. in principio movet Augustinus P. dubitationem de modo cognitionis Angelorum, num videlicet simul, an alternatim cognoscant creaturas in Verbo, & in se, dicens: *Quam obrem potest aliquis fortassis mecum disputando certare, ut dicat sublimium cælorum Angelos non alternatim contueri, primò rationes creaturarum incommutabiliter in Verbi Dei incommutabili veritate, ac deinde ipsas creaturas, & tertio eorum etiam in seipsis cognitionem ad laudem referre creatoris; sed eorum mentem mirabili facilitate hec omnia simul posse.* Et in fine resolvit dicens: *Simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant: possunt tamen, & faciunt. Simul ergo habent, & diem, & vesperam, & mane. Quibus verbis apertissime docet Augustinus P. quod simul sunt in mente Angeli cognitio matutina, & vespertina.*

360 Exim. Doct. lib. 1. de Opere sex dierum, cap. 11. num. 35. alia verba ad præsentem difficultatem adducit ex Augustino P. eodem lib. cap. 32. quæ sic se habent: *Non secundum moras, sed secundum potentiam spiritalem mentis Angelicæ, cuncta quæ voluerit, simul notitia facilissima comprehendenter. Idem repetit Augustinus P. ibi, cap. 34. ubi in principio ait: Quomodo ergo diximus, sexies repetitam illius lucis presentiam per Angelicam cognitionem à vespere ad mane, cum ipsa tria simul, idest, & diem, & vesperam, & mane semel ei habere sufficerit: cum simul universam creaturam, sicut simul facta est, & in primis, atque incommutabilibus rationibus, per quas condita est, contemplaretur propter diem, & in ejus ipsius natura cognosceret propter vesperam, & creatorem ex ipsa etiam inferiori cognitione propter mane laudaret? Aut quomodo præcedebat mane, ut in Verbo cognosceret, quid esset Deo postea faciendum, id ipsum etiam consequenter vespere cognitura, si prius, & posterius*

prius nihil factum est, quia simul omnia facta sunt? Immò vero
 & prius, atque posterius, per sex dies, que memorata
 sunt, facta sunt; & simul omnia facta sunt: quia & hec Scrip-
 tura, que per memoratos dies narrat opera Dei, & ea, que
 simul Deum dicit fecisse omnia, verax est: & utraque una est:
 sed in rebus, in quibus, quid prius sit, vel posterius, interval-
 la temporum non demonstrant, quamvis utrumque dici possit,
 id est, & simul, & prius, & posterius, facilius tamen intelligi-
 tur, quod dicitur simul, quam quod prius, & posterius. Hu-
 jus rei exemplum adjecit ibi S. D. in visu corporali, cum So-
 lem intuetur orientem, qui statim atque aciem in illum con-
 vertit, illicò jam in termino esse comperiet; cum tamen or-
 dine naturæ prius plurima media corpora inter Solem, & ip-
 sum conspicientem, attingat visio corporalis, per illaque
 transeat. Ex quo infert S. Parens: *Quod si oculorum carna-
 lium acies celeritate tantum potest, quid mentis acies vel hu-
 manæ, quanto magis Angelicæ :: In his ergo (concludit)
 que simul facta sunt, nemo videt, quid prius, posteriusve fieri
 debuerit, nisi in illa Sapientia, per quam facta sunt omnia
 per ordinem simul.*

361 In his omnibus Augustinus P. manifestè do-
 cet, Angelum tum in Verbo, tum extra Verbum, & in pro-
 pria natura, simul omnium creaturarum notitiam habuisse, ut
 consideranti illa verba, cum simul universam creaturam, &c.
 patebit. Neque patet aditus ad hoc, quod ibi S. D. contra
 seipsum arguit: non, inquam, adest recursus; quoniam ad
 hominem ex sua doctrina procedit, & solutio illam confir-
 mat, cum dicitur: *Quamvis utrumque dici possit, id est, &
 simul, & prius, & posterius, facilius tamen intelligitur, quod
 dicitur simul, &c.* Preme etiam exemplum corporalis visio-
 nis, & illationem ex illo factam.

362 Statuto ergo, quod sit de mente Augustini P.,
 hujusmodi simultanea rerum cognitio in Angelo, sic arguit
 Exim. D. loco citato contra Augustini sententiam: Quod ve-
 rò ex parte vespertinæ cognitionis, vel non ita sit in aliqui-
 bus, & alijs sit incertum, probatur ex supra dictis lib. 2, de
 cognitione Angelorum; quia Angeli non cognoscunt simul
 omnia, quæ per species in proprio genere cognoscere pos-
 sunt, quia non possunt cognoscere simul, nisi quæ per unam

Speciem repræsentantur, & verisimilius est, multos esse Angelos, qui non possint per unam, & eandem speciem cœlum, & terram, spiritualia, & corporalia, & mixta omnia contemplari; imò credibilius est, paucos esse Angelos, qui tam universalem, & elevatum modum cognoscendi habeant naturalem: ergo ex hac parte non potuerunt Angeli in illo principio habere actualem cognitionem omnium operum sex dierum, & creationis mundi; quia nec per unum actum, quia non per unam speciem; nec per plures actus, quia hoc modo non possunt plura simul intueri. Aliunde verò etiam illi, si qui sunt, qui per unam speciem id facere possint, liberè utuntur illa, & ideo nemo potest, nisi divinando, affirmare, omnes habuisse illum actualem usum, statim ac conditi sunt. Similia objicit Joan. à Sancto Thoma de opere sex dierum quæst. 74. num. 8.

363 Plura continet argumentum, eaque difficultima, atque adeò diligentí examine digna. Singula ergo ordine proposito sunt discutienda. Et quidem dies creationis mundi objective duntaxat esse multiplicandos, & subjective unum numero esse ostendimus §. præcedenti ex utroque S. Doctore; & etiam argumentum hoc ipsum ex parte matutinæ fatetur, propter rationem num. 358. insinuatam. Tota ergo difficultas sifit in vespertina, quam numero esse multiplicandam ex eo mihi certissimum appareat, quod objecta vespertinæ hujusmodi distinctionem exigunt; quippe vespertina primi diei respicit Angelum gratia formatum: eò quod, ut Ang. Præcept. sàpè repetit, *formatio spiritualis naturæ est per hoc, quod illuminatur, ut adhæreat Verbo Dei.* Cognitio ergo Angeli, ut ad suam formationem extra Verbum terminata, est supernaturalis, non enim est attingibilis gratia viribus naturæ: ergo vespertina primi diei per cognitionem Angeli seipsum gratia illustratum cognoscens, constituta, supernaturalis est. At è converso philosophandum censeo de vespertina reliquorum dierum; eò quod cum objectum ejus, tum medium, tum potentia cognoscitiva, ex quibus, vel aliquo eorum, sumitur supernaturalitas in cognitione, sunt ordinis naturæ. Objectum quidem, quia vespertina secundæ diei constituitur per terminationem ad formationem cœlorum; tertia, per ordinem ad formatio-

nem elementorum; & denique tres ultimæ, per ordinem ad ornatum mundi corporalis, quæ omnia, manifestum est, intra limites naturæ esse comprehensa. Quantum ad medium etiam patet; sunt enim in mente Angeli species naturalis ordinis, repræsentativæ omniam rerum naturalium, à Deo ab initio suæ creationis inditæ, ut ostendit Angelicus Præcept. ex Augustino P. in quæst. de cognitione Angelorum: & ut inquit Augustinus P. loco suprà citato: *Prius Deus ostendebat Angelis, quod erat deinceps creaturus.* Denique ex parte potentiaz, indubitatum est Angelum habere vires, & efficacitatem naturalem ad cognoscendum omnia objecta ordinis naturæ. Cùm ergo hæc sint, quæ actum in specie constituunt, non est cur vespertina omnium dierum citra primum supernaturalis censeatur, nisi ad summum ex parte relationis charitatis, ut iuprà dictum est. Patet autem, quòd cognitio supernaturalis, & naturalis, specie, & numero distinguuntur.

364 Quo præmisso, tria ingerunt difficultatem. Primo, quot sint illæ vespertinæ cognitiones multiplicatae? Secundò, quomodo unum diem constituant? Tertiò demum, quomodo simil sint, ut Augustinus P. afferit? Circa primum sciendum est, quòd Angelus dupliciter potest creaturem extra Verbum cognoscere. Primo secundum quòd cognoscendo se comprehensive, cognoscit omnia, quæ in ipso sunt; in Angelo autem sunt species omnium creaturarum, ut nuper dictum est: unde cognoscendo se, contemplatur pariter quodammodo omnes creaturem. Secundò, utendo specie repræsentativa determinatae creature, & speculando in ea naturam propriam ejus clarè & distinctè, & secundum quòd ab alia natura distinguitur. Si ergo primus modus cognoscendi sufficiat ad constituendam vespertinam, manifestum est, quòd hæc in ordine ad omnia objecta naturalis ordinis, erit unicæ numero, ut docet Angelicus P. q. 4. de pot. art. 2. ad 9. dicens: *Angelus non potest in propriis natura plura intelligere primò, & principaliter, sed bene potest intelligere ex consequenti, ut habent ordinem ad unum intelligibile.* Et quia omnia, quæ sunt producta in propria natura, prius ordine naturæ secundum suis similitudines fuerint menti Angelice impressæ, Angelus cognoscendo se, simul quodammodo cognoscit illæ sex

228 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.
genera rerum, que inter se naturalem habent ordinem: nam
cognoscendo se, cognoscit omnia, que habent esse in ipso.

365 Hujusmodi autem cognitionem sufficientem
videtur reputare ibi Angelicus P. ad constituendum vespertinam, saltim quinque dierum post primum, ut colligitur ex
argumento, quod ibi solvit D. Thomas, quod sic se habet:
Licet Angelus possit simul plura considerare in Verbo, non ta-
men simul potest plura intelligere in propria natura, cum per
diversas species diversa in suis naturis intelligat: Si ergo qui-
libet sex dierum non solum habet mane, sed etiam vespere, oportet
in sex diebus aliquam successionem considerare. En argumentum ex diversis cognitionibus rerum in propria natura
deducens successionem inter vespertinas sex dierum, ac per
consequens multiplicationem inter ipsas. Vel ergo solutio
data satisfacit, vel non? Si primum: Ergo unica illa cognitio,
modo dicto, sufficiens est ad omnes vespertinas, quas Ange-
lum non posse simul unica cognitione habere, contendebat
argumentum. Secundum autem non licet in controversiam
reducere. Stando ergo huic solutioni, patet, quod duabus
cognitionibus Angeli, vel tribus ad summum, clauditur nu-
merus vespertinæ, quarum prima sit supernaturalis, ad for-
mationem Angeli terminata: secunda naturalis ipsius Ange-
li, seipsum, & omnia in ipso existentia per suam substantiam
unica cognitione contemplantis: tertia verò, si datur, per
proprias species creaturarum coordinatas ad plurium intel-
lectionem sub una aliqua consideratione, de quo infrà.

366 Verùm fortassis quispiam insufficientem repu-
tabit prædictam unicam cognitionem Angeli, cuncta sex die-
rum opera in speciebus eorum, præcise in mente An-
geli existunt, attingentem, ad constituendum vespertinam
omnium dierum. Nec, ut verum fatear, sine fundamento;
quoniam, ut ex Augustino P. suprà num. 321. dictum est,
& infrà amplius declarabimus, per illam trinam repetitio-
nenem verbi facere, in Gen. 1. à Moyse factam, intelligitur
triplex esse rerum indicatum: primum in Verbo, secundum
in mente Angeli, tertium in propria natura. Angelus autem
cognovit primæ institutionis rerum opera, necdum in Verbo
Dei, & prout in mente ipsius Angeli, sed etiam prout in pro-
pria natura existentia: cognovit siquidem illa, prout à Deo
fue-

Fuerunt producta, & non solum in mente Angeli, sed in propria natura fuerunt à Deo condita. Ut ergo perfectè cognoscerentur ab Angelo, debebat terminari ipsius cognitio ad opera sex dierum prout in propria natura. Manifestum autem est, quod aliter se habent species rerum in mente Angeli existentes, ut connotant existentiam rei per illas representandam, quam præcisivè ab hac connotatione. Unde Angelus non potest futura cognoscere, quia non assimilantur actus formis eorum in mente Angeli existentibus; & nihilominus licet Angelus futura contingentia non cognoscat, tamen earum formas in propria mente potest intelligere. Ergo cognitio creaturatum, prout ab Angelo cognoscuntur species earum in mente ipsius præcisè, valde diminuta est, & ut ita dicimus, confusa; unde & Ang. P. dicit: *Simul quodammodo cognoscit illa sex genera rerum*: Nota ly quodammodo. Atque vespertina, quippè ad ipsam formationem rerum, ex quæ res habent distinctionem, & speciem, terminata, debet pariter esse clara: ergo insufficiens apparet prædicta cognitio ad constituendam vespertinam omnium dierum. Rursus, ut ex D. Thoma suprà §. 2. dictum est, vespertina, & matutina cognitio ex parte objecti cogniti duntaxat distinguuntur penes primordiale, & ultimatum esse rei; sed cognitio Angelii qua creaturas, prout in mente ejus existunt species ipsarum, attingit, non est penes ultimatum esse rei: ergo idem, quod prius.

367 Quia, inquam, propter hæc, & similia motiva, prædicta solutio videbitur fortè non omnino satisfacere, alia via responderi potest, dicendo, quod vespertina terminatur ad esse rerum, non præcisè quatenus existit in mente Angeli secundum species creaturarum, verum etiam prout habet res esse in propria natura, & per propriam speciem ejus representatur. Sed tunc insurgit difficultas; quia in Angelis inferioribus plures sunt species rerum Universum constituentium, & qualibet illarum unicè potest elici cognitio attingens creaturam per determinatam illam speciem representatam; atque adeò ut Angelus cognoscat Universi creaturas per proprias species earum, oportet, quod plures cognitiones eliciat: Angelus autem non potest simul plura cognoscere per proprias species ejusdem ordinis, alioqui enim

intellectus Angeli simul informaretur pluribus formis ejusdem rationis: Unde si plures sunt vespertinae cognitiones sex dierum, nequeunt ad mentem Augustini P. illæ assig-
nari.

368 Pro solutione sciendum est, quod licet Ange-
lus plura ut plura non possit simul intelligere, neque plures
intellec[t]iones ejusdem rationis, & per media ejusdem or-
dini elicere; tamen potest plura simul cognoscere per diver-
tas intellec[t]iones, medijs diversi generis speciebus elicatas,
& sibi invicem subordinatas, ut pluries expresse docet An-
gelicus P. & fusiū q. 4. de pot. art. 2. ad 10. dicens: Si
duae operationes procedant à formis diversorum generum, &
diversarum rationum, & quarum una ordinatur ad aliam,
quales sunt formæ increata subsistens, & forma creata inha-
ren[s]s, poterunt esse simul. Et quia cognitio, qua videt Ange-
lus res in propria natura, que dicitur vespertina, sit per spe-
ciem creatam & inherentem: cognitio vero, qua videt res
in Verbo, que dicitur natutina, sit per essentiam Verbi, que
non est inherens, que sunt alterius generis, & alterius
ordinis, & una ordinatur ad alteram, utraque cognitio pote-
rit esse simul. Nam species concreata inherens intellectui non
repugnat unioni intellectus ad essentiam Verbi, que non actuat
intellectum quantum ad esse, sed quantum ad intelligere,
cum non sit ejusdem rationis, sed altioris ordinis: & ipsa
species inherens, & quidquid perfectionis est in mente Ange-
li, est quasi materialis dispositio ad illam unionem, & vi-
sionem beatam, qua videntur res in Verbo: ideo sicut dispositio
ad aliquam formam, & forma illa, possunt esse simul
in actu perfecto, ita & species intelligibilis inherens, stat
simul in actu perfecto cum unione ad essentiam Verbi. Un-
de &c.

369 Habemus ergo ex D. Thoma, quod Angelus
simul potest habere plures cognitiones per species diversi ge-
neris, & ordinis, quarum una sit alterius subordinata, & dis-
positio ad aliam, vel ratio alterius, sicut cernere est in ma-
tutina, & vespertina. Unde cum vespertina primi diei sit su-
pernaturalis, & aliorum dierum vespertina ordinis natura-
lis, ut supra dictum est; ex hac parte non erant simul incom-
possibles, si aliundem non sit repugnantia in coexistentia si-
mul-

multanca earum. Unde ibi Angel. P. pro exemplo hujus doctrinæ affert simile intellectus animæ Christi Domini, qui simul intelligit res in Verbo, & per species infusas, & per species acquisitas, quæ sunt diversi generis, & diversæ rationes, & una alteri subordinata. Atqui etiam cognitio vespertina naturalis, subordinata est cognitioni supernaturali, sicut omnia naturalia sunt veluti quædam dispositio materialis ad supernaturalia, ut inquit Angelicus P. Ergo si vespertina naturalis non multiplicetur, poterit coexistere vespertinae primi diei, & matutina simul.

370 Non esse autem multiplicandam verosimilius censeo; ex eo quod vespertina cognitione non est necessarium, quod attingat omnes creaturas secundum omnes rationes particulares earum, & prout ad invicem comparatae inter se distinguantur, pluraque genera rerum in Universo constituunt: sed duntaxat secundum quod mundum à Deo simul conditum, ordine tamen suæ sapientia in sex classes rerum distributum, & in senario primo perfecto numero, ab eo qui omnia in numero pondere, & mensura disposuit, clausum, constituunt; & diversas terminationes ad illas sex classes rerum principaliter mundum integrantes, importat. Et quidem quod vespertina non sit multiplicanda ad quamlibet multiplicationem objectorum, etiam si haec valde inter se differant quoad rationes particulares ipsorum, patet à simili dierum naturalium, qui diversis operibus à Deo condendis ab Adversarijs deputati censemur; & nihilominus in quolibet die est assignare diversa, & valde inter se distantia opera; ut videre est in sexto die, in quo animalium penè innumeræ species fuerunt productæ, & homo, qui longè illas in perfectione excedit: & hoc propterea, quia haec omnia in uno aliquo conveniunt, nempe, in ornando infinitam partem Universi. Similiter ergo haec opera non sunt ad vespertinam Angeli cognitionem comparanda secundum illas rationes particulares, quibus ab invicem distinguantur, sed secundum quod in aliquo constituendo uniuntur, ut in exemplo posito.

371 Posse autem Angelum plura, ut unum aliud constituant, actu intelligere, expressè docet D. Thomas pluribus in locis; sufficiat tamen ejus doctrina q. 8. de

Verit. art. 14. in corp. ubi ait: *Sciendum tamen, quod ali-
quid est unum quodammodo, & alio modo multa: sicut con-
tinuum est unum actu, & in potentia multa. Et in hujusmodi
si intellectus, vel sensus feratur, ut est unum, simul videtur;
si autem, ut est multa, quod est considerare unamquamque
partem secundum se, non sic potest totum videri. Et sic
etiam intellectus quando considerat propositionem, considerat
multa ut unum, & ideo in quantum sunt unum, simul in-
telliguntur, dum intelligitur una propositio, que ex eis cons-
tat; sed in quantum sunt multa, non possunt simul intel-
ligi, ut, scilicet, intellectus convertat se ad rationes singula-
rum secundum se intuendas. Unde Philosophus dicit in 6.
metaphysice: Dico autem simul, & separatim intelligere affir-
mationem, & negationem, quasi non deinde, sed unum
quid sit. Non enim simul intelliguntur in quantum habent or-
dinem distinctionis ad invicem, sed in quantum uniuntur in
una propositione.*

372 At inquires: Hujusmodi partium Universa
cognitio, secundum quod unum mundum constituunt, ad-
huc non videtur sufficiens, ad vespertinam omnium dierum
constituendam; quoniam valde confusa apparet, ut per
terminationem ad sex genera rerum distincta, sex dies con-
stituat, ut supra num. 366. arguebamus: non enim per cog-
nitionem totius intelliguntur rationes singularium partium
secundum se; atqui vespertina cuiuslibet diei clare & dis-
tincte videt extra Verbum opus illius diei, ut supra ex Au-
gustini P. dictis perspicuum est: ergo illa cognitio Angelii,
qua Universum ut quoddam totum, & unum aliquid est
cognoscens, simul ejus partes videt, insufficiens est ad con-
stituendam vespertinam omnium dierum.

373 Respondeo, quod dupliciter Angelus potest
cognoscere Universum: Primo per unam speciem illud,
ut quoddam totum est, expressè representantem: & hac cog-
nitione, transcat, quod non clare, & distincte, sed quasi
confusè percipiat rationes particulares partium, mundum
constituentium. Alio modo potest intelligere Universum
per plures species, coordinando illas ad invicem, & illis
inadäquate utendo ad unam aliquam cognitionem, v. g. co-
ordinando species sex generum rerum Universum consti-

uentium, ad intelligendum diversitatem illorum sex genera rerum ad invicem comparatorium: & hoc modo unica cognitione, & sufficienti claritate potest Angelus habere pertinentiam quinque dierum post primum. Quod autem hoc modo possit Angelus unica cognitione sex genera rerum primis producta intelligere, docet Cayet. super art. 2. q. 58. primæ part. ubi contra tertiam conclusionem, quæ erat, quod Angelii non possunt simul cognoscere naturaliter ea, quæ per diversas species innatas eis representantur, objicit secundum argumentum sic: Angelus cognoscit, & ponit differentiam inter cognita per diversas species, puta inter animal, & lapidem: ergo simul cognoscit per diversas species. Et tenet sequela ex doctrina 2. de anima in cap. de sensu communi. Et augetur difficultas ex hoc capite; quia non videtur valere processus factus ad concludendam hanc conclusionem, eo quod stat aliqua cognosci ut unum intelligibile, pro quanto cognoscuntur, ut comparata ad invicem secundum diversitatem, & tamen per diversas species. Cui objectioni sic respondet: Discernere inter intelligibilia disparatarum species rum est unum intelligere, & non per diversas species absolute; sed per diversas species, ut ad unum relativum intelligibile coeunt. Nec propterea insufficiens, aut falsus fuit processus, quo unitas intelligibilis ex unitate speciei aequata declarata est: Quoniam quid regulariter exigat unitas intelligibilis, tractabatur, & tractari debet. Exceptio enim haec nota est, & ideo nihil officit universali regule, que traditur, & tradenda est de cognoscibili absolute. Et similiter de speciebus disparatis absolute sumptis: respectiva namque constat utrumque exigere extreum. Hæc profundissimus Doctor, quem sequitur Joan. a S. Thoma ad eundem art.

374 Ex quibus constat, quod Angelus simul, & unica cognitione, & per diversas species, non quidem absolute, sed ut ad unum intelligibile relativum coeunt, & coordinantur, potest discernere inter intelligibilia disparatarum specierum; quia hoc est quodammodo unum intelligere. Angelus autem proculdubio habet species quolibet opus primæ institutionis rerum seorsim, & secundum se representantes, vel secundum quod plura in formando aliquam partem Universi convenient, vel in quantum in ornanda aliqua ejus-

dem parte uniuntur: Poterit ergo Angelus coöordinando illas species unica cognitione videre diversitatem sex generum rerum in constituendo hoc Universum, & relationem, & harmoniam, quam diversimodè mundum integrando important. Atqui ad vespertinam omnium dierum hoc modo præcisè pertinet partium Universi extra Verbum cognitio: ergo unica cognitione naturali poterit sufficienti claritate cognoscere opera ad naturalen cognitionem in prima rerum institutione pertinentia. Subsumpta patet ex dictis num. 370: non enim pertinet ad vespertinam cognoscere secundum se quælibet objecta particularia in quolibet opere sex dierum inventa, quantumvis inter se distantia; sed cognoscere illam rationem, in qua uniuntur per ordinem ad aliquod unum integrum opus, ut à simili ibi in contraria sententia ostendimus.

375 Hinc jam patet solutio difficultatis primæ num. 364. propositæ. Dicendum enim est, quod vespertina omnium dierum duplex est: Prima supernaturalis per ordinem ad formationem Angeli, quæ fuit per gratiæ illustratiōnem, ut adhæreret Verbo Dei, facta. Secunda naturalis ordinis, ad quinque opera post primum, modo nuper ex Cayetano dicto, terminata, cognoscendo sufficienti claritate diversitatem illorum operum penes constituendum unum Universum, & relationem, & elegantem harmoniam, quam inter se quantum ad hoc munus important.

376 Verū dices: Hujusmodi specierum coordinatio ad intelligendam diversitatem sex operum Dei in principio, dato quod fieri possit ab Angelo, liberè, & prorsus voluntariè ad hoc se applicaret: Unde ergo constat quod liberè se determinando Angelus illa objecta unica cognitione vidi? Respondeo, quod licet hoc nobis revelatum non sit, tamen sufficiens conjectura, & recta ratio persuadent; quoniam Angeli sunt superiores hoc mundo corporali, nequid in effendo, verū etiam in cognoscendo; regunt enim, movent, & administrant creaturas corporales: unde & administratorij spiritus ab Scriptura S. nuncupantur; quod munus implere non possent, nisi mundum corporalem perfectè cognoscere.

377 Non est autem credibile, quod Angeli à prin-

Cipio non applicarent sed cognoscenda illa, quæ ipsorum ministerio sunt commissa. Si enim homo, teste D. Thoma, i. p. q. 94. art. 3. in corp. quia fuit principium aliorum hominum, non solum via generationis naturalis, sed etiam per instructionem, & gubernationem, habuit scientiam omnium, in quibus natus est homo instrui: unde habuit scientiam omnium, quæ naturaliter sciri possunt, & etiam eorum, quæ ad finem supernaturalem consequendum necessaria sunt: & hanc scientiam ab initio brevissimo tempore circa multa ad actum secundum reduxit, ut constat ex eo, quod nomina animalibus in specie, & numero pñè infinitis imposuit, quæ cum essent naturis rerum congruentia, consequenter scientiam actualem naturæ cujuscumque animalis habuit: Si, inquam, homo tam multa à principio brevissimo temporis intervallo cognovit actualiter, quanto magis Angelus, eadem ratione ex parte ministerij mundi corporalis sibi cõmissi, cùm perspicacissimi esset ingenij, haberetque species creaturarum mundum constituentium, se applicaret ad cognoscendum Universum, diversitatemque, & ordinem partium ipsius, coordinando ad hoc species sibi cum suo esse à Deo inditas? *Hoc enim rerum ordo habet inquit S. Th. i. p. q. 57. art. 2. in corp.* quod quanto aliquid est superior, habet virtutem magis unitam, & ad plura se extendentem. Si ergo homo statim à principio, modo sibi possibili, se applicuit ad cognoscenda illa, quæ sibi erant subdita, suoq[ue] regimini commissa: Cur hoc denegetur Angelo respectu suorum inferiorum, ejusque ministerio deputatorum? Angelus ergo & potuit Universi partes, modo ex Cayetano dicto, cognoscere à principio, & illas utique cognovit.

378 Ad secundam difficultatem num. 364. proponam, quomodo, nimirum, unum diem constituat subjective, & ex parte manifestationis, vespertina cognitione, si multiplicatur? Respondeo, quod constituunt illæ dux cognitiones vespertina unum diem unitate ordinis, qui ordo resplendet in vespertina tum subjective, & ex parte cognitionum, tum objective, & ex parte rerum cognitarum: Ex parte quidem cognitionis in eo, quod naturalis cognitio Angeli tum sui ipsius, tum formationis, & ornatus cæterarum creaturarum, ordinatur, tamquam materialis dispositio, ad cognitionem

Supernaturalem formationis sui per illustrationem gratiæ; ut enim suprà num. 368. ex D. Thoma dictum est, species creaturarum, & quidquid perfectionis est in mente Angeli, est quasi materialis dispositio ad illam unionem, & visionem beatam: ergo etiam ad semen illius, nempe gratiam. Ea autem, quæ hujusmodi ordinem habent, optimè possunt unum aliquid constituere, ut docet Angel. Præcept. q. 4. de pot. art. 2. ad 19. dicens: *Et idè quando Angelus videt Deum per essentiam, & seipsum & alia per species concreatas, quodammodo intelligit unum. Sicut quia lumen est ratio videndi colorem; propter hoc, quando oculus videt lumen, & colorem, videt quodammodo unum visibile. Et quamvis illæ operationes sint realiter distinctæ, cum operatio, qua videt Deum, semper maneat, & mensuretur aeternitate participata; operatio etiam, qua intelligit se, semper maneat, & mensuretur aevi; operatio verò, qua intelligit alia per species innatas non semper maneat, sed alteri succedat: tamen quia una ordinatur ad aliam, & una est quasi ratio formalis alterius, idè sunt quodammodo unum; quia ubi est unum propter aliud, ibi est tantum unum, ut dicitur 2. topic. & propter hoc illæ operationes, quarum una ordinatur ad aliam, possunt esse simul, & unum totum constitutere.* Ergo cognitiones Angeli ordinatè se habentes, etiam si una alteri succedat, unum aliquid constituent: ergo multo melius, si simul in mente Angeli existant, modò ordinatæ sint (neque enim aliter simul existent) unum diem constituent. Quòd autem illæ cognitiones ex parte objecti ordinatæ sint, abundè ostensum est suprà, præcipue art. 3.

379 Hinc jam patet solutio tertiaræ difficultatis num. 364. propositæ, quòd, nimirūm, si multiplicantur vespertinæ, quomodo simul sint? Simul enim sunt in mente Angeli duæ illæ vespertinæ, necdum simultate ordinis, verùm etiam durationis; quoniam procedunt ex speciebus diversi generis, sibique invicem subordinatis, ut dictum est. Unde optimè verificantur dicta Augustini P. quòd, scilicet, *simul hoc totum possint, simul hoc totum faciant, possunt tamen, & faciunt. Simul ergo habent & diem, & vesperam, & mane...: secundum potentiam spiritalem mentis Angelicæ, cuncta quæ voluerit, notitia facilissima comprehendentem...: melius tamen intelligitur, quòd dicitur simul, &c.*

380 Nec oppositum probat ratio Eximij D. quoniam in primis possumus dicere, quod quilibet Angelus potest omnia sibi inferiora unica specie, & cognitione intelligere, ut ipse lib. 2. de cognit. Angel. cap. 16. dicit, Cayetanum docuisse, quem sequitur Joan. à Sancto Thoma de Angelis disp. 21. art. 4. num. 26. Si autem nolit huic solutioni acquiescere P. Suarez, configendum est ad doctrinam suprà ex Cayetano, de coordinatione specierum ad cognoscendum unica cognitione plura objecta, datam; & dicendum, quod per unam speciem adæquatam, licet per plures inadæquatè sumptas, una tamen cognitione Angelus cognovit plura objecta Universum constituentia, secundum diversitatem, quam in illo conficiendo important. Et concedimus, quod liberè utuntur Angeli speciebus mundum se inferiorem repreäsentibus; nec tamen propterea divinando, sed cum fundamento numero 376. insinuato, dicimus, Angelum ab initio se applicuisse ad cognoscendas creaturas Universi sibi subditæ, nempe mundum corporalem, cum ordine, harmonia, & dispositione partium, à sapientia Dei in bonum & pulchritudinem Universi præfixa, & ad ostendenda sua attributa, mirabiliter coordinata; quippe Angelus his omnibus, & natura, & ministerio, & ordine Universi erat præpositus: Unde maximè verosimile est, quod ad contemplanda prædicta omnia suam mentem ab initio applicaret. Et simul etiam novit, se à Deo simul condente naturam, & largiente gratiam, omnem lapide pretioso, hoc est, gratia, donisque supernaturalibus, fuisse ornatum; omnemque cœlestium spirituum cœtum similibus beneficijs, & muneribus divina largitate copiosissime fuisse ditatum; Quoniam & hoc per fidem novit primus homo: immò uterque, nempe, Angelus, & homo, verosimilis est, quod ad gratiam recipiendam pro priori natura se disposuit: quippe uterque adultus creatus fuit, & Deo volenti justificare, consensit; est enim sanctificatio creature rationalis quoddam matrimonium spirituale inter Deum, & creaturam spiritualem, in quo utrinque contrahentis consensus requiritur: unde Augustinus P. inquit: *Qui fecit te sine te, non justificavit te sine te.* Novit ergo quilibet Angelus se, & omnes in gratia fuisse à Deo constitutos in principio. *Quod etiam demonstrat obligatio in ipsis existens, ad repen-*

Hendunt Deo gratias de accepto beneficio; quod ab initio præstiterunt Angeli; casto siquidem amore Deo adhæserunt, ex quo facti sunt, ut inquit Augustinus P. in cuius phrasí castus amor, dilectio charitatis supernaturalis est. Simul ergo duplici prædicta operatione habuerunt Angeli vespertinam omnium dierum.

381 At, inquis, quomodo cum his foederabimus dictum Augustini P. num. 359. laudatum: *Simul ergo habent, & diem, & vesperam, & minit?* Quoniam Angelus per fidem duntaxat potuit cognoscere à principio, se in gratia fuisse constitutum; fides autem, aveniente clara Dei visione, evacuabitur, quippè ejus cognitio obscuritatem præfert, quæ cum claritate intuitivæ visionis incompatibilis est: unde ex his tribus, quæ nunc manent, nempe, fides, spes, charitas, hæc est, quæ nunquam excedit, sive fides evacuabitur, sive scientia destruetur. Cùm ergo matutina sit clara Dei visio, consequens est, quòd non coëxistat simul cognitioni fidei, qua Angelus se gratia illustratum cognovit. Respondeo primò, quòd, ut ex D. Thoma suprà num. 378. dictum est, licet operatio, qua Angelus alia à se per speciem propriam cognoscit, non sit in eadem duratione, qua se cognoscit, sed hæc alteri succedat; quia tamen tum illa, tum hæc ad visionem claram Dei ordinantur, & hæc est quasi ratio illius, ideo sunt quodammodo unum; quia ubi est unum propter aliud, ibi est tantum unum: *& propter hoc illæ operationes, quarum una ordinatur ad aliam, possunt esse simul, & unum totum constituere.* Possunt ergo unum diem confidere, & de facto constituunt omnes cognitiones tum naturales, tum supernaturales Angeli, in laudem Dei relatæ, & extra Verbum habitæ, quia ad invicem, & ad visionem claram Dei sunt ordinatæ; manifestum autem est, quòd quæ aliquod unum constituunt, in quantum illud unum conficiunt, simul sunt. Unde cognitio fidei in Angelo, ut relata ad laudem Dei, cùm ordinem importet ad visionem claram Dei, licet ipsi non coëxistat in eadem duratione, tamen ordine unum cum illa potest constituere, & prout sic simul esse.

382 Verum fortassis contendes, hujusmodi simultatem non esse ab Augustino P. intentam locis citatis;

Quoniam ibi eam simultatem adstruit S. Doctor, inter diem, & vesperam, & mane, quæ alternationem ab eis excludat, ut colligitur illis verbis dubitationis Augustini num. 359. positis, non alternatim contueri &c. sed inter cognitionem fidei, visionemque beatam, est vera alternatio, ut ex dictis patet: ergo. Respondeo, quod Augustinus P. ibi, & sequentibus auctoritatibus loquitur de Angelo jam in beatitudine constituto, ubi certè matutina, seu meridiana, & vespertina, simul sunt simultate alternationem excludente, ut ex dictis manifestum est; simul enim in Verbo omnia continentur, & etiam extra Verbum, modo supra ex Cayetano explicato, perpetuoque illam cognitionem in laudem Dei referunt: unde simul habent hæc omnia. Quod autem Augustinus P. loquatur de Angelis Deo jam fruentibus, patet ex ipso ibi illis verbis, ut dicat, sublimium cœlorum Angelos non alternatim contueri primò rationes creaturarum incommutabiliter in Verbi Dei incommutabili veritate, ac deinde ipsas creaturas. Manifestum autem est, Angelos in Verbi Dei incommutabili veritate solum visione beata contemplari rationes creaturarum incommutabiliter; extra Verbum enim volubiles sunt ex hoc in hoc cognitiones Angelorum pro libertate ipsorum, dempta cognitione sui, quæ immutabiliter convenit Angelo, mediante sua essentia gerente vices speciei. Concedimus ergo, quod Angeli beati simul duratione habent & diem, & vesperam, & mane; licet enim Angeli beati creaturas per proprias species, & in se ipsis, media cognitione fidei non attingant, nihilominus cognitione vespertina creaturarum non carent; quippè loco cognitionis fidei, quæ erat vespertina viæ, subrogratur in patria cognitio supernaturalis per scientiam infusam habitas & hac quidem quantum ad entitatem cognitionis à cognitione per fidem habita dikingitur, minimè verò in ratione vespertina; quia utraque cum fidei, tum scientifica cognitionis, creaturas per medium creatum attingit, & in laudem creatoris refertur, quod tantum pertinet ad conceptum cognitionis vespertinae in quantum talis: unde recte salvatur, quod Angelus simul, & in eadem duratione utraque gaudeat cognitione, matutina, videlicet, & vespertina.

geli simul habent diem, & vesperam, & mane, quomodo ipse alibi ait, quod Angelus ex vespertina profecit in matutinam? Neque enim perceptibilis est in Angelis Deum videntibus, profectus, & meritum, quod est via, & tendentia ad visionis beatæ, & gratiæ consummatæ terminum. Respondeo, quod certè Angeli in beatitudine non proficiunt, neque merentur, quippe status beatitudinis non est status merendi, meritum enim ad viam pertinet; sed est status gaudij, & fruitionis præmij. At cùm Augustinus P. inquit, quod Angelus ex vespertina profecit in matutinam, non loquitur de vespertina, quam Angeli habent in patria, sed de vespertina eorum, ut viatorum, cui quidem optimè congruit ratio profectus, & tendentia in beatitudinis præmium. Quocirca adverte, quod ut supra ostensum est, sub vespertina comprehenditur omnis cognitio Angelii per medium creatum habita, & in laudem creatoris relata. Unde Angelicus Præcept. ut supra num. 275. vidimus, cognitionem, qua Angeli cognoscunt creaturem, prout habent esse in mentibus ipsorum, & qua ipsas cognoscunt secundum esse, quod habent in propria natura, sub vespertina comprehendit. Vide etiam verba S. Doctoris num. 297. posita. Ex quibus habemus, quod cùm Augustinus P. dicit, quod Angelus ex vespertina profecit in matutinam, loquitur de vespertina viæ, non de vespertina patriæ, quæ unicè est simul duratione cum visione beatæ.

384. Ex dictis inter solvendam præsentem difficultatem inferes: dies Angelicos non distingui penes diversas cognitiones Angelicas, nec ex parte cognitionis matutinæ, nec ex parte vespertinæ. Non primum, quia cognitione matutina est visio beata, quæ una numero est in quolibet Angelo, ut patet. Nec secundum; quia ex parte vespertinæ ad summum assignari possunt tres cognitiones: Prima, qua Angelus se in esse naturali per suam essentiam contemplatur, & simul alias creaturem ex consequenti, prout sunt in mente Angeli, ut supra ex D. Thoma dictum est. Secunda, qua Angelus unica cognitione omnia se inferiora, ac per consequens mundum corporalem, speculator, sive unica specie, ut ex Mag. à Sancto Thoma supra dictum est; vel unica etiam cognitione, licet diversis speciebus coordinatis, &

Dispositis; ut inadæquatè ad diversorum objectorum manifestationem, secundùm diversitatem eorum, & respectum ad invicem in constituendo Universum, concurrant, ut ex Cayetano dictum est. Tertia denique, cognitio fidei, qua Angelus sui illustrationem, ut Deo adhæreret per gratiam, cognovit, cui in Patria subrogatur cognitio Angeli per scientiam infusam, quæ est appendix, & consecutarium beatitudinis, ut frequenter docet S. Thomas. Nec insuper harum cognitionum multiplicatio, de formali se habet ad multiplicandam vespertinam qua talem; hęc enim pro formali, ut sàpè ex utroque SS. Doctore dictum est, solum importat cognitionem Angeli per medium creatum, & relationem in laudem creatoris, vi cujus *vespere recurrit in mane*, ut ex Augustino P., dictum est: vel terminatur *ad mane*, ut loquitur S. Thomas. Utrumque autem verificatur in recentis omnibus cognitionibus; sicut etiam ordo unius ad aliam, & omnium ad unam, nempe matutinam, ut ex D. Thoma explicatum est. Restat ergo, quòd illa multiplicatio prorsus materialis sit ad multiplicandam vespertinam qua talem, & omnino impertinens ad multiplicandos dies formaliter, secundum numerum illarum cognitionum.

385 Hinc colliges, quòd argumentum Joann. à S. Thoma in præsenti quæst. num. 8. ex eo petitum, quòd non est assignabilis Angelus, qui sex cognitionibus cognosceret extra Verbum sex genera rerum primitus à Deo producta, quippè hoc est divinare. Colliges, inquam, quòd hoc argumentum à predicto Auctore & alijs immerito objicitur contra Augustinum P. ut à D. Thoma explicatum: & dividendo procedit contra sententiam Augustini P. Neque enim uspiam invenitur ab Augustino P. dictum, quòd dies creationis mundi ex parte sex cognitionum Angeli multiplicentur, sed duntaxat ex parte objecti: immò expressè asserit, quòd illi dies fuerunt unus dies; & manifestè innuit, hanc unitatem se tenere ex parte cognitionis, duntaxatque ex parte objecti multiplicari, ut patet ex testimonio ejusdem num. 321. allegato, illis verbis: *Et quia ceteræ creature, que infra ipsum fiunt, sine cognitione ejus non fiunt; propterè, nimirum, idem dies ubique repetitur, (nota, idem dies) ut ejus repetitione fiant tot dies, quotiens distinguuntur rerum gene-*

ra creatarum, perfectione senarij numeri terminanda. Ergo unicum diem adstruit Aug. P. in prima rerum institutione, & illius repetitione multiplicat dies, à Moysè initio Genesis memoratos. Ergo ex illo multiplicantur dies creationis mundi, in ordine ad quod sit repetitio illius unius diei; sed repetitio illius diei sit ab Augustino P. in ordine ad sex generarum rerum creatarum, quæ objectivè comparantur ad cognitionem matutinam, & vespertinam, diem illum, secundum Augustinum, constituentem: ergo non subjectivè, & ex parte cognitionum distinguuntur, & multiplicantur illi dies, sed objectivè, & ex parte rerum creatarum. Idem colligitur ex verbis Augustini P. nuper relatis: *Simul hoc totum possint:: simul ergo habent & diem, & vesperam, & mane.* Ubi nota, S. Doct. non dixisse Angelum simul habere dies, sed diem; profectò ut innuat unitatem illius diei subjectivè, & quoad formalia ipsius constitutiva.

386 Angel. P. pluribus in locis ad hunc sensum intelligit Augustinum P. ut videre est i. p. q. 74. art. 2. in corp. his verbis: *Et sic distinguitur dies secundum naturalem ordinem rerum cognitarum, non secundum successionem cognitionis, aut secundum successionem productionis rerum.* Et q. 4. de pot. art. 2. in corp. inquit: *Ideò consequenter ponit, quod per omnes illos septem dies, unus dies intelligatur, ipsa, scilicet, Angelorum cognitione, & numerus ille ad rerum cognitarum distinctionem pertineat, magis quam ad distinctionem dierum.* Et ibi ad 7: *Dicendum, inquit, quod solutio patet ex dictis: quia dies illi non distinguuntur secundum distinctionem angelica cognitionis, sed penes distinctionem primorum operum ad cognitionem angelicam relatorum.* Et ita distinctione operum, & non distinctione cognitionum, facit distinctionem illorum dierum; & ita illi sex dies distinguuntur secundum quod lumen mentis angelicae sex generibus rerum cognoscendis applicatur. Idem docet S. D. ubicumque rem hanc versat. Ergo in casum jaciuntur contra Augustinum P. illa omnia argumenta, quæ probare contendunt, quod in Angelis, sive superioribus, sive medijs, vel inferioribus, non possunt, nisi divinando, assignari sex cognitiones in ordine ad sex genera rerum primitus producta, ad constituendos sex dies creationis mundi. Neque enim Augustinus P. neque fidelissimus ejus

ejus interpres D. Thomas, ad hujusmodi multiplicationem cognitionum angelicarum pro illis diebus distinguendis, vel multiplicandis confugiant; quinimò expressè contrarium asserunt. Hinc etiam colliges, quòd ad rem non pertinet, quòd dies ex Augustino P. in omnibus Angelis sanctis, & spiritibus beatis constituantur, ac per consequens tot sint matutinæ, & vespertinæ, quot sunt Angeli boni, ac spiritus beati; ut exinde inferas, quòd tot sunt dies, quot Angeli beati, ut contendebat argumentum, quod verbis nuper relatis solvit Angelicus P. Non, inquam, obest; quippè illa distinctione omnino materialis est: Quod enim de formalí se habet in ordine ad constituendum diem, est quòd res creatæ menti angelicæ, tum per medium increatum, tum per speciem creatam præsententur; huic autem negotio omnino accedit, quòd sunt plures Angeli, quibus creaturæ in Verbo, & extra ipsum manifestentur.

387 Tertiò oritur difficultas ex præmissis. Diximus enim suprà, quòd vespera primi diei præcessit mane; in reliquis autem diebus è converso matutina cognitione vespertinam prævivit, ut expressè docet Augustinus P. num. 321. relatus, ibi: *Mane autem post vesperam hanc, quo concluditur dies unus, & inchoatur secundus &c.* Et infra: *Deinde fit vespera illius lucis, cum ipsum firmamentum non in Verbo Dei, sicut antè, sed in ipsa ejus natura cognoscit.* Ubi, si premas illa verba, mane, quo concluditur dies unus, & inchoatur secundus: &, deinde fit vespera, cum firmamentum in ipsa ejus natura cognoscit, manifestè inferes, quòd secundus dies incipit à mane, & terminatur vespere; ergo matutina in illa die prior est vespertina secundum Augustinum P. Et 2. de Gen. ad lit. cap. 8. ait S. P. quòd sanctis Angelis suis prius Deus ostendibat, quod erat deinceps creaturus. Et alibi: *prius ea vidit in Verbo Dei;* ergo idem quod prius.

388 Statuta ergo hac differentia, arguit contra illum Exim. Doctor lib. 1. de Opere sex dier. cap. 11. num. 38; quòd *Angelus in primo instanti creationis sue, non solum unusquisque seipsum, sed etiam omnes alios, nec solum alios spiritus, sed etiam cœlos, & alia corporalia actu contemplari potuerunt, unusquisque secundum suam virtutem, & species, quas in eodena instanti, & prius etiam natura, quam in actum*

aliquem cognoscendi prodirent, acceperunt. Ergo in illo instanti habuerunt cognitionem vespertinam non tantum sui, sed etiam aliorum Angelorum, & corporum. (Sistamus hic tantisper, & examinemus, num consequenter hoc ad dicta ab ipso Suario ibi num. 35. afferatur; ibi enim arguit contra Augustinum P. objectione ex ipso num. 362. proposita, qua in summa contendit, quod Angelus simul non potest omnia ab ipso nuper recensita, nec una, nec multipli cognitione contemplari; hic ex opposito arguit contra Augustinum P. ergo videtur, quod minus consequenter contra Augustinum P. procedit.) Et simili modo sancti Angeli in secundo instanti (prosequitur Exim. D.) non tantum cognitionem sui, sed etiam omnem aliam cognitionem creaturarum, quam habebant, in laudem Dei retulerunt: ergo prius etiam tempore, & natura habuerunt vespertinam cognitionem omnium rerum, quas postea viderunt in Verbo; ergo non magis in primo die antecessit vespertina cognitio, quam in ceteris diebus. Et infra num. 39. ait: In alijs vero diebus ordo, quo dicitur matutina cognitio præcedere, non satis appetet, qualis sit, nec in qua causalitate fundetur; nam cognitio vespertina etiam quoad opera aliorum dierum naturalis est, & quantum est ex se, prior est cognitione supernaturali, præsertim matutina, ut explicavi. E contrario vero in nullo genere causæ præter finalem, dici potest esse effectus cognitionis matutine, quia non consequitur ad illam, sed ad principia naturæ, nec matutina disponit ad vespertinam, sed potius e converso. Hæc ibi Exim. Doctor.

389 Hoc argumentum jam supra num. 310. sufficienter enodavimus: ibi, & num. sequenti dicta vide. Et ulterius declaratur solutio ex verbis D. Thomæ, num. 307. relatis, ubi respectu unius & ejusdem rei priorem esse docet matutinam vespertinam, prout attenditur in cognitione ordo respectu rerum cognitarum; hic autem ordo ex parte rerum cognitarum est penes primordiale, & ultimatum esse rei, ut ex eodem S. D. num. 275. dictum est, ibi: *Cognitio ipsius primordialis esse rei dicitur cognitio matutina: & hæc est secundum quod res sunt in Verbo. Cognitio autem ipsius esse rei creatæ, secundum quod in propria natura consistit, dicitur cognitio vespertina. Nam esse rerum sicut à Verbo, sicut à quodam primordiali principio: & hic effluxus terminatur ad esse*

Verum, quod in propria natura habet. Unde ad argumentum dicimus, quod quando Augustinus P. dicit, matutinam in ceteris diebus post primum, praecedere vespertinam ordinem naturae, intelligendus est de Angelis jam glorificatis, ut num. 310. ex ejusdem verbis collegiavimus. Et hujusmodi prioritas in matutina respectu vespertina attenditur penes ordinem cognitionum ad res cognitas, secundum quod primordiale esse rei prius est in Verbo, in quo matutina, res cognoscit, quam in propria natura, in qua vespertina creaturas contemplatur. Certe ante glorificationem Angelorum, praeferunt in secundo instanti, fuerunt omnia requisita ad cognitionem vespertinam, & quoad rationem cognitionis, & quoad rationem vespertina ut sic; hoc est, cognition per medium creatum omnium creaturarum, & relatio in laudem creatoris: proindeque vespertina omnium dierum, quoad substantiam; ceterum cum adhuc non esset in Angelis prima cognition matutina, scilicet visio firmamenti in Verbo, quae est primae diei terminus, & secundae diei initium; consequenter nec vespertina secundi diei, tertij, &c. formaliter ut talium.

390 Ut enim assignetur vespertina secundi diei, & reliquorum, necesse est, juxta praemissa circa matutinam, & vespertinam cognitionem, quod primus dies supponatur perfecte absolutus; neque enim potest secundus vesper designari, quin primus praecesserit; ut enim s. praecedentia dictum est, haec nomina primus, secundus, tertius &c. ordinaria sunt. Unde non defectu alicuius intrinseci in ratione cognitionis, nec defectu relationis, dicitur, quod vesper secundi, & reliquorum dierum non praefessit mane, sed defectu ordinis numeralis; quia, inquam, adhuc in primo, & secundo instanti Angelorum non erat unicus ille dies, sub quo numeranda essent vespertina, & matutina cognitiones: propterea, sicut nondum erat primus, & secundus dies, ita nec secundus, nec tertius vesper. Adveniente autem matutina, seu visione beata, cum Angelus videat res secundum esse primordiale, & ultimatum simul, respectu rerum cognitionum prius dicitur mane, quam vesper, quia objectum matutina est secundum primordiale esse rei in Verbo; & vespertina, secundum ultimum esse ejusdem in propria natura. Unde sicut Augustinus P. versans illud: *Qui mane rapit*

prædam, ad vesperam dividit aetas, inquit: Mane, & vespere posita sunt pro eo, ac si diceretur, prius & postea; sic in cognitione relatè ad objectum, mane & vespere posita sunt pro eo, ac si diceretur, prius & postea.

391 Quare autem mane non habeat primus dies, ac per consequens, primum vespere non sit posterius natura ad matutinam cognitionem, §. præcedenti fusè dictam est: ibi dicta vide, & præcipue quod præsens spexit num. 311. Patet etiam ex his soluto ad id, quod num. 39. citato addit. Exim. Doct. in quo nimis consistat ordo iste prioritatis, & in qua causalitate fundetur? Dicimus enim, quod prædictus ordo attenditur ex parte rerum cogitarum, ut ex D. Thoma explicavimus, non ex parte cognitionum, licet in his sit etiam ordo supra explicatus. Unde non est ordo causalitatis ex parte cognitionum, sed ordo essendi ex parte objecti, & secundum causalitatem, & effluxum à primo omnium Artifice, & terminationem hujusmodi processus in propria natura.

392 Aliud inconveniens deducit Exim. Doctor ibi num. 40. contra formationem dierum Angelorum ex eo, quod juxta discursum Augustini vix intelligitur, quando consummatur singuli dies; nam de primo ait incipere à vespertina, quæ interveniente relatione in laudem creatoris ascendet in mane. Quod si hoc ita est, vel secundus etiam dies incipiet à vespere, & terminabitur per mane, & sic usque ad sextam, ac subinde etiam septimus dies incipiet à vespere, quod Augustinus negat 4. lib. de Gen. ad lit. & sèpè alibi. Vel dicendum erit, in eodem mane, in quo primus dies consummatur intrinsecè, incipere secundum diem per cognitionem matutinam firmamenti, seu operis secundi diei, & consequenter secundum diem finiti in cognitione vespertina ejusdem operis, vel ut jam relata in laudem creatoris, vel secundum se expectata: ac subinde quod per relationem operis secundi diei, idest, firmamenti cogniti per vespertinam cognitionem ejusdem diei, tertius dies jam incipiat, & ad meridiem perveniat per matutinam cognitionem operis ejusdem diei, & in ea consummetur. Utrumque enim horum videtur habere inconveniens, videlicet, quod simul compleatur primus dies per matutinam cognitionem

lucis, & incipiat secundus dies per matutinam etiam cognitionem firmamenti: nam sive illæ duæ cognitiones matutinæ intelligentur omnino simul sine ullo ordine, sive cum aliqua prioritate, & ordine, non rectè cohærent, vel coordinantur. Item, quia alias dies secundus sine relatione sui operis in laudem Dei pertransivit, si talis laus ad initium tertij diei jam pertinet, vel si ad vitandum hoc inconveniens dicitur, in illo terminari intrinsecè secundum diem, jam ille secundus dies incipiet intrinsecè à mane, quo prima dies consummatur, & finietur intrinsecè in altero mane, quo inchoatur tertius dies, quod etiam prosequendo metaphoram, monstrorum videtur.

393 Respondeo, quod hoc inconveniens in falso supposito fundatur; quod, scilicet, primus dies, qui certè à vespere in doctrina Augustini P. quin & Moysis, incipit, habeat mane in quo terminetur, tamquam in parte constitutive primum diem per modum matutinæ cognitionis primi operis, nempe lucis; quod patet ex illis verbis Eximij Doct. quod simul compleatur primus dies per matutinam cognitionem lucis. Hoc autem negandum est in principijs Augustini P. & D. Thomæ, ut suprà à num. 330. fusè ostensum est. Vide dicta num. 332. & deinceps, principiū num. 339. Quo præmisso, dicendum est: quod certè primus dies incipit à vespere, propter rationes in formatione dierum ex Augustino P. & D. Thoma assignatas; (sic etiam incipit Moyses numerare dies creationis mundi: unde in hoc magis se accingit Augustinus P. narrationi Moysis.) Et hoc vespere terminatur ad mane: non quidem, quod sit matutina cognitio primi diei; sed ad mane, quod sit cognitio matutina secundi diei, hoc est firmamenti in Verbo, ut ex Augustino P. num. 330. dictum est. Hoc autem mane est terminus primi diei, non in ratione partis diei, hoc est in ratione cognitionis matutinæ, sed eo modo quo nunc nostræ temporis est terminus partis præteritæ, & initium futuræ, quo exemplo utitur Angelicus P. suprà citatus num. 307. & alibi. Unde primus dies non terminatur intrinsecè in illo mane tamquam parte diei primi, sed tamquam termino continuativo primi diei cum reliquis subsequentibus. Cur autem in ceteris diebus invertatur ordo penes hoc, quod mane

in illis sit prius vespera, nuper deditus ex D. Thoma. Cur vero septimus dies vesperam non habeat, diximus ex Augustino P. in formatione septimi diei.

394 Inceptio ergo, & terminatio dierum, secundum præmissa in formatione dierum, sic assignanda est: Primus dies incipit à vespere, hoc est, à vespertina cognitione Angelii, qua se in ordine naturali cognito, & etiam ut gratia ornato, refert se in laudem creatoris ex propria electio-ne: & hic dies in ordine ad Angelum in hac cognitione clauditur; quippe licet se in Verbo cognoscatur, tamen naturali ordine in Angelo hæc cognitio posterior est ad sui cognitionem utroque modo jam dicto; pròptereaque hæc cognitio sui in Verbo non constituit mane primi diei; quia mane, in ordine ad idem opus, naturali ordine præcedit vesperam, ut supra ex D. Thoma dictum est. Licet ergo illud vespere terminetur ad mane, hoc mane terminativum illius primæ vespere, est mane secundi diei, quod est continuativum illius vespere in ratione termini, & simul pars secundi diei in ratione principij ejusdem. Unde secundus dies incipit à mane, & terminatur in vespera ejusdem diei, & ex relatione illius operis secundi diei, nempe firmamenti, accipit mane tertij diei, quod sit principium illius, & hic terminatur in vespertina ejusdem; & sic usque ad septimum diem, hoc est, cognitionem quietis Dei in se, & beatitudinis ejusdem, cuius cognitio sequitur ad relationem in laudem Dei cognitionis operis sexti diei; in quo sanè nullam metaphoram, nec monstrositatem invenio, nec, quod magis est, D. Thomæ tanta pollens perspicacitate, unquam reperit.

395 Argues præterea ex eodem aliud inconveniens; quod nempe ex matutina secundum Aug. P. posita in visione beata, non possunt multiplicari dies per ordinem ad sex genera rerum; cum ex parte rerum cognitarum nulla ratio talis distinctionis, ordinis, aut numeri dari possit. Cum enim inquit ibi num. 37. firmamentum factum secundo die, dicatur esse cœlum, in quo sunt stellæ, & non possit videri cœlum in Verbo, non visis stellis; cur matutina cognitione harum rerum in dyas, & interposita cognitione maris, & terræ ab aquis discopertæ, fuisse in illa metaphorica narratione divisa? Eademque difficultas in cognitione vespertina considerari

poteſt, maximè cùm opera illorum dierum, quoad cognitio-
nem in proprio genere nullam habeant connexionem, nec
dependentiam, nec ex ſe poſtulent unam vel plures cognitio-
nes; ſed juxta virtutem cognoscentis, & media, ſeu species,
per quas cognoscit, ſimul, & ſine ordine temporis, vel na-
turæ, cognosci poſſunt.

396 Confirmatur hoc ex eodem ibi num. 41. Quia,
inquit, juxta illam quaſi parabolam, vel metaphoricam in-
terpretationem, nulla conveniens ratio numeri, & ordinis
ſex dierum dari poſteſt: nec ſeptima dies poſteſt commo-
de explicari. Probatur primum, quia Auguſtinus nullam
aliam reddit rationem, niſi perfectionem ſenarij numeri; vel
quia ſex ſunt gradus, ſeu ordines rerum cognitarum. At neu-
tra ratio ſatisfacit. Non prima, quia alij ſunt numeri, vel
æquè, vel magis perfecti, ut denarius &c. Præterquamquod
non ſufficit numerum eſſe perfectum, ut rebus numeratis tri-
buatur, niſi in rebus iplis verum ſupponatur fundamentum,
quod hic non invenitur, ut patebit alteram rationem refu-
tando. Quod ex parte jam fecimus. Nam ſi firmamentum
factum ſecundo die fuit verum cœlum octavum, aut nonum,
tertè alij cœli planetarum, & aſtra ipli, Sol, Luna, & ſtel-
la non ſunt res alterius generis, vel ordinis inter ſe: er-
go in talibus rebus non erat fundamentum numerandi ta-
les dies. E contrario verò volatilia, & aquatilia non minùs
diſtinguuntur inter ſe, quam à brutis terrefribus; & ho-
mo plus diſtat ab hiſ omnibus, quam omnia illa inter ſe, cùm
ſit ſecundum differentiam ultimam excellentioris ordinis:
Cur ergo cognitione matutina volatilium, & aquatilium ſimul
in uno die ceuſetur, & cognitione matutina brutorum terref-
rium intelligitur posterior, & in diſtincta die? Vel cur cogni-
tio matutina hominis non multo magis per ſe conſtituit no-
vum diem, diſtinctum à cognitione brutorum, quam horum
cognitione à volatilium cognitione matutina ſeparetur? Atque
hinc probatum relinquitur ſecundum punctum de ordine.
Et addit præterea, quod ſicut Angelii, quia ſunt excellentiſſi-
ma creature, conſtituant, vel pertinent ad primum diem;
ſtando huic rationi, per ordinem ad hominem, qui magis ac-
cedit in perfectione ad Angelum, deberet conſtitui ſecundus
dies.

397 Tertium denique membrum argumenti de septimo die sic probat: Quia si isti dies distinguuntur per repetitionem ejusdem cognitionis matutinæ in ordine ad varia opera Dei; ad numerandum septimum diem, necessarium est alsignare opus septimum, distinctumque ab operibus sex dies rum, in cuius cognitione septima dies posita sit: & cum secundum Augustinum illa dies non habeat vesperam; oportebit, ut illud opus per vespertinam cognitionem non cognoscatur. At nihil horum dici potest probabiliter: ergo juxta illos analogicos dies non potest septimus dies numerari.

398 Respondeo, negando antecedens. Ad probationem dico, quod per firmamentum secundo die factum, nec dum significatur cœlum, in quo sunt stellæ, verum omnes cœli quoad formationem eorum, ut art. 3. concl. 2. fuisse ex Augustino P. ostiensum est. Et concedo, quod cœli non videantur in Verbo, quin simul & stellæ in ipso videantur: nec tamen ex hoc sequitur, quod matutina cognitione luminarium pertineat ad cognitionem matutinam cœlorum, seu firmamenti. Pro cuius declaratione sciendum, quod Augustinus P. dividit, & multiplicat dies objectivè, & ex parte creaturæ, eo ordine, ac distributione, qua à Moysè declarantur opera primæ institutionis rerum à Deo emanasse. Ordo autem, & effluxus rerum in principio, à Moysè descriptus, est, quod primò processerunt à Deo suprema, & Angelica creatura, & materia prima omnium corporalium: Quarum prima ratione suæ cœlitudinis, & sublimitatis, nomine cœli fuit significata: secunda verò nomine terræ, aquæ &c. ut supra art. 3. dictum est. Unde Aug. P. 12. confess. inquit: *Duo fecisti Domine ab initio: unum pro te, scilicet, Angelum: & aliud prope nihil, nempe, materiam primam.* Et ibidem: *Nonne tu docuisti me, quod priusquam istam informem materiam formares, non erat aliquid, non color, non corpus, non figura, non spiritus, non tamen omnino nihil; erat enī quædam informitas sine ulla specie.* Unde rectè intelligitur, quod Sapientia 11. dicitur: *Qui fecisti mundum de informi materia.* Vide congruentias hujus intelligentiæ, art. 3. jam citato.

399 Creatis igitur primo loco, Angelo, (prior enim omnium creata est Sapientia) & materia prima (fecit enim Deus mundum ex invisa materia, prius autem est illud ex quo ali-

aliquid sit, quam quod inde sit) ut Scriptura Scripturam S. exponendo, intelligit August. P. prima verba Moysis: *In principio creavit Deus Cælum, & terram*, prosequitur sacer historiographus Moyses, & notificat primo loco formationem primæ, & supremæ creaturæ per productionem lucis; per quod intelligitur Angelus per gratiam illuminatus, ut suo creatori casto amore adhæreret. Deinde ordine, quem conspicimus corporalia inter se habere, designat Moyses formationem, & ornatum eorum: formationem quidem cœli primò, per productionem firmamenti: formationem verò elementorum per congregationem aquarum, & apparitionem ardorū: & in hoc opere consummatur partium Universi constitutio, quoad eorum esse, formationem, & distinctionem. Postmodum autem in ultimo triduo designatur partium Universi ornatus, ordine, quem servant inter se: Primò ornatus cœlorum, per productionem luminarium: deinde partis mediæ Universi venustatio, per volatilia, & natatilia: & demum pars infima decoratur, per animalia terrestria, & hominem.

400 Observandum est etiam, quod licet hæc omnia (deemptis mixtis) simul ab initio fuerint actu, & in se produc-ta, ut art. 3. ostensum est, tamen ordine se habent inter se, ut ibid in dictum est: sive prius intelligitur in Angelo esse ejus naturale, quām gratia ipsi ab initio infusa: & similiter in corporibus, prior natura est materia prima, quām ejus forma-tio; & hæc prior est, quām ornatus, & venustas. Hinc jam pa-lam deducitur, cur cogitatio luminarium, & stellarum in Verbo, non pertineat ad matutinam cognitionem Angeli, qua in ipso Verbo videt firmamentum; cum enim Angelus videat creature in Verbo, tamquam supremo earum Artifice, ut ab ipso siendas, & secundum ordinem sapientiæ, quo ab ipso emanabunt, & habebunt inter se esse: & creature prius habi-turæ sint suum esse substantiale per proprias ipsarum formas, quām ornentur, & venustentur proprio decore: & aliunde lu-minaria sint ornamenta cœlorum; propteræ prius natura in-telligitur in visione beata Angeli, res in Verbo ordine quo siendæ sunt cognoscens, terminatio ad formationem cœ-lorum, per productionem firmamenti indicatam, quām ad luminaria, quæ sunt ornamenta ipsorum: & prius etiam ter-minatur ad formationem elementorum; quia opus formatio-

nis omnium partium Universi, naturali ordine præcedit opus ornatus cuiusvis partis ejusdem. Convenienter ergo in visione beata Angeli, res in Verbo cognoscentis relatè ad ordinem, quo ab ipso Verbo in auras lucis hujus prodituræ sunt, priùs intelligitur terminatio ad formationem firmamenti, & cœlorum omnium, quām terminatio ad luminaria, quæ sunt ornamenta eorum; & priùs etiam terminatio ad formationem elementorum, quām ad luminaria; quippe opus ornatus supponit plenè absolutum opus formationis, cui superaccrescit ornatus. Patet ergo cur in sententia Augustini P. cognitio luminarium in Verbo non pertineat ad matutinam cognitionem firmamenti. Et etiam ex parte vespertinæ relatè ad objectum cognitionis idem ordo consideratur, sive sit cognitione vespertina una numero, sive plures; ut enim ex utroque SS. Doctore suprà dictum est, distinctio dierum non attenditur penes distinctionem cognitionum; sed secundum ordinem primorum operum Dei, ad cognitionem matutinam & vespertinam Angeli relatorum.

401 Ad confirmationem imprimis dicimus, quòd gratis, & sine ullo fundamento asseritur parabolica, & metaphorica interpretatio Augustini P. tunc enim esset metaphorica, cùm procederet secundum translatitiam vocum à propria ad impropriam significationem earum acceptiōnem; longè autem aliter fit interpretatio Augustini P. ut ex dictis art. 2. & 3. & sèpè in discursu opusculi constat. Utrum autem sic exigentia in litera, ut lucem, diem, & vesperam, &c mane Gen. 1. secundum significationem ab Augustino P. intentam, accipiamus, s. sequenti discutiemus.

402 Insuper, antecedens confirmationis quoad omnes ejus partes negandum est. Ad probationem concedimus, quòd Augustinus P. sèpè recurrit pro numeratione sex dierum ad sex classes, & ordines rerum, in senario primo perfecto numero comprehensas: Convenientissimè sane; quoniam ut ipse 11. de Civit. Dei inquit: *Numeri ratio contemplanda nequaquam est, quæ in multis sacrarum Scripturarum locis, quām magni sit assimanda, elucet diligenter intuentibus. Nec frustra in laudibus Dei dictum est: Omnia in mensura, & numero, & pondere dispositi. Quia ergo omnia in numero à supremo conditore facta in Scriptura S. legimus,*

consideratione dignus est numerus operum Dei in principio; laudabiliterque scrutatur ab Augustino P. ratio senarij numeri, in quo est comprehensa fabrica hujus mundi. Et quod in oppositum assumitur hic à Suario, solutum est suprà numero 328. Quibus addendum est, quòd omnis operatio, saltim ex parte effectus, semper habet mensuram, & numerum: ergo prima opera perfectissima Dei, in mensura & numero disposita, habent mensuram, & numerum primum perfectissimum. Unde sicut Philosophus 2. de cœlo & mundo probat, quòd primum corpus debet habere primam figuram, scilicet sphæricam, dicens: *Primo corporum prima figurarum correspondet: ergo cœlum superius, est sphæricum: Sic, & nos deducimus: Prima opera Dei in numero & mensura sunt disposita; sed primus numerus perfectus est senarius: ergo prima opera Dei, in primo numero senario perfecto continentur.*

403 At, inquit Exim. D. debet esse in rebus verum fundamentum, ut ipsis prædictus numerus perfectus, præ alijs perfectis etiam, adscribatur: quod non est assigabile in sententia August. Parentis: & probat primò, ex eo quòd firmamentum, quod est cœlum octavum, & alij cœli planetarum, & Sol, Luna, & stellæ, non sunt res alterius generis. Respondeo, quòd unitas, vel diversitas alicujus classis, vel generis rerum prima institutionis mundi, non est pensanda penes quamlibet unitatem, vel distinctionem rerum, sed duntaxat penes opus creationis, distinctionis seu formationis, & ornatus vel venustationis. Quæ doctrina etiam ipsis Adversarijs familiaris est. Et videri potest in D. Thoma 1. p. pluribus in locis, sed latius q. 70. art. 1. & in Exim. D. lib. 2. de op. 6. dierum in principio num. 2: licet ibi omnino non quadret ipsi hujusmodi divisio, quatenus censet, quòd non distinguitur perfectè & omnino opus distinctionis ab opere ornatus, qui etiam sit distinguendo; concedit tamen ibi ad finem, quòd ratione & habitudine distinguantur illa duos; nam ornatus dicitur per habitudinem ad rem, quæ formatur, seu perficitur: distinctio verò est quasi relatio consequens habitudinem ad alia; quod sufficit ad nostrum intentum.

404 Ex hac doctrina infero sic ad propositum: Ergo distinctio operum Dei in prima rerum institutione, & divisione

visio eorum , & dierum ad ipsorum productionem deputatio, fienda est penes ordinem rerum inter se , quantum ad opus creationis , distinctionis , & ornatus . (Nota , quod operi creationis nec Scriptura S. nec Augustinus P. strictissimus litterae sectator , diem adscribunt .) Ergo secundum quod conveniunt , vel differunt aliqua penes formationem seu distinctionem , & ornatum , consideranda est unitas , vel differentia operum Dei in prima rerum institutione . Atqui quantum ad hoc pulcherrime , & conformiter ad narrationem Moysis , & habito fundamento ex parte rerum , numerat Augustinus P. sex classes , & ordines rerum in prima mundi institutione ; dividit enim Universum in tres partes , supremam , nempe Angelicam naturam : medium , scilicet , corpora cœlestia ; & infimum , nempe , elementa : & horum trium formationi deputat tres primos dies ; primum formationi Angeli : secundum formationi colorum : tertium formationi elementorum : & similiter ordinatisimè distribuit ornatum partium Universi in ultimo triduo , destinando quartum diem , ornati partis supremæ mundi corporalis , scilicet , colorum : (Angeli ornantur , & formantur simul per dona gratiæ .) Quintum , ad venustationem partis mediae , per aquatilia , & volatilia : & sextum denique , ad ornatum partis infimæ , per animalia terrestria , & hominem ergo cum fundamento in re , ad sex classes reducit Augustinus P. opera primitus à Deo producta ; quippe omnia recensita , in sex diebus à Moysè intelligit suisse indicata , ut fusè art. 3. ostensum est .

405 Ad primam probationem in contrarium dicimus , aliud genus , & ordinem constituere opus firmamenti , ac opus luminarium ; primum enim significat formationem cœlorum ; secundum autem , ornamentum ipsorum : quæ duo saltim ratione , & habitudine differunt , ut ex Suario dictum est . Unde licet in ratione corporum cœlestium incorruptibilium unum genus constituant ; tamen in consideratione prædicta , ad diversam classem rerum primæ institutionis spectant . Ad secundam probationem dicimus , quod volatilium , & aquatilium distinctio , ad rem non pertinet , ut distincti dies deputentur eorum productioni ; quoniam ut dictum est , quod in rebus aliquam classem , & ordinem Uni-

versi principaliter quantum ad praesens constituit, est quod convenient in aliqua mundi parte formanda & distinguenda, vel ornanda: pisces autem, & aves adunantur ad ornandum partem medium mundi corporalis, scilicet, aquam, & aërem: unde quantumcumque inter se differant ad invicem comparata; in ordine ad partem, quam perficiunt, & venstant, unum aliquod genus constituunt. Solutio patet ex D. Thoma q. 4. de pot. art. 2. ad 34. ubi ait: *Productio animalium recitatatur solum secundum quod sunt in ornatum partium mundi: & ideo dies productionis animalium distinguuntur solum secundum hanc convenientiam, vel differentiam, qua convenient, vel differunt in ornando aliquam partem mundi: ignis autem, & aer, quia non distinguuntur a vulgo, inter partes mundi non sunt expressè nominata à Moyse, sed computantur cum medio, scilicet aqua, maxime quantum ad inferiorem aeris partem. Ideo avibus, & piscibus, quæ pertinent ad ornatum aquæ, & aeris quantum ad inferiorem hujus partem, quæ convenit cum aqua, deputatur una dies.* Hac D. Thomas, ex quibus patet solutio, & simul præcavetur replica, quæ poterat fieri ex eo, quod aëris est pars distincta ab aqua &c.

406 Potest etiam dici ex D. Thoma ibi, quod pisces, & aves convenient multum inter se, quantum ad materiam, ex qua fiunt; quia dicuntur constare ex aqua: pisces quidem quantum ad id, quod in ipsa aqua spissius est: aves autem, quantum ad id, quod in ea subtilius est, quod quidem in vaporem resolutum, est quasi medium inter aërem, & aquam: & propter hoc aves in aera elevantur, & pisces gurgiti remittuntur. Unde in hymno Ecclesiæ, fer. 5. sic canitur:

ஓ ଓ ଓ	<i>Magnæ Deus potentie,</i>	ଓ ଓ ଓ
ଓ ଓ ଓ	<i>qui fertili natos aqua,</i>	ଓ ଓ ଓ
ଓ ଓ ଓ	<i>partim relinquis gurgiti,</i>	ଓ ଓ ଓ
ଓ ଓ ଓ	<i>partim levas in aera.</i>	ଓ ଓ ଓ

Cum ergo animalia deputentur diversis diebus, vel uni, secundum unitatem, vel diversitatem materiae, ex qua corpus eorum producitur: quia pisces, & aves ex aquis ortum ducunt, propterea unum genus constituunt, & una dies deputatur productioni eorum.

Idem

407 Idem dicendum de animalibus terrestribus, & homine; convenienter enim in ornanda infima parte Universi, nempe terra: & hoc principaliter attenditur ad constitutendum aliquod genus, vel classem rerum Universi, relate ad dies pro illis computandos, non autem dignitas, & perfectio entitativa rerum, ut docet Angel. Præcept. ibi ad 33. dicens, quod *productio horum animalium cum pertineant ad ornatum partium Universi, ordinatur secundum ordinem illarum partium, que eis ornantur, magis quam secundum propriam dignitatem*. Et sanè discere velle ab Adversarijs, quem ordinem statuant inter animalia, ut quædam ex illis ad quintum diem pertinere dicantur, quædam vero ad sextum: Quoniam manifestum est, quod ab illo, qui cuncta ordine & in sapientia dispositus, animalia etiam quædam quanto diei, quædam sexto, ratione alicujus ordinis deputata sunt. Quis ergo est iste ordo, ratione cujus quædam ad sextum diem, quædam ad quintum pertinent? Quoniam si ad invicem comparentur, valde inter se distare invenientur, quin, & magnam pugnam, & anthypatiam habere: Si autem ad hominem certe omnia illi subjiciuntur, ad ipsumque, tamquam omnium Principem, & Dominum, ordinantur: Exterum ex hoc infertur, quod eodem die cuncta animalia ante hominem producerentur, utpote ad ipsum ordinata: quod cum è converso acciderit, consequens est, quod animalium productioni non deputatus unus, vel diversus dies, secundum ordinem, quem habent ad invicem comparata, nec relate ad hominem considerata. Restat ergo, quod in illis, quantum ad præsens, solum attenditur ordo, & convenientia in ornando partem aliquam mundi. Patet consequentia; quia illa opera sunt opera ornatus: ergo unitas in illis attenditur penes munus ornandi, & secundum ordinem sub hoc manere importatum; sed ordo iste in opere ornatus specificatur, dividitur, & multiplicatur à termino ipsius, id est, à re ornata: ergo secundum divisionem partis mundi, quæ ornatur, distinguendum est opus ornatus. Hinc homo quamvis natura præstans, & dignitate cunctis terrestribus animalibus eminens, quia opus ornatus terræ est, sicut illa, propterea unum opus ornatus facit cum ipsis.

408 Unde stante prædicto ordine inter opera dis-

sinc-

tinctionis, & ornatus, liquidò constat, cur cognitio luminarium in Verbo, non pertineat ad matutinam cognitionem firmamenti. Patet etiam ratio, quare diversitas aquatilium, & volatilium non constitutat diversum genus operis ornatus, ad distinctam maturinam, vel vespertinam cognitionem pertinens. Et similiter homo non ponit in numero cum animalibus terrestribus, quantum ad constituendum ornatum terræ. Cùm ergo matutina in Verbo, & vespertina extra ipsum, terminentur ad opera primæ institutionis rerum, secundūm ordinem, quem ipsa in constituendo Universo inter se habent; & illa tum in opere distinctionis, tum ornatus (quibus duntaxat in Scriptura S. adscribuntur dies) sex genera rerum persicant, suprà ex Augustino P. explicata, & inter se mirificum ordinem, etiam jam declaratum, servantia; hinc est, qād in sententia Augustini P. ordo, & ratio senarij numeri cum fundamento ex parte objecti convenientissimè designatur, & ratione illius in matutina & vespertina sex terminations ad sex genera rerum, ordine se se consequentia, distinguuntur; proindeque dies ex parte rei cognitæ multiplicantur ordine, & in hac multiplicatione senarium numerum non excedunt. Ultimum membrum argumenti Suarij jam suprà à num. 345. discussum est, & præcipue num. 351.

409 Teta superiùs tradita doctrina fundata est in Augustino P. 4. de Gen. ad lit. cap. 2. ubi ordinem, & correspondentiam primorum operum Dei ad senarium primum perfectum numerum, sic explicat, dicens: *Magis autem in istum numerum intentus fio, cùm considero etiam ordinem operum ipsorum. Sicut enim idem numerus gradatim partibus in trigonum surgit; nam ita se sequuntur unum, duo, tria, ut nullus alius interponi possit, quæ singula senarij sunt partes, quibus constat, unum sexta, duo tertia, tria dimidia: ita uno die facta est lux, duobus autem sequentibus, fabrica mundi hujus: uno, superior pars, id est firmamentum; altero, inferior, id est mare, & terra. Sed partem superiorem nullis animalium alimentis ditavit, quia ea non ibi producturus erat; inferiorem verò, plantis, & necessarijs animalium cibis ornavit, qui eorum victrici deservirent. Reliquis verò tribus diebus ea creata sunt, quæ intra universitatem istam visibilem visibilia suis congruis motibus agerentur: Primò in firmamento luminaria, quia prius*

erat factum firmamentum: Deinde in inferiori animantia, sicut ordo ipse poscebat, uno die aquarum, alio terrarum: Quapropter cum eum legimus, sex diebus omnia fecisse, & senarium numerum considerantes, invenimus esse perfectum, atque ita creaturarum ordinem currere, ut etiam ipsarum partium, quibus iste numerus perficitur, appareat quasi gradata distinctio. Hac Augustinus P. quæ si attente consideres, invenies, cum fundamento in re sex ordines, & classes rerum, ad primum senarium perfectum numerum correspondentes, in primis operibus Dei ipsum excogitasse, seu potius sex genera rerum Mosaicæ narrationis, senario numero accommodasse.

410 Argues deinde ex eodem Mag. Suarez ibi num. 34. Nam vel lux facta primo die, simul est facta cum cœlo, & terra, vel post aliquam moram realis durationis, & successio- nis? Si primum dicatur, sequitur, Angelos in primo instanti sua creationis fuisse beatos, quod doctrinæ Augustini in alijs locis repugnat. Et probatur sequela, nam Augustinus vult, lucem factam primo die esse vel naturam angelicam, vel lu- men gloriae illi collatum, vel utrumque: nam esse naturam ipsam tentit in Imperfecto super Gen. cap. 5: esse autem lu- men beatificum, tentit primo de Gen. ad lit. cap. 2: utrum- que autem conjungit cap. 9. & in cap. 17. tentit, Angelorum creationem quoad substantiam intelligi posse nomine cœli, quoad formationem autem gloriae, significari per lumen: Quod etiam lib. 4. cap. 22. confirmat. Et lib. 11. de Civit. Dei cap. 19. & 20. tentit, divisionem lucis à tenebris, fuisse inter sanctos Angelos, & malos. Et lib. 1. contra Adversarium le- gis, & prophet. cap. 12. dicit, per illam lucem intelligi posse Angelos, qui semper vident faciem Dei. Si ergo hoc ita est, & illa lux facta est simul in principio cum cœlo & terra, tunc jam fuerunt sancti Angeli beati. Si autem ad vitandum hoc inconveniens dicatur, sicut nos supra diximus, lucem illam non esse factam in primo instanti creationis, sed post aliquam moram, licet sit facta primo die; à fortiori dicere poterimus, terram non esse discoopertam aquis in principio, sed post tempus aliquod: ergo eadem ratione sine inconvenienti dici poterit, factam esse id opus post temporales dies, ac subinde illos dies esse veros, & naturales; quia eadem est ratio de ca- teris operibus: & admissa aliqua mora, & successione, nullum

Ium majus inconveniens ostendi potest in diurna mora, quam in alia, ut in cap. sequenti latius expendemus. Hæc Exim. Doctor. Similia objicit Joan. à S. Thoma.

411 Et confirmari potest argumentum sequenti ratione, fundato in litera, quam sequitur August. P. Itaque ubi nostra Vulgata ait Gen. 2: *Iste sunt generationes cœli, & terra, quando creare sunt, in die quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram,* litera, quam in usu habet Augustinus P. sic loquitur: *Hic est liber creatura cœli, & terra, cùm factus est dies, fecit Deus cœlum, & terram, &c.* ut videri potest lib. 5. de Gen. ad lit. in principio primi capititis, & alibi sèpè. Ex quo loco confirmat ibi Augustinus P. suam sententiam de unitate diei creationis mundi; & simul docet, aliter accipi debere hic cœlum, & terram, quam in principio cap. primi Genesios: Ibi nimirum, sicut sèpè dictum est, de creatione Angeli nomine cœli, & de creatione materie informis nomine terræ: *Hic autem, inquit ibi, illud cœlum commemoratum est, quod cùm creasset Deus, firmamentum vocavit, cum omnibus, quæ in illo sunt: & ea terra, que cum abyso imum obtinet locum, cum omnibus, que in ea sunt.* Et rursus ibi ad finem capititis docet Augustinus P. quòd idem sit sensus in illis verbis, sive anteponatur illa clausula, *cùm factus est dies,* sive postponatur alteri; ac per consequens periade erit dicere: *Hic est liber creatura cœli, & terra, cùm factus est dies;* ac si scriberet: *Cùm factus est dies, fecit Deus cœlum, & terram.*

412 Ex quibus sic argumentor: Ergo cùm factus est dies, fecit Deus cœlum, & terram: ergo dies creationis fuerunt simul cum cœlo, & terra: ergo cognitione matutina, & vespertina Angeli, quibus Augustinus P. illum diem constituit, fuerunt à principio in Angelo; atqui matutina, juxta præmissa ex utroque S. Doctore, est visio beata: ergo Angeli in beatitudine supernaturali sunt creati; sed hoc est contra Aug. P. ut §. 2. hujus articuli ex ipso ostensum est: ergo Augustinus P. non sibi constat. Omnia patent ex supra determinatis.

413 Argumentum petit, ut examinemus, quid intellexerit Augustinus P. per lucem primo die factam; quod licet §. sequenti sit ex professo declarandum, tamen in præsenti, præcipue locis objectis quid senserit Augustinus P. est investigandum; quod, ordinem in arguento propositum exva-

do præstare curabo. Igitur ad dilemma propositum dico, quod
mox infra examinandum est, num lux primo die creata, simul
fuerit facta cum cœlo, & terra. Ceterum admitto simultatem
productionis lucis primi diei pro nunc, ut discussam doctri-
nam Augustini P. in locis allegatis inter probandam seque-
lam: & nego istam. Ad probationem, nego quod Augustinus
P. per lucem primi diei intelligat naturam Angelicam. Nec
oppositum docet in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 5. cum
dicit: *Et fortasse quod querunt homines, quando Angeli facti
sunt, ipsi significantur hac luce, brevissime quidem, sed conve-
nientissime, & decentissime.* Quoniam secundum Augustinum
P. Angeli productio dupliciter facta à Moysè significatur:
Primo informis, cœli nomine; ut in eodem lib. cap. 3. insi-
nuaverat Augustinus P. dicens: *Fortasse quippè non incongruè
in comparatione invisibilis creature omne visibile terra dici-
tur, ut illa cœli nomine nuncupetur;* & statim movet quaſtio-
nem, utrum jam distincta, & composita omnia dixerit cœlum,
& terram, an ipsam primò informem universitatis materiem?
& resolvere videtur, quod de productione informis creaturæ
intelligendum est; fundans suam positionem in illis verbis
Sap. 11. *Qui fecisti mundum de informi materia.* Hanc infor-
mitatem Angeli, priusquam per conversionem ad Deum for-
maretur, indicat Augustinus P. auctoritate num. 321. allega-
ta, & alibi ſep̄e, ut in discursu Opusculi dictum est ex utro-
que S. D. Secundò indicatur à Moysè productio Angeli jam
formati, in creatione lucis; ut num. citato, & frequenter ex
Augustino P. & D. Thoma dictum est. Loquitur ergo Augus-
tinus P. in illo cap. 5. Imperfecto de Gen. ad lit. de hac secun-
da productione Angeli, ſeu potius de ipsius formatione per
illustrationem gratia, ut adhæreret Verbo Dei.

414 Nego item, quod lucem primo die factam, in-
telligat Augustinus P. lumen beatificum; quoniam verba Au-
gustini P. lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 2. nec leviter hoc inſi-
nuant. Quoniam ibi S. P. ſequentem diſſicultatem verſat: An
videlicet Deus dixerit, ſiat lux, temporaliter; an in Verbi
eternitate? Capite autem antecedenti eandem doctrinam de-
derat, quam nos num. præcedenti expendimus, dicens: *An
etriusque informitas (ſcilicet creaturæ spiritualis, & corpora-
lis) his etiam posterioribus verbis significatur. Corporalis qui-*
deus

dem èò quòd dictum est, terra erat invisibilis, & incomposita
spiritualis autem, èò quòd dictum est, tenebre erant super abyssum: ut transacto verbo, tenebrosam abyssum intelligamus na-
turam vite informem, nisi convertatur ad creatorem: quo solo
modo formari potest, ut non sit abyssus: & illuminari, ut non
sit tenebrosa. Et quomodo dictum est, tenebre erant super abyssum? An quia non erat lux? quæ si esset, utique supereffet, &
tamquam superfundetur. Quod tunc fit in creatura spirituali,
cùm convertitur ad incommutabile, & incomparabile lumen,
quod Deus est. In his, inquam, Aug. P. doctrinam à nobis
suprà traditam confirmat; creaturam enim spiritualem, no-
mine cœli significatam differit ibi, informem tamen; quæ in-
formitas per tenebras, quæ erant super abyssum intellige-
tur; formatio autem per conversionem ad creatorem fieret,
qua illuminatur, ut non sit tenebrosa spiritualis creatura.
Notandum tamen, quòd cùm dicit Augustinus P. quòd An-
gelus conversione ad Deum illuminatur, locutio non est in-
transitiva, & formalis, sed transitiva, & causalis; neque enim
conversio est formaliter, & intransitivè lux; quippè est actus
voluntatis, quæ est potentia cœca, & sequens dactum, & lu-
cem rationis; sed est actus vi meritoria gaudens ad ulterioris
intellectus irradiationis, & lucis consecrationem. Unde in-
tantum potest dici, conversione Angelum illuminari, in
quantum relatio charitatis, & conversio ejus mereretur præ-
mium vita æternæ, quod importat lumen gloria per modum
virtutis ad ipsam visionem beatam, & hanc de formalis. Ma-
nifestum autem est, quòd illa duratio via Angeli, & in qua
meretur visionem claram Dei, & lumen ad ipsam, per con-
versionem ad Deum, est duratio, in qua Angelus nondum
est formaliter lumine gloria perfusus. Non ergo Augustinus
P. ibi assertuit, Angelum lumine gloria formari.

415 Rursus cap. 3. ibi movere questionem de luce
primi diei, dicens: *Et quid est lux ipsa, que facta est, utrum
spirituale quid, an corporale?* Si enim spirituale, potest ipsa esse
prima creatura, jam hoc dicto perfecta, qua primò cælum ap-
pellata est, cùm dictum est, in principio fecit Deus cælum, &
terram: ut quod dixit Deus, fiat lux, & facta est lux; eam re-
vocante ad se creatore, conversio ejus facta, atque illuminata
intelligatur. In his etiam Augustinus P. consequenter in om-

nibus procedens, eandem repetit doctrinam: & verba ejus simili reflexione sunt digna; quoniam per ly, *fiat lux*, & facta est lux, creatura spiritualis angelica intelligitur perfecta, Deo ipsam ad se revocante, convertente, & illuminante: quæ illuminatio ad conversionem sequatur, & per posterius ad conversionem, tamquam præmîum ejus conferatur, modo nuper explicato.

416 In cap. 9. ad finem, sequentia habet Augustinus P. quæ alludere possint ad Suarij dictum, quòd, scilicet, in hoc cap. utrumque junxit August. P: *Si autem, inquit, lux, que primum dicta est ut fiat, & facta est, etiam primatum creature tenere intelligenda est, ipsa est intellectualis vita: quæ nisi ad creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter.* Cùm autem conversa, & illuminata est, factum est quod in Verbo Dei d'Etum est, *fiat lux*. Verùm neque hæc verba August. P. denotant Angelum in productione lucis, simul gratia, conversione ad Deum, & lumine gloriæ, fuisse formatum; quod enim dicit, quòd *nisi ad creatorem illuminanda converteretur, fluitaret informiter*, verum est, & ita contigit in Angelis desertoribus, qui superbia tumidi, & à propria excellentia allecti, ad se potius quam ad Deum fuerunt conversi; proptereaque non fuerunt illuminati, sed potius nocterterima, & tenebrosa umbra, ad eorum aversionem à Deo, fuit mox subsecuta. Quòd autem additur, *cùm autem conversa, & illuminata est, factum est quod in verbo Dei dictum est, fiat lux*, non debet intelligi, quòd tunc Angelus quoad substantiam factus sit, & simul ad Deum conversus, & lumine gloriæ perfusus. Non, inquam, tunc primò Angelum quoad substantiam productum intelligit Augustinus P. Quoniam primam Angeli creationem in productione cœli fuisse indicata, præmiserat ibi in principio illius cap. dicens: *Atque illud ante omnem diem fecisse intelligitur, quod dictum est, in principio fecit Deus cœlum, & terram: ut cœli nomine intelligatur spiritualis jam facta & formata creatura, tamquam cœlum cœli hujus, quod in corporalibus sumnum est.* Ergo prima Angeli productio, cœli nomine in principio creati, significata est: Cùm ergo Aug. P. dicit, quòd lucis primi diei nomine indicata est vita spiritualis Angeli ad Deum conversa, atque illuminata, non loquitur de prima Angeli productione

quoad

quoad substantiam, sed de ejus productione penes ipsius formationem modo dicto; ergo non conjungit utrumque, nempe creationem substantiae Angeli, & illius formationem per lumen gloriae.

417 Nec haerendum est illis verbis ultimae auctori-tatis, nempe, *ut cœli nomine intelligatur creatura spiritualis jam facta, & formata*, ut ex illis inferas: ergo jam cœli nomine indicata fuerat creatura spiritualis simul facta, atque formata: ergo in productione lucis superflue rursus significatur Angeli formatio; quippe jam presupponet batur secun-dum Augustinum P. prædicta formatio, cœli nomine mani-festata; proindeque actum ageret Moyles, idemque bis re-peteret, utique non sine erroris vel confusione præjudicio, & occasione. Non, inquam, hoc dictis obest; quoniam in Angelo multiplex formatio distinguenda est in ordine gra-tia: Prima per primam gratiam sanctificantis infusionem: Secunda per adhesionem ad Deum, & conversionem ple-na deliberatam in ipsum ex propria applicatione, & elec-tione: Tertia denique, per gloriam perfectam affectionem. Prima affuit omnibus Angelis à primo instanti creationis eorum; ut enim §. secundo huius art. in principio dictum est ex Aug. P. Deus Angelum creavit natura perfectum, gratia ius-tum, Deoque casto amore, ex quo factus est, adhaerentem. Unde maximè sibi constat Augustinus P. cùm hic forma-tionem cum creatione Angeli conjungit, si tamen intelligatur de prima formatione Angeli, modo explicato. At secun-da formatio nō affuit Angelo à principio creationis sua; tunc enim Deo specialiter ad primum actum, titulo Auctoris ip-sius, movente, & applicante, illum castum amorem elicuisse Angelus; postea in secundo instanti ex propria applica-tione, & plena deliberatione & electione vel ad Deum ple-na libertate conversurus, vel propria excellentia nimis inex-ordinata fruitoras, ut postea in Angelis bonis, & malis dissimi-lis declaravit eventus. Tertia denique formatio Angeli fuit facta in ipsius glorificatione, quæ in probabiliori sententia usque ad tertium instans Angelicum fuit dilata. Unde cùm Aug. P. inquit, quod cœli nomine intelligitur spiritualis jam facta, & formata creatura, loquitur de prima formatione, non de duplii subsequenti. Eodem sensu est accipiendus Au-

Augustinus P. cap. 17. illius lib. 1. Verba autem ejusdem lib. 4.
cap. 22. supra num. 322. expendimus conformiter ad mox
dicenda. Et eodem modo est intelligendus Augustinus P.
locis citatis ex lib. de Civitate Dei, & contra Adversarium
legis & Prophetarum.

418 Hæc, admissa prima dilemmatis parte, dixi,
ut ostenderem, Augustinum P. locis citatis non conjunxisse
simul eadem duratione formationem Angeli per gratiam,
liberam & deliberatam conversionem ejus ad Deum, & glori-
ficationem ipsius; non autem quod in ea sim sententia, ut Au-
gustinus P. senserit, quod conversio Angeli, quam vult no-
mine lucis significari, simul fuerit facta cum coelo, & terra;
quoniam, ut opinor, conversio illa ad mentem Augustini P.
est libera relatio charitatis meritoria vitæ æternæ, proinde-
que primò discretiva inter Angelos bonos, & malos. Fundo
hanc positionem in consideratione facta num. 322. in li-
tera Augustini P. tum etiam in verbis ex ipso cap. 9. lib. 1.
de Gen. ibi: *Si autem lux, quæ primum dicta est, ut fiat, &*
facta est, etiam primum creaturarum tenere intelligenda est,
ipsa est intellectualis vita: quæ nisi ad creatorem illuminanda
converteatur, fluitaret informiter. Quænam autem, ro-
go, est intellectualis vitæ ad creatorem conversio, ut ab ipso
ulterius illuminetur, quæm nisi ponat, fluitet informiter?
Non alia sane, quæm meritoria vitæ æternæ, cum eaque con-
nexa; quippe conversio, vel castus amor Angeli in primo
instanti, ut potè ex speciali Dei motione, & applicatione pro-
veniens, non est sufficiens, saltim ex ordinatione divina, ut
intuitu illius illuminatio gloria tribuatur Angelo, proinde-
que adhuc viator, & fluitans, vel fluctuans pro libero arbitrio
ad extrema contrarie ratis consideratur Angelus post il-
lum amorem, ut exitus quorundam demonstravit. Idem
frequenter videre est in Augustino P. & Angelico Præ-
cepto.

419 Et rufus moveor ad prædictam opinionem,
& intelligentiam Augustini P. ex eo, quod, ut supra sapè
dictum est, conversio, & relatio charitatis in Angelo re-
quiritur, ut naturalis ejus cognitio obtineat rationem vesper-
tinæ, quia vespere, in quantum tale, terminatur ad mane,
sue visionem beatam: vespertina autem terminatur ad ma-
cuti-

tutinam, cum ipsaque connectitur vi conversionis Angelis, relationisque charitatis liberæ, & ex propria electione meritoria; ob cuius defectum in Angelis malis nec fuit mane, nec vespere propriæ. Atqui conversio de qua loquitur Augustinus P. est hujusmodi, ut patet ex auctoritate ejus, quæ habetur num. 321. ergo loquitur Augustinus P. de conversione Angeli meritoria vita æternæ, & plenè libera; sed hoc non fuit in Angelo in primo instanti: ergo conversio Angeli, quam Augustinus P. nomine lucis vult accipi, non fuit simul facta cum cœlo, & terra. Hoc autem statuto, solum restant expedienda in argumento, quæ faciunt contra secundam dilectionis partem.

420 Igitur concedo, quod prædicta conversio, lucis nomine significata, non fuit simul facta cum cœlo, & terra; & nego sequelam de duratione interposita inter productionem terræ, & discoportionem ab aquis, &c. Ut autem discrimen inter utrumque extreum assignem, præ oculis habenda est doctrina D. Thomæ ex Aug. P. Igitur prima p. q. 69, art. 2. in corp. ait, quod illis primis diebus condidit Deus creaturem originaliter, vel causaliter, à quo opere postmodum requievit. Qui tamen postmodum secundum administrationem rerum conditarum per opus propagationis usquemodò operatur. Et i. p. q. 62. art. 3. in corp. statuit, Angelos fuisse in gratia conditos, & probat ex Aug. P. dicens: *Sic enim videmus, quod omnia, quæ processu temporis per opus divinae providentiae creata à Deo operante sunt producta, in prima rerum conditione producta sunt secundum quasdam seminales rationes, ut Aug. dicit super Gen. ad lit. lib. 5. cap. 8. sicut arbores, & animalia, & alia hujusmodi. Manifestum est autem, quod gratia gratum faciens hoc modo comparatur ad beatitudinem, sicut ratio seminalis in natura ad effectum naturalem. Unde i. Joan. 3. gratia semen Dei nominatur. Sic igitur secundum opinionem Aug. supponitur, quod statim in prima creatione corporalis creature, indita sunt ei seminales rationes omnium naturalium effectuum, ita statim à principio sunt Angeli creati in gratia.* Ex qua Aug. Præcept. ex Aug. P. data doctrina sic ad propositum infero: Ergo in prima rerum institutione distinguendum est inter opus creationis rerum ad mundi constitutionem pertinentium, & opus

propagationis, & administrationis earundem ; & primò statuendum est opus creationis, in illoque seminaliter quod ad opus propagationis, & administrationis spectat ; postmodum autem cursu, & successu temporis, actualis effluxus, & processus administrationis : ergo hæc in Angelis etiam modo dicto sunt stabilienda : ergo Angelus in prima sui à Deo emanatione evasit in naturalibus perfectus, & simul habuit virtutem, & rationem seminalē in ordine ad operationes, ad ipsius administrationem ex divina ordinatione pertinentes : cùm ergo Angelus ex dispensatione divina ad finem supernaturalis beatitudinis fuerit ordinatus , consequenter cum principio, & semine vita æternæ fuit creatus : ergo cum gratia, quæ est semen Deli.

421 Et rursus : Ergo sic se habuit Angelus cum seminali ratione vitæ æternæ in ordine ad illam, sicut terra cum virtute seminali in ordine ad plantas, & earum ultimum complementum, nempe fructus. Nunc sic : sed terra non germinavit plantas à primo instanti productionis suæ , quia hoc ad opus propagationis, & administrationis rerum , cursu temporis exequendum, pertinebat : quod opus distinctum est ab opere creationis, ipsoque posterius : ergo Angelus licet à primo instanti suæ creationis aliquam operationem gratiæ propter expeditissimam suam potentiam , qua ab initio fuit prædictus, elicuerit , non tamen plenè sufficientem ad affectionem sui finis, ad quem opere administrationis , & divinæ ordinationis, proprio merito pervenire debebat : unde conversio illa, qua Angelus secundum Aug. P. ex vespertina profecit in matutinam, non pertinet ad opus creationis, vel ad primum instans : ergo non fuit simul cum productione cœli, & terræ. Unde Ang. P. 1. parte q. 62. art. 1. ad 2. ait: quod creatura corporalis statim à principio suæ creationis habere non potuit perfectionem, ad quam per suam operationem perducitur. Unde secundum Aug. germinatio plantarum ex terra non statim fuit in primis operibus, in quibus virtus sola germinativa plantarum data est terræ. Et similiter creatura angelica in principio sue creationis habuit perfectionem sue naturæ , non autem perfectionem ad quam per suam operationem pervenire debebat. Nota , non autem perfectionem , ad quam per suam operationem perducitur, & pervenire debebat, & pa-

ritatem germinationis plantarum: ex quibus inferes, quod licet ibi intentum D. Thomae sit, quod Angeli non fuerunt in beatitudine supernaturali creati; tamen ratio, & paritas probant pariter de conversione meritoria beatitudinis ex propria electione.

422 Discoopertio autem terræ, & congregatio aquarum, pertinent ad opus institutionis naturæ, & non ad opus propagationis, ut art. 3. ostensum est. Hinc patet disparitas inter utrumque extremum argumenti; & dicimus, quod quia conversio illa meritoria vitæ æternæ in Angelo, nomine lucis primi diei significata, non pertinet ad priam rerum institutionem, sed ad administrationem Angeli, & productionem ipsius ad finem vitæ æternæ, propterea fuit successio inter productionem Angeli, cœli, & terræ &c. & conversionem meritoriam vitæ æternæ ex propria applicatione provenientem. E contraria autem, quia discoopertio terræ ab aquis, & congregatio aquarum, qua significatur formatio horum elementorum secundum Augustinum, pertinet ad priam rerum institutionem, & creationem, & qui vivit in æternum creavit omnia simul, ideo non fuit successio inter hæc, & alia prima institutionis opera. Unde sicut tertio die productio plantarum, & quinto, & sexto productio animantium, solùm fuit seminaliter; & relatè ad opus creationis in primo instanti factum, solùm per anticipatam locutionem verificantur de illis à Moysè in opere creationis dicta: sic etiam dicta de Angelo, quantum ad ea, quæ ad ipsius administrationem pertinent.

423 Pro solutione confirmationis argumenti scindunt est primò, quod dies creationis mundi non debent uti pari pro mensura rei productæ, ut bene notavit Cayer. Non enim dicit Scriptura S. Hoc vel illo die factum est tale, vel tale opus; sed facto opere, adjicit: *Et factum est vespere, Omnes dies unus, vel secundus &c.* Et licet nostra Vulgata capite 2. Gen. oppositum videatur innuere illis verbis: *In die quo fecit Dominus Deus celum, & terram, &c.* tamen hoc in primis ab omnibus solvi debet; neque enim Genesis primo creationi cœli & terra diem depuravit Moyses; alioqui septem essent, vel octo, dies creationis mundi. Unde optimè observat Augustinus P. lib. 1. de Gen. ad lit. quod ante om-

nem diem memorat Scriptura S. creationem cœli, & terræ. Et quidem jure optimo; quoniam sive dies sit naturalis, sive Angelicus, necesse est, quod significatum hujus nominis cœlum presupponatur dierum constitutioni; eò quod dies naturalis sit integra revolutione primi orbis mobilis: si ergo per cœlum accipiuntur corporales orbes mundi corporalis, supremaque ejus pars, manifestum est, quod sicut mobile præcedit motum, sic pariter cœlum corporale diem naturalem. Si autem dies cognitionibus angelicis constituantur, evidens etiam est, quod esse Angeli debet illos aliqua ratione præire: & tunc productio substantiæ Angelii indicatur secundum August. P. nomine cœli. Illud ergo, *in die quo fecit Dominus Deus cœlum, & terram*, non est accipendum, quod dies fuerit mensura creationis cœli, & terræ; quippè mensuratum ut tale, nullo pacto est prius sua mensura. Unde illud *in die*, ad summum potest designare simultatem aliquam diei cum creatione cœli, & terræ; diei, inquam, si naturalis sit, quantumcum primo mobili simul extrinsecè incœpit motus uniformis illius, & orbis Solaris, ab Oriente in Occidentem: si autem Angelicus excogitur, modo statim explicando.

424 Notanda etiam, & recolenda sunt quæ §. 2.
Hujus art. circa matutinam, & vespertinam ex Aug. P. & D. Thoma dicta sunt; quod nimirū matutina est per medium increatum, & ipsa visio beata, & vespertina importat, modo §. 3. explicato, relationem meritoriam vitæ æternæ. Vide etiam dicta §. 4. Angelus autem licet à primo instanti suæ creationis viderit Verbum, & res in ipso, per speciem Verbi in sua natura re lucentem, ut §. 2. hujus art. ex D. Thoma dictum est; tamen, ut ipsemet ibi inquit, nec hac cognitione fuit Angelus perfectè beatus, nec illa propriè est cognitio matutina: quæ non pertinet ad principium institutionis rerum, ea ratione, qua nec beatitudo perfecta Angeli, sed magis ad rerum decursum, quo per divinam providentiam gubernantur, ut inquit S. Thomas q. 4. de pot. art. 2. ad 11. Vide etiam ipsum ibi ad 25. præcipue in fine, ubi notanda sunt illa verba S. D: *Sed eis affuit à principio (loquitur de beatifica perfecta visione) quando beati facti sunt per conversionem perfectam ad bonum.* Ergo cum Augustinus P. dicit, quod illi dies à principio fuerunt, & Angeli ex qua facti sunt Verbi æter-

eternitate sancta perfuruuntur, & quod dies simul cum cœlo & terra fuerunt, (licet hæc omnia de beatitudine naturali Angelii, ejusque perfecta cognitione naturali verificantur) non loquitur S. Doctor de cognitione gloriae, & beatitudinis perfectæ, & simpliciter, relate ad primum instans Angelii: sed illud à principio accipendum est, quando beati facti sunt per conversionem perfectam ad incommutabile bonum. Premit etiam illud per conversionem perfectam, quod manifestè innuit, primam Angelii conversionem, & castum amorem, quo statim atque factus est Deo adhæsit, non fuisse perfectum, nec cum perfecta beatitudine connexum.

425 Jam ergo ex his ad confirmationem argumenti, quatenus fundatur in litera Gen. 2. qua utitur Augustinus Parenz, & in expositione ab ipso ibi adjuncta, respondeo cum distinctione exponendo illa verba, *cum factus est dies, fecit Deus cœlum, & terram, vel fecit Deus cœlum, & terram, cum factus est dies:* Simul cum cœlo, & terra, seu à principio fecit diem objectivè, & ex parte rei, quæ luce est illuminanda, concedo: subjectivè, & ex parte lucis, subdistingo: simul cum cœlo & terra seminaliter, virtualiter, & causaliter, concedo: actu, & formaliter, nego. Solutio patet ex dictis; quoniam dies angelici secundum Aug. P. cognitione matutina, & vespertina conficiuntur, ut locis nuper citatis dictum est: & ut ibidem ex Augustino P. & D. Thoma ostensum est, & etiam articulo 3. licet à principio simul fuerit objectum illarum cognitionum, nempe formatio Angelii per gratiæ infusionem, & creaturarum corporalium per formarum substantialium impressionem; tamen in primo instanti Angelorum, non fuit propriè cognitio matutina, quæ est visio gloriae perfectæ; nec vespertina, qua talis, quia hæc reddit in mane, & terminatur ad mane, quod sit media conversione perfecta Angelii ad incommutabile bonum: & conversio Angelii in primo instanti non fuit perfecta, quia non processit ex propria, & deliberata electione ipsius, sed ex speciali motione, & applicatione Dei, & sine libertate contrarietatis. Unde dies prædictis cognitionibus coalescens, non fuit à principio formaliter & perfectè; quippe Angelus non fuit in primo instanti beatus, neque item perfectè ad Deum conversus, quod utrumque, juxta determinata locis citatis, ad diem forma-

littera constituendum requiritur. Solùm ergo fuerunt illi dies ex parte objecti simal in principio, quatenus fuerunt sex genera rerum, menti angelicæ in Verbo præsentanda, & extra Verbum per speciem creatam attingenda.

426 Potest autem dici, quod etiam aliquomodo fuerunt in primo instanti angelico illi dies subjective, sed non actu, & formaliter, bene verò virtualiter, & seminaliter. Quoniam Angeli in gratia sunt creati, erat enim Deus simus condens naturam, & largiens gratiam, ut inquit Aug. P. 11. de Civit. Dei: gratia autem est semen glorie, & fons aquæ salientis in vitam æternam, ut dicitur Joan. 4: unde seminaliter continet vitam æternam, visionem beatam, seu cognitionem matutinam, & etiam conversionem perfectam ad incommutabile bonum, nomine saltus in vitam æternam ab Scriptura S. significatam: ac per consequens fuerunt etiam seminaliter illi dies. Neque aliter pertinent dies angelici ad primam rerum institutionem; quoniam important operaciones pertinentes ad mundi angelici gubernationem, & administrationem per divinam providentiam: & hujusmodi operations, ut ex D. Thoma nuper dictum est, fuerunt in prima rerum institutione duotaxat causaliter, seminaliter, & virtualiter, non autem formaliter, ut patet in germinatione plantarum. Unde cum dicit Augustinus P. quod fuerunt à principio, intelligendum est, quod fuerunt seminaliter: vel ut ex D. Thoma nuper dictum est, à principio, ex quo beati facti sunt per conversionem perfectam ad bonum: ad eum modum, quo ipse Augustinus P. intelligit 11. de Civit. Dei cap. 15. illud, ab initio diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, sed ab initio peccati, quod ab ipsius superbia cœperit esse peccatum. Similiter ab initio dies esse cœperunt, non ex quo Angeli facti sunt, (nisi ad summum seminaliter) sed ex quo beati facti sunt.

427 Dices, lux illa primi diei formaliter constituit diem, facit enim divisionem lucis à tenebris, importatque vespere, & mane: ergo illi dies fuerunt formaliter à principio. Respondeo, quod multipliciter potest intelligi lux illa faciens divisionem à tenebris juxta multiplicem lucis, & tenebrarum acceptiōnem. Si enim lux accipiatur pro gratia, sicut cum dicitur: Eratis enim aliquando tenebre, vobis autem lux

*lux in domino, sic in primo instanti fuit facta in Angelo hæc divisio per gratiæ infusionem: & tunc tenebra important in Angelo naturalem informitatem ipsius in ordine gratiæ, solum prioritate naturæ & ordinis præcedentem in ipso: & in hoc sensu in primo instanti, ut dixi, facta est divisio lucis à tenebris. Si autem lux significet conversionem Angeli ad incommutabile bonum ex propria electione, divisio lucis facta intelligitur primò in secundo instanti: & tunc per tenebras intelligitur peccatum Angelorum malorum; proindeque relatè ad primum instans prædicta divisio solùm in præscientia Dei intelligitur facta: & Scriptura S. anticipate discriminem inter Angelos bonos, & malos præsignans accipienda est, ut docet Augustinus P. 11. de Civit. Dei cap. 19. dicens: *Solus quippe illa ista discernere potuit, qui potuit etiam priusquam caderent, præscire easuros, & lumine privatos veritatis, in tenebrosa superbia remansuros.**

428 Ubi ergo Augustinus P. per lucem primi dicuntur intelligit conversionem perfectam Angeli ad incommutable bonum, prima divisio lucis à tenebris facta intelligitur formaliter in secundo instanti, ac per consequens in præscientia dictum est, *& divisit lucem à tenebris*, & est anticipata locutio relatè ad primum instans Angeli. Si autem aliqui accipit nomine lucis primam gratiæ infusionem, divisio ipsius à tenebris in primo instanti perfecta est. Si denique lucis nomine accipiat Angelum perfectè illuminatum, & Verbi incommutabili veritate rationes rerum immutabiliter intuentem, & contemplantem, etiam hoc modo in Scriptura S. relatè ad primum instans, in præscientia Dei, & per anticipatam locutionem, intelligitur discriminem, & divisio inter Angelos beatos luce Verbi illuminatos, & malos culpabiliter illa privatos. Augustinus autem vaga illa inquirendi, & dicendi ratione super caput 1. Gen. triplici illo modo diversis locis suis locutum arbitror, ut consideranti diversas ejus locutiones, & expressiones patebit, quas, ne lectorem gravem, omitto. Ceterum quemcumque sensum ex præmissis excogites, litera Moysis rectè intelligitur, & dies luce constituta sive seminaliter, sive meritorie, sive formaliter verisificatur.

429 Illud denique pro majori soliditate adhibitæ
se.

Solutionis monendum censeo, quod non est maius inconveniens in eo, quod dies creationis mundi ad primam rerum institutionem solam pertineant causaliter, & seminaliter, non autem formaliter, & actu, quam in eo quod productio mixtorum omnium sic facta intelligatur. Quoniam in primis, ut præmissum est, illi dies non ponuntur à Moyse ut mensura creationis rerum, quod poterat esse impedimento, ut solum ad rerum administrationem, & non potius ad ipsarum primam institutionem pertinerent. Aliundè adest congruētia, ut dies illi accipiāntur in Scriptura S. tamquam aliquid ad Angelorum administrationem, & gubernationem spectans: quod sic persuadeo ad mentem Aug. P. Quoniam ipse vult, & ostendit, quod à Moyse non est prætermissa Angelorum genesis: ergo sicut à Moyse memoratur rerum corporalium series, quantum ad ea quæ pertinent ad primam mundi corporalis institutionem, & simul etiam quoad ea quæ spectant ad ipsius administrationem; sic congruit, ut meminisset pariter Angelorum, secundum substantiam eorum, ut constituit Universum, & quoad operationem illorum, quæ ad ipsum administrationem, gubernationem, & perductionem ad proprium finem, pertinet. Atqui hoc non aliter præstisſe intelligi potest, quam significando nomine cœli primum, secundum autem nomine lucis, ut Augustinus P. vult: ergo sic oportet, ut accipiamus literam Moysis. Nunc sic: sed non inconvenit, ut ad mundi corporalis institutionem pertinentia, actu & formaliter simul intelligantur in primo instanti producti, quæ autem ad ipsius propagationem & administrationem attinent, seminaliter in primo instanti, actu autem & formaliter postmodum successivè, & per temporum cursum, ut art. 3. dictum est: ergo similiter in Angelo substantia ejus ad mundi constitutionem pertinens, simul cum alijs partibus principalibus adstrui debet producta cum seminali ratione, & virtute ad consecutionem proprij finis supernaturalis per propriam operationem, quem postea successu suarum operationum adipiscatur.

430 Dices contra solutionem confirmationis: Ergo dies creationis mundi non fuerunt formaliter, & subiective à primo instanti Angeli: ergo nec cognitio matutina, nec vespertina, qua tales: ergo haec fuerunt duratione posteriori ad pri-

primam rerum institutionem. Sed hoc est contra Aug. P. num. 270. citatum, ubi ait, quod Sanctis in prima lucis productione formatis, prius Deus ostendebat, quod erat deinceps creature: ergo res posterius ad cognitionem Angeli fuerunt creature. Hoc argumentum ex parte loco citato numeris sequentibus manet solutum, & quantum ad verba objecta uberioris adhuc diluitur ex D. Thoma q. 4. de pot. art. 2. ad 12. ubi ait S. Doct: *Dicendum quod posito quod omnia simul sunt creata in materia, & forma, Angelus dicitur habuisse cognitionem creature corporalis fiende; non quia creature corporalis esset tempore futura, sed quia cognoscetur ut futura, prout considerebatur in causa, in qua erat, ut ex ea posset procedere: sicut qui cognoscit arcam in artifice, ex quo fit, potest dici, cognoscere eam ut futuram. Cognitionis enim in Verbo vocatur matutina, sive res sit jam facta, sive fienda: & indifferenter se habet ad presentia, & futura, quia est conformis divinae cognitioni, qua cognoscit omnia simpliciter antequam sint, sicut postquam facta sunt. Et tamen omnis cognitionis rei in Verbo est rei, ut fienda, sive sit res jam facta sive non; ita ut ly fiendum non dicat tempus, sed exitum creature a creatore; sicut est cognitionis artificati in arte, que est ejus secundum suum fieri, quamvis etiam ipsum artificiatum jam sit factum. Unde quamvis creature corporalis simul sit facta cum natura spirituali, dicitur tamen Angelus accepisse in Verbo cognitionem ipsius ut fienda, ratione jam dicta. Eandem doctrinam repetit in solut. ad 16.*

43¹ Pulchra hæc ad intentum doctrina, deducta videtur ex Augustino P. 4. de Gen. ad lit. cap. 24. ubi ait: *Non manet angelica scientia in eo, quod creatum est, quin hoc continuò referat in ejus laudem, atque claritatem, in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur, in qua veritate stando dies est. Preme illa verba, in quo id non factum esse, sed faciendum fuisse cognoscitur; ac si diceret: cognitionis rerum, ut in Verbo, sub hac tendentia non attingit res ut factas, sed ut fiendas; quia in Verbo sunt tamquam in supremo rerum artifice, ad quem pertinent creature secundum rationes idæales ipsarum, ut fienda, & à Verbo fluenda. Pizterea, ut loco num. præcedenti citato, & alibi sapè dictum est, Augustinus P. in illis, & similibus verbis loquitur de-*

Angelis beatis, & frumentibus Verbo, & respectu ipsorum in tali statu, sicut se habent res ad esse, ita se habent ad cognosci, & manifestari cognitione angelica: res autem in ordine ad suum esse considerata, prius existit in arte divina, quæ est sapientia genita, per quam facta sunt omnia: deinde per species earum in mente angelica, quæ sicut inter cæteras creaturas primum obtinet in essendo, sic etiam omnium species repræsentativas simul cum suo esse accepit: & denique in propria natura. Unde hoc etiam ordine comparatur ad cognitionem angelicam; sive postquam Verbi perfectam contemplationem asscutus est Angelus, prius natura vidit creaturas in Verbo, quam in propria natura.

432 Objicies deinde, quod sex dies suprà numerianus in ordine ad sex genera rerum primitus producta, & angelicæ cognitioni tum in Verbo, tum in propria natura præsentata; in propria, inquam, natura, non præcisè quatenus hæc per suam speciem est in mente angelica, sed secundum quod est extra animam, & in re posita penes ultimatum esse suum; sed Angeli à principio non potuerunt extra Verbum habere notitiam omnium illorum generum prout in propria natura: ergo, Maj. est ex dictis in hoc art. manifesta. Min. prob: Quoniam ut art. 3. dictum est, plantæ, & animalia, & mixta omnia non fuerunt in prima rerum institutione actu in propria natura producta, sed extra opus sex dierum decursu temporum in species proprias erant opere administrationis, & propagationis rerum, producenda; sed Angelus res non cognoscit in propria natura, donec ipsæ in se habeant esse; non enim se habent æqualiter species Angeli ad præsentia, & futura, ut suprà ex D. Thoma dictum est, sed debent connotare esse actuale rerum, ut actu illis sint similes, ipsasque repræsentent: ergo.

433 Respondeo, concessa maj. negando min. vel claritatis gratia, illam distingo: non potuerunt habere Angelii notitiam rerum prout in propria natura actu, vel virtualiter existente, extra Verbum, & mentem angelicam, nego: præcisè secundum actuale, & formale esse, subdistingo: respectu partium principalium Universi, nego; relatè ad mixta, & ad mundi propagationem pertinentia, concedo. Itaque, ut art. 3. dictum est, **Q**uoniam **s**ex rerum genera à principio in prima

rerum institutione, quodammodo habuerunt esse extra Verbum, & mentem Angeli: quædam actu, & formaliter, ea, nimirum, quæ ad veram, & rigorosam creationem spectant, ut Angeli, elementa, & luminaria: quædam verò causaliter, seminaliter, & potentialiter. Unde quamoptimè secundùm hoc esse ab Angelo potuerunt cognosci extra Verbum, & mentem angelicam; & quidem sufficienti claritate; cùm enim Angeli comprehensivè cognoscant elementa, & virtutes semi-nales in eis residentes: & istarum quælibet sit ratio, & virtus determinata ad hanc speciem præ illa, & præcontentiva hujus effectus præ illo; consequens est, quod Angeli cognoscentes elementa cum seminalibus rationibus mixtorum, quæ proprias naturas ipsorum in se præhabent, pariter clare & distinctè ipsa mixta intelligent. Unde ut suprà à num. 82. & deinceps ex Augustino P. & N. Philippo Abate dictum est, in seminali ratione, & opere inchoato existit natura rei, & latet ibi mirabili modo, ac in plenaria sui consummatione. Ergo respectu intellectus objectum comprehendentis, & plenè quantum ad ea, quæ in ipso latent, penetrantis, cognitionis seminalis rationis mixtorum, est clara, & manifesta notitia naturæ ipsorum: ergo Angelus elementa, & virtutes semi-nales mixtorum comprehendens, apertissimè videt in ipsis propriam naturam mixtorum.


434 At, inquis; estò pro vespertina cognitione, & in propria natura mixtorum, sufficiat cognitionis seminalis rationis eorum, quomodo homo ab ipsa attingetur, cùm ejus ratio seminalis in materia corporali non supponatur; quippe anima hominis, à qua ipse speciem, & naturam propriam sumit, est omnino elevata, & transcedens ordinem corporalem? Duplici solutione art. 3. ultimo arguento contra primam conclusionem data, occurri potest huic replicæ: Primo dicendo, quod licet homo quantum ad animam in seminali ratione elementorum in prima rerum institutione non præexistat; existit tamen in suo simili, nempe Angelo: Unde Angelus cognoscens se, pariter cognoscit animam rationalem sibi similem.

435 Sed dices primò: Non potuit à principio in Angelo esse similitudo cum anima rationali, quæ nondum existebat; similitudo enim cum sit vera relatio, exigit coexist-


tentiam extremonum relatorum. Oppones secundo: Cognitio sui ipsius in Angelo pertinet ad primum diem: Si ergo Angelus cognoscendo se cognovit animam sibi similem, cognitio animæ, & hominis non ad sextum diem, sed ad primum erit revocanda: hoc autem est contra Moysis narrationem, hominem sextæ diei deputantis: ergo. Ad primum respondeo, quod certè à primo instanti non fuit similitudo inter Angelum, & animam rationalem, relativè sumpta; fuit nihilominus similitudo fundamentaliter accepta, & hoc sufficit ad propositum. Ad secundum respondeo, quod tametsi Angelus eadem cognitione, qua se cognoscit, animam sibi similem intelligat; tamen cognitio sui ad primum dieum pertinet, animæ autem ad sextum. Cujus ratio est, quia, ut dictum est sàpè, dies non multiplicat Augustinus P. subjectivè, & ex parte cognitionum, sed objectivè, & ex parte rerum cognitarum, & secundum ordinem quem habent inter se sex genera rerum Universum constituentium. Unde cùm in hoc ordine primatum teneat Angelus, prior omnium creatus, cognitione ejus ad primum diem spectat: anima autem simul cum Angelo cognita, in Universi ordine ad infimum gradum pertinet; quia in quantum hominem constituit, ad ornatum elementi terræ, quod imum est in Universo, spectat: unde in cognitione Angeli ad res Universi, ordine, quo illud constituent, terminata, ultima ejus terminatio ad hominem intelligitur directa.

436 Secunda solutio loco citato data, est quod anima secundum se considerata, certè transcendit omnem corporalem ordinem: at quoad inesse, seu unionem dependet à materia, & in seminali ratione unius hominis alterum producentis continetur. Cùm ergo omnium effectuum corporalium, quæ corporaliter vi agentis naturalis, & ipsius efficacia producuntur, semifinales rationes in elementis à principio continerentur, consequens est, quod etiam anima quantum ad inesse, in potentia materiæ corporalis præexistenteret, atque adeò ab Angelo, sicut cætera mixta, posset cognosci. Anima autem hominis non in quantum per se subsistens est, sed maximè & præcipue in quantum pars hominis est, pertinet ad constitutionem Universi; quia ex se pars hominis est, & ordinatur ad unionem cum corpore, ut hominem cum ipso cons-

situit, & ipsum constituendo, infimam mundi corporalis partem venisset. Cum ergo anima ad sextum diem pertineat, ut terrae ornamentum est, & in tantum ipsam venisset, in quantum unita corpori hominem constituit; hinc quoad considerationem, qua inter prima opera Dei computatur, potius importet inesse, secundum quod à materia dependet, quam per se subsistere, sub quo conceptu non continetur in potentia materia. Hæc solutio deducitur ex doctrinis ex D. Thoma, Cayet. & Bañez ibi datis, illamque prima solidiorē reputo.



S. VI.



DIES ANGELICOS FUXTA EXIGENTIAM LITERÆ

Moysis, & secundum literalem ejus intelligentiam, fuisse ab Augustino P. excogitatae, propugnatur.

437 **B**IPARTITA est in titulo proposita assertio. Prima pars enuntiat, in litera Moysis esse fundatum, ut dies ab ipso in genesi mundi positos, spirituales, & angelicos intelligamus. Secunda affirmat, quod sic accipiendo dies Augustinus P. sensum literalem Moysis sectatur. Nec in hac secunda parte assertio nisi multum immorandum censeo; quoniam literalis sensus, ut art. 1. num. 2. & deinceps dictum est, ille est, quem Author intendit, & secundum proprietatem vocum in Scriptura S. traditur: quod autem si dies spirituales, & angelici accipiuntur, & similiter vespere, & mane, Scriptura S. proprietate sermonis loquatur, manifestum est ex dictis art. 2. Dies enim luce manifestante constituitur, & mane lucis accessum ad suam plenitudinem, vespere vero, ipsius decrementum significant: Ubi ergo verior, & certior manifestatio, ibi erit verior, & certior lux; atqui in mente angelica est manifestatio; & quidem cum in Verbo creaturas cognoscit, manifestatio in plena luce Verbi; cum vero in scipis, & in specie creatae, in luce inferiori: ergo ibi est vere, & propriè lux, & dies, & vespere, & mane, immò cum majori proprietate, quam in luce materiali Solis. Vide dicta toto art. 2. & præfertim ex Augustino P., S. Dionysio, & D. Thoma.

Quod

438 Quòd verò ad intentionem Auctoris fiat interpretatio Augustini P. de diebus angelicis, pendet ex resolutione, seu probatione primæ partis assertionis. Pro cuius ostensione præmonendum est, quòd ad intentionem Moysis pertinere judicandum est, quòd in sua narratione, & historia genesis mundi, Angelorum meminerit, ipsosque omnino non prætermisserit, neque silentio prætererit. Suppositio hæc patet ex Augustino P. num. 118. allegato: ibi ex ipso dicta vide, & etiam s. præcedenti. Negat tamen Basilius Magn. hom. 1. Hexam, & S. Chrysost. hom. 2. in Gen. Moysem Angelorum mentionem fecisse in sua historia. Quorum ille hujus rei causam ex eo assignat, quòd Hebrei, quibus Moyses scriberat, ad intelligendum angelicos sublimium cœlorum spiritus, inepti erant; verba S. Doct. sunt: *Erat enim aliquid, ut videtur, O ante hunc mundum, quod mente quidem percipi potest, omisso est autem, ne quis de ipso quidquam est dictum; propter ea quid qui initianur, adhuc ut parvuli, ad cognoscendum inepti sunt.* Et S. Chrysostomus ibi eandem causam reperens, aliamque de præcautione idolatriæ addens, ait: *Et vide quantum doendo nostre paruitati se attemperet. Nihil de inuisibilibus virtutibus differit, neque dicit: in principio fecit Deus Anglos, vel Archangelos. Non simpliciter, neque temere hunc nobis doctrinæ viam paravit: Iudeis enim loquebatur, qui toti præsentibus rebus inhibabant, neque spirituale quidquam comprehendere valebant. Itaque eos à sensibilibus ad cognoscendum Universi Opificem inducit, ut ex creaturis fabricatorem mundi discentes, adorent creatorem omnium, O non in creaturis ipsis permaneant, O quiescant. Nam cum licet hoc ita facta sint, non intermissione ex creaturis Deos facere, O divinum bonorem fædissimis brutis exhibere: in quam non amentiam incidissent, ni tanta ergano humilitate, O attemperatione fuisset usus?*

439 Confirmat hoc ibi S. Doctor ex differentia styli Apost. Pauli, qui cum Atheniensibus Gentilibus disputationos, à visibilibus doctrinam cœpit, & eis sic dixit: *Deus qui fecit mundum, O omnia, que in eo sunt, hic cœli, O terræ cum sit dominus, non in manufactis habitat templis, nec humanis manibus colitur.* Ad Colossenses autem scribens, qui jam rudimentis nostra fidei erant magis instructi, sic altiori sermo-

mone loquitur: *Quia in ipso creata sunt omnia, que in cælis sunt, & que in terra, visibilia, & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates, omnia per illum, & in illo creata sunt.* Ergo convenientissimè Moyses genitaram Angelorum Hebrais reticuit, & quia erant rudes, & obesi ingenij: & quia idolatriæ valde dediti. Si enim Dei cultum, in Egypto crocodilis, & canibus, ac simijs exhibuerunt; quanto magis Angelorum excellentissimam natram, ut Deum coluisserint, si ipsam Moyses illis manifestasset? Non ergo oportuit, quod Moyses rudi populo Hebreorum, Angelos exprimeret.

440 At licet hujusmodi congruentia satis plausibilem reddant opinionem præclarissimorum horum PP. verosimilius tamen appareat sententia Augustini P. Quoniam in primis ægrè percipitur, quod Moyses, prætermittens Angelos, suo muneri in historica narratione genesis mundi satisficerit: ut enim lib. 2. Machab. cap. 2. in fine dicitur: *Intellectum colligere, & ordinare sermonem, & curiosius partes singulas quasque disquirere, historiae congruit auctori.* Ergo ut Moyses in narratione creationis mundi, historici munus expleret, congruebat, ut singulas ejus partes, præsertim principales, manifestaret; atqui Angeli, ut art. 3. fuisse ostensum est, sunt præcipua Universi portio: ergo oportuit, quod Moyses Angelorum in sua historia meminerit. Rursus: Moyses Gen. 2. *Deum ab omnibus operibus suis requieuisse*, dixit. An ne Angeli sunt opus Dei? Utique; est enim visibilium, & invisibilium conditor Deus. Qui ergo Deum ab omnibus operibus suis die septimo requieuisse dixit, & opera à Deo facta immediate ante nuntiavit, satis aperte declaravit, scilicet Angelos inter illa opera enumerasse.

441 Nec motiva in contrarium assignata, urgenter. Non primum; quoniam quod Hebrei ad cognoscendum Angelos essent inepti, non debet in causa esse, ut Moyses illos reticuerit, sicut quod Chrysostomi perspicacissimum ingenium lateat (quanto magis Hebreorum imbecillem capitum) quid nomine firmamenti secundi diei sit accipiendum, ut ingenuè fatetur humilis Doctor in proæmio videndus, in causa non debet esse, ut Moyses illud silencio præteriret. Quoniam Sacer historiographas, ut art. 3. ex Aug. Torniello dic-

Aditum est ; omnibus debitor factus , omnium intelligentie se accommodavit , & quantum cuique conveniens erat manifestavit : Sapientibusque quedam obsura , & difficilia , ad demandam labore superbiam , ut inquit Augustinus P. reliquit ; insipientibus autem , & barbaris Hebreis sufficienter consuluit , dum creationem omnium dicto , & imperio omnipotentissimo Dei factara in tempore , apertissime declaravit . Hoc autem , & nihil amplius desideratur in historia Moysis quantum ad intentum ipsius circa instructionem rudium Hebreorum ; ut enim ibidem num. 21 t. ex Augustino P. dictum est , intentio Moysis , quantum ad Hebreos , fuit instructio populi contra errores , qui illis temporibus circumferabantur circa Auctorem , & tempus creationis mundi : utrumque autem horum explicatissime praestitit Moyses accommodando se ruditati eorum . Quod ergo Judaei Angelos non possent cognoscere , non obest , quominus Moyses illos manifestaret ; sicut alia multa insinuavit , quæ secundum Hebrei rudes , verum nec acutissimi PP. plenè comprehendunt , ut in discursu Opusculi sapè dictum est .

442 Nec secundum motivum omnino oppositum convincit , immo (venia , & pace tanti P.) non subsistit . Primum ex eo mihi persuassum habeo , quod propterea Angeli , juxta Chrysostomum , à Moysse Hebreis non fuerunt manifestati , ut præcluderet illis aditum idolatriæ , ad quam erant valde propensi . Hæc autem ratio potius in oppositum movet ; nihil enim magis avertit aliquem ab hac turpissima idolatriæ culpa , quam consideratio de eo , quod res creata est , & ab alio dependens , ex nihilo habens esse , & in nihilum tendens quantum est ex se . Ergo quantumcumque Angeli sint excellentissimæ naturæ , modò à Moysse assererentur à Deo Opt. Max. creati , prorsus præcideret Hebreis occasionem idolatriæ : & ab opposito , si Angelorum creationem omisisset , cùm ad eorum notitiam Hebrei pervenirent , minori culpa adorationem numinis illis tribuissent : ergo motivum retrahendi Judæos ab idolatria , non convincit ad statuendum , Moysem Angelorum ob hanc causam non memuisse .

443 Rursus , neque verum est , nec subsistit , quod Moyses Angelos in sua historia reticuit . Quoniam Genesis

cap. 3. in fine, Cherubim memoravit, dicens: *Et collocavit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammulum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vite.* Et ibi cap. 16. expressa Angeli sit mentio, cum dicitur: *Cumque inventisset eam (loquitur de Agar persecutionem Sarai fugiente) Angelus Domini &c. & paulo post: Dixitque ei Angelas Domini.* Item cap. 19. expressè nominatur, ibi: *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Et iterum: *Cogebant eum Angeli.* Pluribus etiam Geneseos locis Angeli membrantur, ut vide-
re est, cap. 21. 22. 24. 28. & passim in alijs. Ergo conve-
nientissimum fuit, quod anteà creationis ipsius meminerit;
alioqui errore decepti Judæi, ignorantesque genitaram
Angeli, facillimè idolatrassent, Angelosque ut Deos colui-
sent. Ut ergo hoc gravissimum inconveniens vitetur, dicen-
dum est, quod Moyses creationem Angelorum 1. cap. Gene-
sis insinuavit, quæ ab idolatria maximè quemque avertit, ut
nuper dictum est. Unde Deuteronom. 4. hæc causa intimatur
à Moysè Hebræis, ut non adorarent astra cœli, cum dicitur:
Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videoas Solem, & Lunam,
& omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas que
creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus,
que sub cælo sunt. Quia ergo astra, & luminaria à Deo facta
sunt, & hominibus in ministerium data sunt, propterea non
sunt numinis adoratione digna. Sufficeret ergo, quod Moy-
ses Angelos a Deo creatos indicasset, ut Judæis occasionem
idolatriæ præcaveret; immò ut dictum est, si hoc à primo
capite suæ historiæ non præstisset, potius occasionem hujus
sceleris dedisset, cum non longè post Cherubinum memo-
rasset.

444 Nec discrimin illud Apóstoli cum Atheniensi-
bus disputantis, & ad Colossenses scribentis, aliquid amplius
convincit, quoiam etiam Atheniensibus notitiam creatio-
nis Angelorum saltim implicè dedit, in eo, quod mundum
cum omnibus, quæ in eo sunt, à Deo conditum assertuit:
cum ergo Angeli in Universo sint, tamquam partes princi-
pales, consequenter eorum productionem, vel creationem
satis insinuavit, cum omnia à Deo fuisse condita expressit.
Et licet intentio Apóstoli fuerit Atheniensium instruatio, si-
cū & Mōysis Hebræorum eruditio, tamen finis principalis

utriusque erat longè diversus ; quoniam Apostolus unius Dei notitiam principaliter tradere contendebat , occasione defumpta ex illo epigraphe , *ignoto Deo* , numini Atheniensium affixo , ostendens , illum Deum se ipsis prædicaturum , & manifestaturum , quem ignorantes colebant , quique erat creator omnium , quæ in mundo sunt , ac proinde solus ipse adoratione dignus . Moysis autem scopus in præsenti erat historica narratio originis , & creationis mundi : ad expeditionem autem plenam hujus muneris , ut ex textu Machabæorum constat , requiritur , quod historiographus partes singulas quaque materiae , quam narrandam assumit , diligenter disquirat : ergo oportuit , quod Angelos , qui sunt Universi partes principales , in sua historia recenseret , illorumque creationem cum ceteris creaturis texeret .

445 At rogas , quibus verbis Moyses Angelorum generationem indicavit ? Respondeo , quod ut §. prædenti , & in toto hoc art. sapè dictum est , Angelus potest quoad substantiam ejus , veluti informis , relate ad formationem gratia , & donorum supernaturalium considerari , & ut formatus gratia , & conversione ad Deum . Si primo modo accipiatur , cœli nomine significatur ejus productio , ut §. prædenti ex Augustino P. dictum est , & ejus informitas abyssi nomine : Congruentissime quidem , quoniam prior omnium creata est sapientia , id est , intellectualis angelica natura : ergo prior omnium ejus creatio debuit à Moysè commemorari : ergo nomine cœli , primo loco in Scriptura positi .

446 Verum , inquies , nomine cœli metaphoricè significatur Angelus , ut art. 3. dictum est ; inconveniens autem est , quod historica narratio Moysis à metaphoris , ab historico sensu alienis , exordiri afferatur : non ergo cœli nomine , Angeli creatio congruè designatur . Respondeo , quod cœli nomine frequenter ex usu Scripturæ S. aliquid sublime , cœlum , & elevatum consuevit significari . Hinc in psalmo , *sæcum cœli Domino* , dicitur : & *cœlum mihi sedes est* , quod intelligit Albertus Magnus , tract. 3. de 4. coæquavis q. 20. art. 2. ad 2. de beatis , in quibus quiescit Deus : & ibi in corp. dicit , quod cœlum Trinitatis ipse Deus est : & art. 3. docet , quod in hoc cœlo nihil est , nisi Pater , & Filius , & Spiritus S. Et etiam , quod cœlum dicitur per continentiam

Virtutis salvantis omnia sub ipsa contenta. Unde secundum hunc usum Scripturæ S. optimè quadrat Angelis nomen cœli; sunt enim creaturæ supremæ, transcendentes omnem ordinem rerum corporalium, sublimum cœlorum spiritus, supra Empyreum elevati, & sua tandem virtute corpora contineentes, regentes, atque salvantes. Ex hac ergo parte congruè Moyses Angelos cœli nomine significavit.

447 Et licet attenta vocis significatione propria, metaphoricè dicatur hoc nomen de Angelo, tamen non omnino opponitur historicæ narrationi, quod quandoque vocibus, metaphoricè rem significantibus, utatur: ut permittit Ascanius, nobis in hac parte contrarius, tom. i. in Gen. sol. 428. dicens: *Munus historicæ est, usitata vocum significatio- ne res gestas enarrare, metaphoricasque voces raro adhibere, allegoricas nunquam.* Unde non inconvenit, quod nomine cœli Moyses Angeli creationem expresserit; quia in primis usitata est in Scriptura hujusmodi acceptio prædicti nominis; & aliunde raro Moyses utitur in sua historia, secundum intelligentiam Augustini P. vocibus metaphoricis, allegorijs nunquam.

448 At, inquis, quod prima voces, quibus Moyses suam historiam exorditur, metaphoricæ sint, inconveniens videtur intolerabile. Respondeo, quod stando maximæ ab Adversarijs sèpè inculcatæ, necdum est hoc tolerabile, verum convenientissimum, & utile. Quoniam Moyses instruebat de prima rerum institutione populum rudem: ergo convenientissimum erat, ut illorum exiguitati, & mentis crassitudini, quantum fas erat, condescenderet. Nunc sic: sed crassa mens Iudaorum nequibat naturam Angelorum plenè comprehendere: ergo oportebat, quod non uteretur nominibus naturam angelicam plenè exprimentibus, sed alia voce, rem maximè notam, & Angelis quodammodo similem, significante: cum ergo cœlum significet rem corporali visa spectabilem, & in sublimitate, continentia, & inuentia Angelo similem, convenienter Moyses expressit Hebrews cœli nomine Angelos. Unde eadem ratione, materiam invissam, ex qua, Sap. 11. dicitur, Deum fecisse mundum, nominibus terræ & aquæ, propter similitudinem cum materia prima, notificavit. Habemus ergo, & quod oportuit,

ut Moyses Hebreis Angelorum creationem manifestaverit, & quod hoc congruenter, & prudentissimè cœli nomine praestitit.

449 Restat nunc, ut investigemus, ubinam ejus formationem expresserit? Magn. P. August. locis toto hoc Opusculo sàpè citatis, & frequenter alibi docet, Angeli formationem à Moysè nomine lucis fuisse significatam: formationem, inquam, præcipùè per conversionem ad Deum plenè liberam, visionis beatæ, atque vitæ aternæ meritoriam. Expressius habetur in ipso hæc intelligentia lib. 4. de Gen. ad lit. cap. 22. ubi postquam lib. 1. cap. 10. 11. 12. ac 16. late, solidèque eam ostenderat, & eadem fundamenta lib. 4. cap. 21. epilogo reassumpserat; his demum cap. citato concludit verbis: *Sed quoniam lux corporalis, antequam fieret cœlum, quod firmamentum vocatur, in quo etiam luminaria facta sunt, quo circuitus, vel quo processu, & recessu vices diei, & noctis exhibere potuerit, non invenimus, istam questionem relinquare non debemus sine aliqua nostra prolatione sententiae.* (Nota sine prolatione nostra sententiae, propter eos, qui dicunt, sententiam de luce spirituali primi diei, deque diebus angelicis creationis mundi, non fuisse ab Augustino P. assertam, sed disputativè duntaxat traditam, cuius oppositum manifestè enuntiant verba allegata.) Ut si lux ista, quæ primitus creata est, non corporalis, sed spiritualis est: sicut post tenebras facta est, ubi intelligitur à sua quadam informitate ad creatorem conversa, atque formata: ita & post vesperam fiat mane, cum post cognitionem suæ proprie natuæ, quæ non est, quod Deus, refert se ad laudandum lucem, quod ipse Deus est, cuius contemplatione formatur. Conversio autem Angeli, de qua hic Augustinus P., debet ad mentem ejus accipi plenè libera, & vitæ aternæ meritoria, ut supra num. 322. & alibi sàpè ostensum est. Ex quo fit, quod ulterior illa Angeli formatio per contemplationem perfectam Verbi, ibi ab Augustino P. asserta, est posterior dura^{tione} ad primam, cuius terminus est, & præmium; perspicuum enim est, quod non potest Angelus simul esse in termino, & in via ad ipsum.

450 Quod autem expositio hæc sit literalis, & secundum propriam significationem verborum, efficaciter per-

suader Augustinus P. ibi cap. 28. dicens: Nec quisquam arbitretur illud, quod dixi de luce spirituali, & de condito die spirituali, & angelica creatura; & de contemplatione, quam habet in Verbo Dei; & de cognitione, qua in seipsa creatura cognoscitur, ejusque relatione ad laudem incommutabilis veritatis :: non jam propriè, sed quasi figuratè, atque allegoricè convenire ad intelligendum diem, & vesperam, & mane. Sed aliter quidem, quam in hac consuetudine quotidiana lucis hujus, & corporalis: non tamen tamquam hic propriè, ibi figuratè. Ubi enim melior, & certior lux, ibi verior etiam dies: Cur ergo non tam verior vespera, & verius mane? Nam si in istis diebus habet quandam declinationem suam lux in Occasum, quam vesperæ nomine significamus; & ad Ortum iterum reditum, quod mane dicimus: cur & illic vesperam non dicimus, cum à contemplatione Creatoris creatura despicitur, & mane, cum à cognitione creature in laudem creatoris assurgitur? Neque enim, & Christus Dominus sic dicitur lux, quomodo dicitur lapis; sed illud propriè, hoc utique figuratè. Huic probatio Augstini Par. adjungendæ sunt cæteræ art. 2. latè exhibitæ, ex quibus patet, quòd sensus Augustini P. literalis est, quippe ex propria verborum significatione procedens.

451 Sequitur Augustinum P. Eucherius Comment. in Gen. lib. 1. cap. 2. ubi ad literam transcribit probacionem Aug. num. 118. relatam, & concludit: Nihil enim mirum, si in operibus sex dierum Angeli lucis significatione creati intelliguntur: ante omnem enim creaturam facti sunt, quia prior omnium creatarum est sapientia: qui propterea dicuntur sapientia, inhærendo, scilicet, aeterna sapientia. V. Beda Expositione in Gen. totus Augustinianus est, cùm dicit: Spirituælis autem facta est lux, cùm dixit, fiat lux, id est, Angeli, & Virtutes cœlestes, de quibus dicitur: prior omnium creatarum est sapientia. Hæc autem ipsa spiritualis creatura, cœlum appellata est, cùm dictum est: In principio creavit Deus cœlum, & terram: Ut quod dixit Deus, fiat lux, & facta est lux: eandem ad se revocando creaturam, converso illius facta esse, atque illuminata intelligatur. Et lib. de sex dierum creatione, docet, quòd lux primi diei est invisibilis, angelica videlicet creatura: & quòd ista creatio temporalis est, quia in principio creavit Deus cœlum & terram: & facta est lux, inquit, id est,

creatio angelica quia illi tunc cognoverunt agnoscere , vel intelligere creatorem suum (intellige, fructuose, hoc est, se subiiciendos esse creatori.) Et mox affert , & reflectit discrimen inter opus primi diei, & secundi, quantum ad hoc, quod postquam Scriptura S. dixit primo die , O facta est lux , non repetit: O fecit Deus lucem , sicut in secundo die additur ad factum est ita, O fecit Deus firmamentum ; super quod discrimen eandem doctrinam, statim ex Augustino P. assignandam, tradit, dicens: Jam non erat opus , hoc de Angelis iterum repetere, quia illi tunc , sicut diximus , conversi fuerunt ad cognoscendum creatorem suum. Cum enim aeterna illa , O immutabilis , quae non est facta , sed genita sapientia , in spirituali , atque rationalem creaturam se transfert (sicut in animas sanctas , ut illuminati lucere possint) sit in eis quedam luculentia rationis affectio , quae potest accipi , facta lux , cum dixerit Deus , fiat lux . Jam erat spiritualis creacio , quae celi nomine significata est; cum scriptum sit: In principio creavit Deus cœlum , O terram: non celi corporei , sed celi incorporei , in quo intelliguntur omnes sancti Angeli.

452 S. Isidorus de Summo bono lib. I. cap. 10. Augustini P. sententiam 11. de Civit. Dei cap. 19. & 20. his verbis epilogat: Ego dominus formans lucem , O creans tenebras : sed quia angelica natura , quae non est prævaricata , lux dicitur : illa autem , quae prævaricata est , tenebrarum nomine nuncupatur : inde O in principio lux à tenebris dividitur: Sed quia O vos , O illos Deus creavit , idè dicitur , formans lucem , O creans tenebras . Veruntamen bonos Angelos non tantum creans , sed etiam formans: malos vero creans tantum , non formans . Glossa Ordinaria ex Aug. P. hæc habet: Lux primo die facta , spiritualis , vel corporalis intelligitur. Si spiritualis , non illa Patri coetera , per quam facta sunt omnia: sed de qua dicitur Ecclesiastici 1. Prior omnium creata est Sapientia , id est , spiritualis , O angelica vita , quae informiter fluctuat , nisi ad creatorem conversa; quae potest esse prima creatura , O cœlum dicta , cum dicitur: In principio creavit Deus cœlum , O terram: sed ad Creatorem conversa , cum dicitur , fiat lux , O facta est lux .

453 Rupertus Abbas comment. in Genes. capite 10. postquam probaverat , quod lux prima non posset

test accipi pro aliqua qualitate accidentaria, ex eo quod dies ille primus, omnium dierum coryphaeus, afferetur omnium dierum pauperissimus; cum alijs diebus productio substantialis esse rei adscribatur, huic autem accidentis creatio, concludit: *Melius magni, & nominatissimi Patres intellexerunt naturam angelicam lucis nomine significatam.* Eorum sensum rationabiles magis approbamus, & sequitur, angelicum creaturam recte lucem esse appellatam, lucem intellectualem, lucem, inquam, non solum quia vim discernendi habentem, verum etiam, quia veri, & incircumscrip-
taminis gratia resplendentem.

454 Alexander Alerensis part. 2. q. 49. memb. 1. per illud verbum *sicut lux intelligendam esse effectiōēm gratuitam Angeli*, docet sequentibus verbis: *Dicendum, quod intelligitur de conditione gratuita: cum primū creari essent, ceteri dicuntur, creavit cœlum, sicut vult Augustinus in 11. confessiōē facti autem, id est, formati formatione gratiae, cum conversi sunt per intellectum, & affectum, & hoc intelligitur ibi sicut lux.* Vidimus etiam art. 3. Albertum Magn. & D. Thomam magis inclinare in sententiam Augustini P.

455 Ex dictis ergo duo manifeste colliguntur. Primum, quod formatio Angeli, productione lucis significata, est conversio Angeli ad incommutabile bonum gratuita, & plenè libera, ut satis indicant verba Augustini P. num. 449a relata, loquitur enim ibi de formatione conversionis, qua cognitio Angeli redditur vespertina, seu ratione cuius *vespera recurrit ad mane*, seu ad cognitionem Verbi, in cuius contemplatione ultimo formatur Angelus: atqui hujusmodi convercio est plenè libera, gratuita, & meritoria vita aeternæ secus autem conversio illa communis, qua omnes Angeli, ex quo facti sunt, gratia ornati sunt, & casto amore Deo adhaeserunt; quoniam ad illam non fuit subsecuta in omnibus ultima contemplationis Verbi perfecta formatio, atque matutina claræ visionis Dei cognitio, sed in quibusdam nocte terrena, in penam superbiae eorum a Deo inficta: ergo. Secundum est, quod sic intellexerunt Augustinum P. magni, & nominatissimi PP. Isidorus, Beda, Rupertus, Eucherius Lugdun. D. Thomas, Albertus Magnus, & Glossa Ordinatio Alerensis, & alii, ut eorum dicta considerant manifestum erit.

456 Hinc consequenter Augustinus P. divisionem lucis à tenebris intellexit secretionem inter Angelos bonos, & malos, quæ consistit in hoc, quod Angeli boni, se à Deo factos intelligentes, retulerunt in laudem creatoris; è contrà verò Angelus malus, superbia tumidus, propriam excellētiā non fuisse Deo subjiciendam, petulanter judicavit, atque dixit, *in cœlum conseruandam*, *super astra cœli exaltabo solium meum, similis ero Altissimo*. Separationem hanc, & discrimen inter Angelos bonos, & malos dissertiūs explicat Augustinus Parens 11. de Civitate Dei, cap. 19. dicens; *Non mihi videtur ab operibus Dei absurdā sententia, si cum lux illa primi facta est, Angelī creati intelliguntur, & inter sanctos Angelos, & immundos fuisse discretum, ubi dictum est: & divisi Deus inter lucem, & tenebras: & vocavit Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem. Solus quippe ille ista discernere potuit, qui potuit etiam, priusquam caderent, praescire casuros, & lumen privatos veritatis, in tenebrosa superbia remansuros. Nam inter istum nobis notissimum diem, & noctem, id est, inter banc lucem, & has tenebras, vulgarissima sensibus nostris luminaria, ut dividerent, imperavit: sicut, inquit, luminaria in firmamento cœli, ut lucea sit super terram, & dividant inter diem, & noctem: & dividerent lucem, & tenebras. Inter illam verò lucem, que sancta societas Angelorum est, illustratione veritatis intelligibiliter fulgens, & ei contrarias tenebras, id est, malorum Angelorum aversorum à luce tērrimas mentes, ipse dividere potuit: cui etiam futurum non natura, sed voluntatis malum, occultum, aut incertum esse non potuit. Ubi notandum, quod malum, vel peccatum Angelorum futurum significatur per divisionem lucis à tenebris, relate ad primum instans, in quo prævidebat Deus, Angelorum, æqualiter in gratia conditorum, quosdam in amore Dei remansuros, quosdam verò per superbiam casuros.*

457 Sequuntur Augustinum P. quantum ad hoc nominatissimi PP. nuper citati: duorum tantum clariora testimonia proferam. V. Beda questionibus in Genes. hæc habet: *Deus bona, & incommutabili voluntate creavit omnes Angelos bonos; sed quia ex his quosdam per superbiam præsciebat casuros, per incommutabilitatem præscientia sua divisi inter bo-*

bonos, & malos. Malos igitur appellans tenebras; bonos appellans lucem: in his dicens, quia boni sunt: in illis nullatenus dicens; ne peccata, quae erant tenebrae, approbare videretur. Rupertus Comment. in Gen. lib. 1. cap. 13. Et divisit (inquit) lucem, & tenebras. Divisio ista lucis, & tenebrarum, terribile Dei judicium super Diabolum esse factum insinuat. De quo Psalm. Tu terribilis es (inquit) & quis resistet tibi? Ex tunc ira tua. Tantaquam diceret: Quis tibi resistere potest, cum ex quo tibi quis resistit, ex tunc terribilis excedat ira tua? Nam ex quo Diabolus resistit, id est, resistere voluit tibi; tu iratus es, & resistere non potuit: cecidit enim Angelus, & factus est Diabolus. Hoc terribile iudicium per divisionem insinuat lucis, & tenebrarum: Quae enim sunt istae tenebre, nisi omnes Angeli Satanae cum eodem suo principe? Has utique tenebras Deus lucemque divisit, quia malos Angelos a bonis separavit: divisit, inquam, separatione immutabili, ita ut nec isti, qui ceciderunt, resurgere: nec illi, qui cum peccare possent, peccando cadere noluerunt, ulterius unquam habeant, vel possint peccando cadere; Verba namque Dei cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Ista luce, isti sunt cœli. Lux, inquam, quam Deus a tenebris divisit, & cœli, quos Verbo suo, quos spiritu, id est amore suo, Deus firmavit; ut jam obscurari, vel dissolvi non possint: congregans sicut in utre aquas maris, ponens in thesauris abyssos, que omnia secundum literam jam in illo exordio facta esse dubium non est. Ecce ad literam a Moyse tradita divisio lucis a tenebris: ad literam, inquam, quia & sic gesta sunt, & facta proprijs vocibus declarantur, ut art. 2. ostensum est.

458 Divisione lucis a tenebris sic intellecta, con sequenter Augustinus P. luce Angelorum bonorum, diem constituit Angelicum, & spiritualem, modo supra ex ipso a num. 321. explicato, in quo itidem sequuntur Augustinum P. præclarissimi Patres & Theologi nuper citati: sufficiat Isidori, & Bedæ testimonia in medium adducere. Igitur S. Isidorus de summo bono cap. 10. sic ad intentum loquitur:

„ Dies prior factus, Angeli sunt: quorum propter unitatem, insinuandam, non dies primus, sed dies dictus est unus: & idcirco ipse repetitur semper in executione creaturae. Quia

dies, hoc est, natura Angelorum, quando creaturam ipsam contemplabatur, quodammodo vesperascebatur: non autem permanendo in ejus creaturæ congiitu, sed laudem ejus ad Deum referens, eamque melius in divina ratione conspiciens, continuò mane siebat. Si verò permaneret, neglecto creatore, in creaturæ aspectu; jam non vespera, sed nox utique fieret :: Dum se creatura melius in Deo, quam in seipso noverit; ipsa sui cognitio, quæ major in Deo est, dies, & lux dicitur. Cognitio verò sui in seipso ad compensationem cognitionis illius, quæ est in Deo, quia longè inferior est, vespera nominatur. Ideoque post vesperam mane siebat: Quia dum suam in se cognitionem nem sibi non satisfacere agnosceret; ut se melius nosse posset, ad Deum se se referebat creatura, in quo se diem agnoscendo, melius fieret. In duobus tamen videtur Isidorus ab Augustino P. dissidere. Primum, quantum ad rationem, cur dies non dicatur *primus*, sed *unus*, quam Isidorus ad unitatem Angelorum reducit; Augustinus autem ad unitatem cognitionis, ut suprà ostensum est. Secundum, in eo quod primæ diei, seu cognitioni, qua Angelus se cognoscit, mane videtur attribuere, cum se melius in Verbo cognoscit; cuius oppositum ex Augustino P. & D. Thoma in formatione dierum probavimus. In ceteris verò Isidorus totus Augustinianus est.

459 V. Beda quæst. in Gen. hæc ad propositum habet: *Primum enim diem, spiritualem adstrues esse creaturam, & quomodo habuit vespera, & mane?* Omnis namque creatura, antequam tempore suo fieret, in ipso Verbo Dei erat prius ab Angelis cognoscenda; & sic suo tempore facienda. Quapropter ipsa creatura cognitione in semetipsa, vespera erat, in Deo autem mane: quia plus videtur ipsa creatura in Domino, quam in seipso videtur creatura; plus, scilicet, videtur in arte, qua facta est, quam in seipso, quæ facta est. Propterea sit Evangelista Joannes: *Quod factum est, in ipso vita erat.* Omnia ergo que facta sunt, & vitam non habent, in ipso Verbo Dei vita sunt, in seipso non sunt vita: Cælum, terra, lapis vitam non habent, & tamen in Domino vita sunt. Vivunt igitur in Deo sine initio, atque incommutabiliter omnes rationes creaturarum. Ac per hoc plus videntur ab An-

golis sanctis in Verbo Dei, ubi sunt vita, quam in seipso? Quia scientia Angelorum in comparatione Dei quodammodo vesperascit. Ergo primus in cognitione firmamenti: Secundus in cognitione discretionis terræ, ac maris: Tertius in cognitione Solis, Lunæ, & stellarum: Quartus in cognitione repabilium, & animalium: Quintus in cognitione jumentorum, & ferarum, vel ipsius hominis: neque enim sextus diei unius, quem intelligimus spiritalem creaturam, idest, Angelicam, sexies facta cognitio, sexies fecit propter senarij numeri perfectionem. Duo etiam in his habentur Augustino P. auctoritate. Primum, quod matutinam cognitionem non ad propriam rationem creaturarum terminatam in Verbo statuit, sed ad creaturam prout cum Deo identificata, secundum quod est ipsa creatrix essentia, & vita, qua plures creaturæ carent in propria natura: Augustinus autem, ut ex D. Thomas num. 279. dictum est, non sic accipit cognitionem creaturarum in Verbo. Secundum est, quod primum diem in ordine ad firmamentum constituit, quod Augustinus P. non concedit, ut ex ipso num. 321. patet.

460 Præmissa ergo Augustini P. & aseclarum ejus intelligentia, restat examinandum, utrum illa sit Scripturæ S. consonantia, sitque in ipsa fundamentum, & exigentia, ut sic accipiatur, & intelligatur? Affirmavimus cum Augustino P. & ut probationum pondus magis appareat, sciendum, quod verba Scripturæ S. (& maxime in præsenti) seria, & accurata diligentia sunt scrutanda, idcirco quod plena sunt sensibus, & quod nec quidquam ibi superfluum sit, aut redundans, nec diminutum. Unde Doctor Maximus super illud ad Ephes. 3: Alijs generationibus non est agnatum, dicit, quod singuli sermones, syllabæ, apices, & puncta in divinis Scripturis plena sunt sensibus. Et Basilius Magnus homil. 10. Exam. inquit: Ingens blasphemia est dicere, verbum aliquod in Scriptura redundare. Et Chrysostomus hom. 11. in Gen. ait: Diligenter Scriptura interpretanda est, non enim dictiō nem parvam, nec syllabam in divinis Scripturis contentam, inveniemus esse prætereundam. Cyrus lib. 2. super Joan. cap. 192. Nibil (inquit) ita parvum in Scripturis invenitur, quod magnam utilitatem nobis non pariat; omnia enim ad nostram doctrinam à sanctis viris scripta sunt. Hæc Sanctorum doctri-

(inquit Sapientissimus Magister Bañez, in primam p. D. Thomæ q. 74. art. 3. §. sed in oppositum) quamquam in reliquis sacrarum literarum libris sit observanda; maximè tamen congruit huic presenti capiti Genes. i. immò etiam 2. quoniam initium est sacrarum literarum, & nostra fidei, qua credimus Deum Creatorem cœli, & terre, & magnorum gratia mysteriorum secretum fundamentum. Evidem fateor, me nunquam satiari horum capitulorum repetita lectione: & quanto minus intelligo, tanto magis divinam sapientiam veneror, & ad sepius haec ipsa legendū vobementer afficio. Easdem affectiones erga secretissimam rem, quam ingenio impari tracto, ut verum fatear, ex quo Augustini P. sententiam Salmanticæ, filiali obligatione impelleste, flagitantibusque enixè discipulis, pro imbecilli captu vindicandam assumpsi, expertus sum; & quanto magis arduam hanc difficultatem placito subtili, ingenioso, & rationabilissimo Augustini P. decissam, ab Adversarijs despectam, gravissimisque, & tanto Parenti injuriosis censuris inustam videbam, tanto magis animum inflammati, & ne capta relinquerem, gravissimo quodam pondere impelli sentiebam. An autem hujusmodi impulsus genialiter intrepiditatis esset minus deliberatus motus; anve ineluctabilium fundamentorum positionis Augustinianæ à nuper relatis nominatissimis PP. & Theologis confirmata, amores penes pium, & prudentem opusculi hujus lectorem sit judicium.

461 Firmissimam ergo ex Patribus statutam regulam ad praxim reducens, sic Augustinus Parens 2. de Gen. ad lit. cap. 8. profundissime meditatur circa discrimen in Scriptura S. in opere primi diei, collato cum alijs, inventum; penes hoc, quod in primo die bis tantum in productione lucis verbum fieri invenitur positum, cum dicitur: *Dixit Deus fiat lux, & facta est*: in productione autem firmamenti ter repetitur prædictum verbum: Primo dicitur: *fiat firmamentum*: deinde additur: *& fecit Deus firmamentum*: & tandem subdividetur: *& factum est ita*. Nunquid, inquit Aug. P. ibi cap. 7. etiam lux non per filium facta est, ubi prorsus nullo modo repetivit? Potuit enim, & illuc ita dicere, & dixit Deus, *fiat lux*, & sic est factum: & fecit Deus lucem, & vidit quia bona est: Sed nullo modo repetens, posteaquam proposuit, & dixit Deus, *fiat*.

fiat lux: nihil aliud intulit, nisi, & facta est lux; ac deinceps de placita luce, & divisa à tenebris, & utroque appellato non-minibus suis, sine ulla repetitione narravit. Differentia ergo hæc, cùm nihil redundans in Script. S. sine blasphemia dicere possit, aliquid nobis innuit, & ad profundum scrutinium, attentamque considerationem, & examinationem provocat.

462 Augustinus P. citato cap. 8. subtilissimam, congruamque intentioni Auctoris, sequentem rationem discriminis assignat, dicens: *Quid sibi ergo vult in ceteris illa repetitio? An eo modo demonstratur primo die, quo lux facta est, conditionem spiritualis, & intellectulis creature lucis appellatione intimari?* In qua natura intelliguntur omnes Angeli sancti, atque Virtutes: & propterea non repetivit factum, posteaquam dixit, facta est lux: quia non primum cognovit rationalis creatura conformatiōnē suā, ac deinde formatā est: sed in ipsa conformatiōne cognovit, hoc est, illustratione veritatis, ad quam conversa, formatā est: cetera vero quae infra sunt, ita creantur, ut prius fiant in cognitione rationalis creaturæ, ac deinde in genere suo. Quapropter lucis conditio prius est in Verbo Dei secundum rationem, qua condita est, hoc est, in coetera Patris Sapientia, ac deinde in ipsa lucis conditione secundum naturam, qua condita est; illic non facta, sed genita, hic vero facta, quia ex informitate formatā: & ideo dixit Deus, fiat lux, & facta est lux: ut quod ibi erat in Verbo Dei, hic esset in opere. Conditio verò cœli prius erat in Verbo Dei secundum genitam Sapientiam: deinde facta est in creatura spirituali, hoc est, in cognitione Angelorum, secundum creatam in illis sapientiam; deinde quod cœlum factum est, ut esset etiam ipsa cœli creatura in genere proprio: Sto & discretio, vel species aquarum, atque terrarum, sic naturæ lignorum, & herbarum, sic lumenaria cœli, sic animantia orta ex aquis, & terra.

463 Et mox addit: *Quemadmodum ergo ratio, qua creatura conditur, prior est in Verbo Dei, quam in ipsa creatura, qua conditur: sic & ejusdem rationis cognitio prius fit in creatura intellectuali, que peccato tenebrata non est, ac deinde ipsa cognitio creatura posita in genere proprio.* Et denique ibi subiungit: *Quapropter jam luce facta, in qua intelligimus ab aeterna luce formatam rationalem creaturam, cùm in ceteris*

Vis creandis rebus audimus, & dixit Deus, fiat, intelligamus ad æternitatem Verbi Dei recurrentem Scriptura intentionem: Cum vero audimus, & sic est factum, intelligamus in creatura intellectuali factam cognitionem rationis, qua in Verbo Dei est, condensæ creature: ut in ea natura prius quodammodo facta sit, quæ anteriore quodam motu in ipso Verbo Dei prior faciendam esse cognovit: ut postremo cum audimus repeti, ac dicit, quod fecit Deus, jam intelligamus, in suo genere fieri ipsam creaturam. Porro cum audimus, & vidit Deus, quia bonum est, intelligamus, benignitati Dei placuisse quod factum est, ut pro modo sui generis magueret, quod placuit ut fieret, cum Spiritus Dei superferebatur super aquas.

464 Hec Augustinus Parens, in quibus trinam illam repetitionem verbi facere non esse inanem in reliquis operibus post primum, ex eo efficacissime, & rationabiliter ostendit, quod per quamlibet earum, esse & productio rei in aliquo statu designatur. Primo per ly: *Dixit Deus, fiat firmamentum*, v. g. exprimitur processus creaturæ in Verbo, quod ab æterno per dictiōnem, locutionem, & generationem à Patre procedit, tamquam sapientia genita, & ars factiva creaturarum; omnia enim per ipsum facta sunt; & in quo resident rationes rerum, & ipsarum ideæ, tamquam in exemplari Artificis, sibi rationem rei fiendæ mente concipientis, ibi non factæ, sed congenitæ, ut pulchritè cecinit Boëtius in lib. de consolatione.

*Tu cuncta superno
ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
mundum mente gerens, similique ab imagine formans.*

Cum ergo res primum suum esse habeat in prima causa, in qua est, ut fiat; rectè primo loco in Scriptura S. per ly: *Dixit Deus, fiat*, intelligitur processus creaturæ in primo suo Artifice, nempe Verbo, in cuius æterna generatione à Patre, simul sunt creaturæ congenitæ, hoc est, fluxerunt in Verbi mente in rationibus idælibus, & exemplaribus ipsarum. Deinde cum dicitur, & factum est ita, designatur effluxus creaturæ à Deo in mente Angelica: utique convenientissime; quoniam prior omnium creata est sapientia, hoc est angelica natura, purè declarans in se ipsa, ut inquit Dionysius, num.

253. citatus, sicut possibile est, bonitatem, quae est in abditio: & ut sapientia creata à sapientia genita processit; cui subinde ab initio, cùm esset perspicacissimi ingenij, notitiam omnium creaturarum Deus communicavit, ut s. præcedenti fuisse ostensum est. Unde ex hac Augustini P. doctrina infert D. Th. i. p. q. 55. art. 2. quòd Angelis Deus à principio indidit species omnium creaturarum representativas. Ergo sicut Angelus priùs, saltem natura, cæteris creaturis est conditus; ita omnes in ipso intentionaliter priùs fuerunt conditæ, quām essent in propria natura productæ: ergo convenienter per ly, factum est ita, in Script. S. manifestator secundo loco conditio creature in mente Angeli: & demum tertio per ly, & fecit Deus firmamentum, optimè declaratur ultimum esse, quod creatura habet in propria natura, cùm ab omnibus suis causis extrahitur.

465 Hinc jam clarè percipitur, cur bis tantum de luce verbum facere repetitur in Scriptura S. quia, nimirum Angelus duntaxat potest intelligi fieri in Verbo, & in propria natura; non autem, priusquam in se fiat, in mente intellegualis naturæ producitur; quia cùm ipse Angelus sit primæ intellectualis naturæ, & hæc ordine naturæ prior sit in esse naturali, quām in esse intentionalis; idcirco non fit priùs intentionaliter, quām in propria natura, atque adeò primò à Moyse describitur in Verbi æternitate esse Angeli, cùm dicuntur, fiat lux: & demum in propria natura per ly, facta est lux.

466 Declaratur amplius hæc doctrina sequenti ratione: Verbum facere tendentiam agentis ad esse rei terminatam designat: ergo, ut repetitio hujus verbi non sit superflua, & redundans, necessarium est, quòd ubicumque repetatur, novum esse rei designet, alioqui actum ageret; sed in Scriptura S. in opere primi diei bis ponitur: ergo duplex esse rei, ad quod actio agentis terminetur, denotat. Sed nullibi aptius hoc duplex esse lucis, quod est opus diei primi, quām in Verbo Dei, & in propria natura invenitur, immo nec alienbi tale esse, præter duplarem assignatum statum, possit excogitari: ergo verbum facere, primo die bis positum, demonstrat esse lucis in Verbo, Patri coetero, tamquam in supremo Artifice, in quo erat, ut fieret, & in propria natu-

ra, in qua temporaliter est creata. Nunc sic: sed in historia genesis Universi oportuit, ut fieret à Moysè Angelorum mentio, tum quoad substantiam eorum, tum quoad ipsorum conformatiōnēm per conversionem ad suum Creatorem, ut ab ipso illuminati, beatè, semperque viverent; quippe Angeli sunt principalis pars Universi, & historia Auctori congruit singulas quasque partes materiæ assumptæ disquirere, ut ex 2. Machab. constat: ergo Moyses, ut suo numeri plenè satisfaceret, Angelos, & quoad substantiam, & quoad formationem ipsorum expressit. Atqui Angelorum prima producōio rectè, & convenienter nomine cœli à Moysè Hebræis nominificatur; est enim primum, quod à Deo suisse creatum, à Moysè describitur, & prior omnium creata sapientia in eadem Scriptura manifeste legitur, & invenitur; & similiter prior omnium debuit formari Angelus, qui prior omnium fuerat creatus: in opere autem formationis primo loco lucis producōio memoratur: ergo Angelus lucis productione significatur formatus, cuius prima productio cœli nomine fuerat indicata. Nunc sic: sed Moyses luce illa, antequam ficerent cœli luminaaria, ponit jam diem constitutum: ergo exigentia est in ejus litera, ut dies spirituales intelligantur. Omnia patent ex nuper dictis, & supra determinatis.

467 Similiter discurrendum est in opere firmamenti, & reliquorum dierum, addita illa repetitione verbi *ficere*, in qua solum potest significari tendentia ipsius ad ponendum rem in esse intentionalī in mente Angeli; neque enim alibi potest assignari tertium esse firmamenti, præter esse quod habet in Verbo, & in propria natura: ergo illa tertia repetitio denotat firmamentum suisse factum in mente Angeli; & similiter in operibus aliorum dierum: ergo in Angelis fuit manifestatio operum sex dierum secundum cognitionem ipsorum: ergo in ipsis extitit lux, sua manifestatione diem constituerat: ergo dies angelici, & spirituales cum fundamento in litera Moysis sunt ab Augustino P. excogitati. Hæ omnes illationes vim accipiunt ex reflexione ab Augustino P. in textu primi & secundi diei facta: & amplius elucidantur ex dictis circa formationem dierum ad mentem ipsius. Antecedens autem docetur à D. Thoma 1. p. quæst. 55. art. 2. in corpore, & à Joan.

Joan. à Sancto Thoma, & alijs Thomistis super hunc art.

468 Quod cùm ita sit, miror, prælaudatum M. à S. Thoma, & alios Thomistas, prædictam doctrinam Augustini P. pro firmanda sua positione de luce spirituali primi diei, & diebus Angelicis, ab ipso ex Scripturæ S. visceribus, & ad intentiōnem Moyis erutam, ad probandam impresionem specierum omnium creaturarum in mente angelica ab initio factam, validam cum D. Thoma reputare; & nihilominus, cùm rem præsentem versant, Augustini P. sententiam, hac reflexione solida, alijsque gravissimis fundamentis munitam, tamquam metaphoricam expositionem, & à sensu Scripturæ alienam, respuere. Si namque metaphorica est illa interpretatio repetitionis verbis facere, sumendo illud de productione rerum in menti Angeli, minus idonea erit ad firmandam conclusionem Theologicam, quam ex doctrina illa Augustiniana loco citato & alibi D. Thomas, & ejus discipuli persuadent; ut enim art. 1. dictum est, Theologi Scholastici sensu literali, ex quo firmum sumitur argumentum, innituntur. Si ergo valida, & non metaphorica est prædicta interpretatio ad intentum as-signatum, cur non ad Augustini P. propositum?

469 Dices primò ex D. Thoma 1. p. q. 74. art. 3. ad 5. ex alijs Sanctis Patribus: quod illa tria repetitio aliud longè diversum denotat: primum, videlicet, *Dixit Deus, fiat*, imperium Dei: Secundum, scilicet, *factum est ita*, completionem operis. Tertium denique, nempe, *& fecit Deus*, additur ad præcavendum errorem eorum, qui dicturi erant, mundum corporalem à Deo per Angelos fuisse creatum. Verba S. Doct. sunt: *Secundum* alios verò potest dici, (præmisserat Augustini P. expositionem, quam nuper expendimus.) *quod in hoc, quod dicitur, dixit Deus, fiat, importatur imperium Dei de faciendo: per hoc autem, quod dicitur, factum est, importatur complementum operis.* Oportuit autem ut subderetur, quomodo factura fuit: præcipue propter illos, qui dixerunt, *omnia visibilia per Angelos facta.* Et ideo ad hoc removendum subditur, *quod ipse Deus fecit.* Unde in singulis operibus, postquam dicitur, *& factum est*, aliquis actus Dei subditur, vel fecit, vel distinxit, vel vocavit, vel aliquid hujusmodi.

470 Expositio hæc certè gravissima est, & literæ satis

consentanea: verum conformior appareat Augustini P. intelligentia, propter argumenta super ex reflexione Augustini P. deducta: & secundum eam salvantur omnia in aliorum Patrum sensu recensita: & commodius vitatur inconveniens superflus, & inanis repetitionis illius verbū facere. Singula scorsim sunt percurrenta, & discussione diligentē enucleanda. Et quantum ad primum manifestum est, quod Augustinus P. per primam illam clausulam, *Dixit Deus, fiat lux, ad aeternitatem Verbi Dei recurrentem sermonem intelligens*, in primis accingit se rigidissimè proprietati locationis Scripturæ S. ubi per dictiōnem, & locutionem Patris declaratur aeterna Verbi divini generatio, ut cum dicitur: *Dixit Dominus Dominus meo*: & aliunde hujusmodi dictiōne satis congruè declaratur, quod in ipso Verbo dictio Dei importat tendentiam ad creaturas, ut à Verbo fiendas; ut enim num. 34. ex D. Thoma dictum est, Verbum divinum procedit à Patre, ut expressivum Patris, & creaturarum, & expressivum, & factivum entium, non entium autem expressivum, & manifestivum: unde & ex cognitione omnium possibilium procedere asseritur à Thomistis. Et denique in hoc appareat non spondenda harmonia, & consonantia inter exordia veteris, & novi testamenti, cum Deus per Moysen Genesis primo Verbi generationem, & in ipso omnium creaturarum, ut ab eo fiendarum, primam emanationem indicavit; postmodum per Joannem in principio Evangelij clarius hoc ipsum demonstratus, cum diceret: *Omnia per ipsum* (hoc est per Verbum à Patre genitum) *facta sunt*. Et: *quod factum est, in ipso vita erat*; hoc est, in ipso tamquam in exemplari, & supremo omnium Artifice, erat à Patre per aeternam generationem acceptum; & secundum quod in Verbo erat res fienda, ipsa aeterna vita Verbi erat. Ergo convenientissimè Augustinus P. illud, *dixit Deus, fiat hoc*, vel illud, ad aeternam Verbi generationem refert, in quo ab aeterno simul à Patre emanarent, tamquam in supremo Artifice, omnium creaturarum idéales rationes. Et simul cum hoc salvatur in ipsa expressione imperium, quod præferre videtur illud, *dixit Deus, fiat*; quoniam Deus ab aeterno dicto suo omnipotentissimo cum Verbum genuit, simul imperavit, ut per ipsum in tempore fierent omnia; dixit enim, & facta sunt: imperavit,

inquam, non *Filio*, qui æqualis ipsi Patri ab eo genitus est, sed simul cum *Filio*, & *Spiritu Sancto* imperium constituit, ut creature in tempore ad ejus nutum emanarent. Ergo expostio Augustini Parentis, & doctrinam Scripturæ S. inharen-tem, & aliorum Patrum sensum compatientem, statuit: ergo verosimilior habenda est.

471 Quantum ad secundum, quod scilicet, per ly factum est ita, ut alij Patres contendunt, intelligenda sit completio operis in se, cum distinctione admittendum est; ut, scilicet, si postmodum non addatur in Scriptura S. O fecit Deus, ut in primo die contingit, verum sit, ut ex Augustino P. dictum est: at verò si posteà additur illa expressio, convenientiorem judico Augustini expositionem. Quod sic ostendo evertendo tertiam solutionis partem ex Patribus assig-natam; quoniam aut diminutè in opere primi diei Moyses si-ne illa expressione processit; vel si hoc non admittatur, superflue, & redundanter in alijs operibus illam addidit. Dices cum D. Thoma ibi ex alijs Patribus, quod Moyses in primo opere, post illud O facta est lux, addidit aliquid æquiva-lens, vel idem significans, ac illud O fecit Deus, nempe, diuisit Deus lucem à tenebris, O vocavit Deus lucem diem. Sed contrà; quoniam ad intentum Auctorum solutionis ly diuisit lucem à tenebris, non æquivalat, nec idem significat, ac prædictæ aliæ expressiones; illud namque O fecit Deus, juxta ipsos, ad intentionem Mosis, eò tendit, ut manifes-tet, Deum esse immediatum, & unicum Auctorem visibilium; sed divisionis lucis à tenebris, in ipsorum sensu, non est unica causa Deus; facit enim illam divisionem formaliter ip-samet lux per immediatam oppositionem cum tenebris: ergo ly diuisit lucem à tenebris non denotat, quod Auctores solu-tionis contendunt.

472 Præterea: sicut in opere primi diei, postquam dicitur O facta est lux, additur divisionis lucis à tenebris, & quod vocavit Deus lucem diem; ita in opere firmamenti ult: a illam trinam repetitionem, quam versamus, divisionis aquarum facta ab ipso firmamento, nomenque cœli ipsi impositum, re-feruntur: ergo aliud quid distinctum significat ad intentio-nem Mosis illud O fecit Deus, quam aliæ expressiones me-morata; alioqui superflue additum esset ibi O fecit Deus.

Ulterius: quod Deus nomina rebus imponat, non denotat ipsum esse unicum rei Auctorem: Sic Jacob Israël nominavit; & Abram, ulterius Abraham nominari præcepit; quin in his specialis, & unicus aliquis influxus Dei erga substantiam horum Herorum designetur. Demum, ad vitandum errorem in solutione citatum, sufficiebat, quod in quolibet opere diceretur *Dixit Deus*, siat hoc vel illud, & continuo adderetur *O factum est ita;* alioqui non sufficeret hoc in productione lucis; ut enim ostensum est, cætera ibi addita non denotant, quod Deus sit unicus Auctor lucis: non quidem illa duo jam discussa; nec aliud, quod ibi superest examinandum, scilicet, *vidit Deus lucem, quod esset bona,* quippe hoc approbationem, & complacentiam Dei in opere facto, omnibus annuentibus, significat.

473 Ex his amplius confirmatur ratio Augustini P: Quoniam nisi tria illa repetitio modo ab Augustino P. intento accipiatur, una ex illis, quippe novam tendentiam ad novum esse rei importans, redundans est: cum ergo hoc dici nequeat, oportet, quod cum bis tantum in Scriptura ponitur, significet tendentiam verbi facere ad creaturam in Verbo, & in propria natura: & cum tertio additur, tendentiam ad esse creaturæ in mente angelica. Atqui si lux primi diei materialis esset, cum haec etiam fiat in mente angelica, sicut ceteræ creature, deberet similiter in ejus productione tria illa repetitio inveniri: ergo cum tantum bis ponatur, satis sufficienter indicatur in Scriptura, quod ibi de Angeli formatione fit mentione, qui non potuit in ejus cognitione prius fieri, quam in propria natura: ergo in litera est exigentia, ut lux illa, & dies, de Angeli formatione, & cognitione accipiatur.

474 Dices ulterius ex Doct. Exim. Suarez lib. i. de Op. sex dier. cap. 11. num. 38. quod ponderatio Augustini P. non convincit: Quoniam si ad rem, inquit, spelemus, etiam si per lucem intelligamus Angelos, illi non tantum habent esse in Verbo, sed etiam facti sunt in mentibus angelicis, sicut res aliæ, per impressionem specierum: ergo in hoc parva, vel nulla est differentia inter opus primi diei, & reliquorum. Accedit, quod res non dicuntur propriè fieri in Verbo Dei, licet in illo sint enginenter, & objectivè, tanquam in arte,

arte, vel idæa; & ideò cùm dicitur, *fiat lux*, vel *firmamentum*, non est sensus, quòd fiat in Verbo Dei, sed quòd fiat in se: & hoc ipsum ostenditur, cùm dicitur *& facta est lux*; declaratur enim efficacia imperij divini, quod imperium non est aliud, quam voluntas Dei, quæ per verbum imperandi significatur. Quòd verò in opere secundi diei addatur *& fecit Deus*, non intelligitur, idest, fecit in mentibus Angelorum; nam hæc est planè metaphorica, & voluntaria interpretatione sine fundamento in litera. Unde, ut opinor, non habet peculiare mysterium: sed additum est ad explicandum melius munus firmamenti, quod fuit dividere aquas ab aquis. Unde in tertio die non est additum simile Verbum; quia secundum contextum non erat necessarium: In quarto autem die repetitum est, quia ad majorem operis explicationem erat commodum: In quinto verò die omissum est verbum *& factum est ita*, solumque dicitur, *dixit Deus, producant aquæ*, & infra, *creavitque Deus cœte grandia &c.* In sexta verò die paululum immutantur verba, & de homine solum dicitur *faciamus hominem*, quo significatur internum consilium; & postea declaratur executio, cùm subiungitur: *creavit Deus hominem.* Tota ergo illa differentia inter opus primi diei, & cæterorum non subsistit.

475 Respondeo ad primum, quòd certè in mentibus Angelorum facti sunt etiam alij Angeli per impressiōnem specierum, ut docet S. Thom. i. p. q. 56. art. 2. ex Augustino P. in 2. super Gen. ad lit. Sed propterea in productione Angelorum, vel eorum formatione, hujusmodi productio non declaratur, quia priùs debuit Angelus in esse naturali manifestari, quam secundum quòd in ipso sunt alij creaturæ in esse intentionaliter. Productio autem Angelo in esse naturali, jam ultimatum esse ejus intelligitur consummatum; & ideò non repetitur in ejus productione *& fecit Deus*; quia licet impressio specierum per posterius ordine naturæ ad productionem in propria natura Angelii fuerit facta; tamen quia hujusmodi effectus est veluti appendix substantiarum Angelii, & ejus complementum, propterea in productione ipsius non repetitur. Ad secundum concedimus, quòd res non dicuntur propriè fieri in Verbo; quippè idem sunt in ipso ac ipsum, & vita ipsa Verbi: Unde Augustinus dicit,

quòd

quod illic non facta, sed genita, hic vero facta, quia ex informitate formata. Ceterum ibi sunt ut fienda, & ut fluane a Verbo, veluti supremo Artifice: & hoc significatur, cum primò dicitur, sit lux. Ad illud quod additur, quod imperium Dei ibi significatur, jam suprà dictum est.

476 Quod vero dicitur, interpretationem Augustini P. de impressione specierum, vel factione firmamenti in mente Angeli, planè metaphoricam esse, voluntariam, & sine fundamento in littera: nescio quo fundamento ab Exim. & alioqui mitissimo Auctore, profertur. Quoniam proprium, & non metaphoricum est hoc dictum: intellectus intelligendo fit omnia: & similiter per impressionem specierum, fit saltem in actu primo, & intentionaliter id, quod species naturæ est representare; species enim rei in esse representativo, & intentionalis, est ipsam res, cuius similitudo est. Unde intellectus intelligendo bobem, fit bos, intelligendo lapidem, lapis, &c. & similiter cum habet speciem, idem dicitur in actu primo: sicut qui habet habitum alicujus scientiæ, licet actu non demonstret, ab illo habitu denominatur talis, & cum acquirit philosophiam, v. g. dicitur fieri Philosophus: Cur ergo non dicetur propriè fieri firmamentum in mente Angeli, cum ipsi species firmamenti imprimitur, vel intellectus ejus ad cognitionem firmamenti applicatur? Non ergo censenda est metaphorica illa locutio. Habet autem Augustinus P. gravissimum fundamentum in litera ad hujusmodi interpretationem. Quoniam triplex factio in opere firmamenti exprimitur: ergo triplicem tendentiam in ordine ad triplex verum esse reale designat. Atqui non est excogitabile illud triplex esse rei distinctum, nisi in Verbo, in mente Angeli, & in propria natura; & aliunde congruum erat, quod species, & similitudo, quæ erat in sapientia increata rei fienda, ut ab ipsa produceretur, menti angelicæ, & sapientiæ creatæ imprimiceret; non quidem in ratione idealis formæ, per quam Angelus constitueretur creaturarum corporalium artifex, sed qua redderetur potens creaturas cognoscere: ergo per aliquam factionem ex illis tribus denotatur producio firmamenti in mente Angeli: ergo cum fundamento in littera procedit Augustinus P.

477 Præterea, cum nullum verbum sit in Scriptura
fue-

superfluum, nec sensu vacans, iram̄ quodlibet verbum plenum sit sensibus: & in productione lucis non sit additum, & fecit Deus, bene verò in productione firmamenti: cur hic actum agere, & jam dictum iterum illud verbum repetere censetur? præsertim cùm proprium significatum, & distinctum, & cùm fundamento in re illi ab Augustino P. assignetur, ut ostensum est. Habet ergo verbum illud peculiare mysterium, & non denotat unice additionem factam ad explicandum melius munus firmamenti, quod est dividere aquas ab aquis; hoc enim munus jam sufficienter fuerat explicatum, priusquam à Moysi diceretur & fecit Deus firmamentum, cùm dixit fiat firmamentum in medio aquarum, dividat aquas ab aquis; quia secundum hanc Doctorem, cùm dicitur fiat firmamentum, non est sensus, quod fiat in Verbo, sed quod fiat in se: ergo juxta Suarium, priusquam dicatur, & fecit Deus firmamentum, jam hoc intelligitur in se, faciens actu divisionem aquarum: ergo superflue additur factio firmamenti dividentis aquas ab aquis. Vel cur etiam hoc ipsum in productione lucis non additur ad explicandum melius divisionem lucis à tenebris?

478 Ad id, quod additur; quod nimirūm tertio die hujusmodi verbum non additur, quia secundum contextum non erat necessarium. Respondeo, quod licet in nostra Vulgata de opere congregationis aquarum, postquam dicitur & factum est ita, non addatur & fecit Deus, &c. tamen in litera, qua utitur Augustinus P. simile additum legitur, ut vide-re est in ipso 2. de Gen. ad lit. cap. 7. dicente: *Sed tamen ibi postquam dixit, & factum est sic: tunc repetivit dicens, & congregata est aqua, quæ sub scelo est.* Ergo Scriptura S. illud additum tertio die non prætermisit: quod licet in Vulgata non exprimatur immediate ad congregationem aquarum, tamen in opere illius diei illa tria repetitiones post omnia illius diei posuntur; dicitur enim ibi: *Germinet terra herbam virentem, & subditur post: & factum est ita;* & demum subjugatur: *& protulit terra herbam virentem:* ecce triam illam repetitionem in opere tertie diei, quæ licet expressè & immediate afficiat plantarum productionem; quia tamen istae cum terra, & aqua integrum unum opus tertij diei constituant, propterea saltim implicitè totum opus tria illa repetitione

determinatur. Vide Aug. P. ibi cap. 11. Et quod dicit Sua-
rius , quarto die repetitum esse, quia ad majorem operis ex-
plicationem erat commodum. Cur, rogo, non esset similiter
ad majorem explicationem lucis primi diei commodum illud
additum , quod ibi deest? Quoniam difficultius percipitur lux
primi diei secundum epositionem , quam sequitur Eximus
Doctor, ut att. 3. diuum est, quam operis quarti diei man-
era, post tertiam illam repetitionem posita; ibi enim sic dici-
tur: *Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut*
praeasset diei; & luminare minus, ut praeasset nocti: & stellas.
Et posuit eas in firmamento caeli, ut lucent super terram: &
praeessent diei, as nocti, & dividenter lucem ac tenebras. Hæc
autem omnia sunt notissima , sensibusque obvia ; quæ autem
de luce primi diei à Recentioribus , & etiam antiquis Patri-
bus dicuntur , valdè sunt à sensibus remota : ergo magis ex-
plicatione indigebat , quam opus quarti diei. His autem non
obstantibus , ibi non sit dicta repetitio : ergo aliquod myste-
rium diligentie dicusione dignum indicat ibi illa omissio , &
in cæteris dicti verbi repetitio.

479 Quod verò dicitur , quinto die omissum esse,
& factum est ita; certè in Vulgata non invenitur , habetur
autem in litera , quam sequitur Augustinus P. ut patet ex ip-
so in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 14. ubi dicitur: *Eji-
ciant aquæ reptilia animarum vivarum, & volatilia volantia*
super terram sub firmamento caeli: & sic factum est. Vide
etiam ipsum 3. de Gen. ad lit. cap. 1. Ecce quod in vulgata
omittitur, hic ab Augustino P. ponitur: ergo etiam in quin-
to die illa trina repetitio invenitur: quæ in Vulgata etiam
potest subaudiri, cùm post illam repetitionem , *creavit Deus*
cæte grandia &c. subditur: *quam producerant aquæ in species*
suas. Ubi convenienter subintelligitur illud *factum est ita:*
hoc est, in mente Angeli productæ fuerant , vel si mavis , in
propria natura. Denique in opere sextæ diei illa trina repe-
titio quantum ad bestias terræ manifestè invenitur ; & etiam
de homine, de quo primò dicitur, *faciamus hominem ad ima-*
ginem, & similitudinem nostram; & post additur: *& creavit*
Deus hominem ad imaginem suam; & demum post omnia il-
lius diei sūbditur: *& factum est ita,* quod omnia opera illius
diei afficit, & determinat: ergo in omnibus operibus post
pri-

Primum, illa tria repetitio invenitur: ergo subsistit differentia illa inter opus primi diei, & reliquorum.

480 Secundò probatur ex Augustino P. positionem ejus de luce spirituali, & diebus angelicis in litera Moysis fundari. Quoniam in primo die approbatio operis immediate ad ejus productionem subjungitur, in reliquis autem operibus, post omnia illis diebus memorata, præcipue in quarto die: Hoc autem aliquid consideratione dignum innuit, juxta regulam suprà ex Patribus præfixam. Præexcelsus ergo Augustinus P. hujusmodi differentiæ causam, suo perspicacissimo ingenio dignam, solidissimamque doctrinam continentem, aſsignat lib. 11. de Civit. Dei cap. 20. dicens: *Denique nec illud preteroundum est silentio, quod ubi dixit Deus: fiat lux, & facta est lux: continuò subjunctum est: & vidit Deus lucem, quia bona est: non posteaquam separavit lucem, & tenebras, & vocavit lucem diem, & tenebras noctem; ne simul cum luce, etiam talibus tenebris testimonium placuisse perhibuisse videretur. Nam ubi tenebrae inculpabiles sunt, inter quas, & lucem istam, his oculis conspicuum, luminaria cœli dividunt, non antè, sed post infertur, & vidit Deus, quia bonum est: & posuit, inquit, illa in firmamento cœli lucere super terram, & preeſte diei, & nocti, & separavit inter lucem, & tenebras. Et vidit Deus, quia bonum est. Utrumque placuit, quia utrumque sine peccato est. Ubi autem dixit Deus: fiat lux, & facta est lux: statim sequitur, & vidit Deus lucem, quia bona est. Et postmodum infertur: & separavit Deus inter lucem, & tenebras: vocavitque Deus lucem diem, & tenebras noctem. Non hoc loco additum est, & vidit Deus, quia bonum est: ne utrumque appellaretur bonum, cum esset horum alterum malum viito proprio, non natura. Et ideo sola ibi lux placuit conditori: tenebrae autem angelice, & si fuerant ordinande, non eis en fuerant approbandæ.*

481 Præclarissima hæc Augustini P. doctrina, tamē clarissima, & quam quisquis bene affectus, & dispositus legerit, illiè, ut opinor, amplectetur; sic breviter ad formam reducitur: Illud, vidit Deus, quia bonum est, in operibus Dei positum, testimonium beneplaciti Dei, approbationisque ipsius erga opus, supra quod fertur, importat: ergo ubicumque ponatur, bonitatem operis, qua Dœ placuit,

ut fieret, & factum approbaret, significat; neque enim Deus nisi quod bonum est approbat: peccata autem improbat, licet illa permittat, & vitio arbitrij creati commissa, ordinet. Et è contrà, ubi Moyses in operibus creationis, aliquo opere approbato, aliorum, quæ eodem die commemorantur, approbationem prætermittit, signum est, quod ibi aliquid invenitur, quod bonum non sit, & Dei beneplacito dignum. Atqui in opere primi diei luci productæ beneplacitum Dei subjungitur, cum statim dicitur: *Et vidit Deus lucem, quod esset bona;* ad illud autem, quod ibi additur, nempe: *Et divisit lucem à tenebris: appellavitque lucem diem,* & tenebras noctem, similis approbatio non subjungitur: ergo lux prima facta bona est, & placens Deo: in divisione autem lucis à tenebris, & die & nocte, aliquid est, quod laude Dei dignum non est. Nunc sic; sed tenebrae, & nox naturalis bona sunt, quippe quarto die à Deo laudantur, ubi post divisionem lucis, & tenebrarum, diei, & noctis, super hæc omnia divina approbatio memoratur: ergo illæ tenebrae, & illa nox, que prima die non approbantur, non sunt tenebrae, & nox naturalis, sed tenebrae, & nox spiritualis, & peccatum Angelorum à luce Verbi aversorum, inter quos, & Angelos bonos divisit Deus; bonos lucem & diem appellans; malos autem tenebras & noctem. Nam ubi tenebrae inculpabiles sunt, ut in quarto die, non ante illas, sed post infertur, & vidit Deus, qui a bonum est: ergo lux illis tenebris opposita, & faciens diem, est lux spiritualis: ergo in litera Moysis est fundamen-tum ad positionem Augustinianam.

482 Confirmat subtilem hanc Augustini P. intelligentiam Rupertus Abbas Comment. in Gen. cap. 18. dicens: *Diligenter animadvertisendum. Prius vidit lucem, quod esset bona,* & deinde dividens lucem, & tenebras, condigna singulis imposuit vocabula. Si literæ ordinem ita contexisset: *Dixit Deus, fiat lux,* & facta est lux; *divisitque lucem,* & tenebras, appellavitque lucem diem, & tenebras noctem; & vidit Deus, quod esset bonum; *putaremus tenebras,* & noctem hic eo modo dici, quo in die quarto dictum est: *fiant luminaria in firmamento cœli,* & dividant diem, & noctem; sive ut item inferius dicitur, lucem, & tenebras: quorū nūtique divisio bonum est, ut positis (juxta psalmistam) tenebris, & facta nocte, in ipsa

ipsa pertransant omnes bestiae sylva: orto autem Sole ex eis homo ad opus suum, nocturna refectus quiete. Nunc autem tenebras à laude boni seclusit: Primum enim, ut jam dictum est, dixit, quia vidit Deus lucem, quod esset bona, & deinde divisit, & utriusque nomina invicem optata dedit, quia lucem diem, & tenebras noctem appellavit. Ergo iste tenebre sunt ejusmodi, in quibus nihil intelligitur boni. Et quidem tenebre, de quibus istam lucem splendescere iussit, bonum aliquid erant in providentia Dei, quemadmodum lignum, & ferrum bonum est in manu periti Artificis.

483 Cùm ergo in litera Moysis sit exigentia, ut lux illa primi diei spiritualis intelligatur, & similiter tenebra, hinc consequenter idem est ibi fundamentum ad accipendum dies Angelicos, & spirituales, luce illa constitutos; dies, inquam, non subjectivè, & ex parte lucis multiplicatos, sed objective, & ex parte operum cognitorum, ut in formatione dierum ex Aug. P. latè dictum est, & amplius patet ex ipso 11. de Civit. Dei, cap. 9. ubi postquam probaverat Angelorum genesis non esse à Moysè prætermissam, sic infert: Nimirum ergo si ad istorum dierum opera Dei pertinent Angelii, ipsi sunt lux illa, qua diei nomen accepit, cujas unitas ut commendaretur, non est dictum, dies primus, sed dies unus. Nec aliis est dies secundus, aut tertius, aut ceteri, sed idem ipse unus ad implendum senarium, vel septenarium numerum repetitus est, propter senarium vel septenarium cognitionem: senarium, scilicet, opus, que fecit Deus, & septenarium quietis Dei. Cùm enim dixit Deus: fiat lux, & facta est lux, si rectè in hac luce creatio intelligitur Angelorum, profectò facti sunt participes lucis aeternæ, qua est ipsa incommutabilis sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, quem dicimus Unigenitum filium Dei, ut ea luce illuminati, qua creati fierent lux, & vocarentur dies participatione incommutabilis lucis, & diei, quod est Verbum Dei, per quod & ipsi, & omnia facta sunt. Lumen quippe verum, quod illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem, hoc illuminat & omnem Angelum mundum, ut sit lux, non in seipso, sed in Deo, a quo si avertitur Angelus, sit immundus, sicut sunt omnes qui vocantur immundi spiritus; nec jam lux in Domino, sed in seipsis tenebra, privatis participatione lucis aeterna. Malis enim nulla

308. DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.

natura est, sed amio boni mali nomen accepit.

484. Probatur denique Augustini P. positio ex litera Moysis. Quoniam sacer historiographus dies incipit à vespera numerare, quod, stando regula à Patribus praefixa, non leve inditum est, Moysem dies spirituales & angelicos voluisse indicare; dies enim naturales non à vespera exordiuntur, sed à mane, ut art. 4. ostensum est; bene verò dies spirituales, & Angelicæ, ut art. 5. in formatione dierum dictum est: ergo cum Moyses partem vespertinam diei matutine præmissit, nisi temere assertatur, casu id contigisse, ut diceret: Factum est vespere, O' mane dies unus, certè aliquid speciale in illis diebus, ad differentiam horum usitatorum, innotescere voluit: utique se narrare dies, qui à vespera incipiunt; atqui hi sunt angelici, qui à naturali cognitione in laudem Dei relata incipiunt, quod utrumque in Angelo matutinam cognitionem, seu visionem beatam præcessit: ergo in litera Moysis est fundamentum, & exigentia, ut dies creationis mundi spirituales intelligantur. Faciunt etiam pro hujusmodi assertione omnia, quæ art. 4. & sèpè in discursu Opusculi diximus; si enim dies creationis mundi non fuerunt naturales, sufficienti inductione infertur, suis Angelicos, ut ibi dictum est.

485. Dices: Hujusmodi positionem invertere ordinem narrationis Moysis, ipsumque distrahere, & divertere: Quoniam ad historiam Moysis pertinet narratio primæ institutionis Universi, partiumque ipsum constituentium distributio: interpretatio autem Augustini P. licet qua parte afferit, Angelorum creationem debuisse à Moyse commemorari, sit conformis huic intentioni; quia Angeli sunt partes principales Universi: tamen quoad ea, quæ ad constitutionem dierum statuit, nempe, cognitionem gratuitam creaturarum, conversionem liberam, & meritoriam ad Deum, & tandem Verbi perfectam contemplationem, & fruitionem; hæc, inquam, omnia in expositione Augustiniana inclosa, non pertinent ad primam rerum institutionem, in qua naturæ rerum productarum narrantur, non autem ea, quæ ad ordinem gratiæ, & consecutionem ultimi finis creaturae primitus conditæ, expectant: cùm ergo omnia pro constituentibus diebus recensita, ad consecutionem ultimi finis in Angelo per-

tineant, & hęc non ad primum rerum institutionem, sed ad mundi administrationem, & gubernationem spectent; consequens est, quod Augustini P. interpretatio ordinem historię Mōysis invertat, & Scripturę sensum distrahat.

436 Pro solutione videnda sunt dicta sūptā à numeris 420. & deinceps; & ex ibi determinatis respondeo, quod Mōyses, scđum in sua historia, quæ ad mundi constitutionem spectant, memoravit; verum etiam, quæ ad mundi administrationem pertinent; cum hac tamen differentia; quod illa actu simul ab initio in eodem instanti facta sunt accipienda secundum Augustinum P. hac autem in prīma rerum institutione seminaliter, causaliter, & potentialiter. Unde Angelorum productio simul cum ceteris partibus principalibus Universi facta quoad substantiam intelligenda est, conuersio autem libera, & meritoria ad Deum, ultimique finis assecutio, pro illo primo instanti, seminaliter, & causaliter, media gratia, quæ est semper Dei; sicut in alijs rebus corporalibus, mundum visibilem propagantibus, videre est juxta dicta ex Augustino P. art. 3. Unde sicut tertio, quinto, & sexto die, mixtorum mundum corporalem propagationem, & ad ipsius administrationem pertinentium, fit mentione, & de illis, quasi jam productis, per anticipatam locutionem fit sermo, cùm adhuc pro primo instanti illa omnia in seminalibus ipsorum rationibus essent contenta; ita in opere primi diei, relatè ad primum instans productionis Angelorum, omnia pro diebus Angelicis formaliter sumptis recensita, per anticipatam locutionem dicta sunt accipienda, & in præscientia Dei jam facta, ut docet Augustinus P. 11. de Civit. Dei cap. 19. relatus num. 456. post autem durationē sequenti, ad mundi gubernationem pertinenti, actu formaliter, & in se. Nec Scriptura sensus distrahitur per hoc quod ibi ea, quæ ad mundi gubernationem pertinent, memoren- tur, ut gratia, &c. Quoniam etiam in hominis productione instituatur gratia infuso, ut docet Mellis. D. Bernard. serm. de Annunt. dicens: *Ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo: in imagine arbitrij libertatem, virtutes habens in similitudine. Et similitudo quidem perire, verum tamen in imagine pertransit homo: imago sapientiae in gehenna ipsa potest, non exire, andare, non datur.* Ecce juxta Mel-

Suum Bernardum, gratiæ infusionem, & virtutum, & donorum elargitionem primo Parenti factam, Moyses significavit, in eo quod Deus Adamum ad similitudinem suam creasse dixit. Idem docent S. Basilius hom. 10. in Exam. & Amb. lib. 6. exam. cap. 7. & 8. Ergo non inconvenit, immò maximè congruit, quod Moyses tum justificationem Angelorum, tum hominis sanctificationem in sua historia indicaverit, cum de utroque ageret; quoniam uterque in gratia creatus est: quod de Angelis §. 2. hujus art. ostensum est; de homine vero docet D. Th. 1. p. q. 95. art. 1. & probat ex Aug. P. in arg. sed contra: & in corp. ex illo Ecclesiast. 7: *Deus fecit hominem rectum*. Nec hoc derogat sensui literali; quoniam litera gesta docet: quæ ergo in primis operibus Dei gesta sunt, recte ad literam intelliguntur, modo proprijs vocibus significantur; propriè autem significatur gratia nomine lucis, juxta illud: *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*: Deus autem lux est per essentiam, & creatura rationalis media gratia fit lux per participationem: ergo congruè lucis nomine significantur in Angelis dona gratiæ. Pariter etiam similitudo hominis ad Deum, cum proprietate verificatur per donum gratiæ, qua sit homo Deiformis, divinæ consors naturæ, & Deus per participationem.

*** 5. ULTIMUS. ***

SOLVUNTUR ALIQUÆ OBJECTIONES

*contra assertiōnēm praecedentēm
occurrentes.*

487 OEJICIES 1. ex eo, quod Augustinus P. contra regulam ab ipso præscriptam videtur expōnere Scripturam Sacram; Nam S. P. 11. de Civit. Dei cap. 19. hunc modum in obscuris, & difficilibus Scripturæ S. locis intelligendis observandum proponit, ut, inquit, *quod in obscuro loco intelligitur, vel attestatione rerum manifestarum, vel alijs locis minime dubijs afferatur*. Ergo licet mens Moysis quantum ad dies creationis mundi, sit nobis obscura, & dubia; si tamen alijs

locis Scripturæ S. nobis redditur manifestata, Scripturæ S. seipsum exponenti, & non alijs peregrinis intelligentijs standum est. Sed in Scriptura S. manifestatur alibi ab eodem Moysè qualitas dierum creationis mundi, suisque naturales declaratur: ergo intelligentia Augustini P. de diebus angelicis, & luce spirituali, sustinenda non est. Antecedens eam doctrinam continet, quæ statim posito documento credi debet; quis enim dubitet expositionem Scripturæ S. obscurè traditæ, ex aperto ejusdem testimonio, præcipue circa subjectam materiam loquente, factam, esse infallibilem interpretandi regulam, quippe à Deo, qui nec fallere potest, nec falli, referatam? Consequentia infertur. Subsumpta probatur ex illo clarissimo testimonio Exodi 20. ubi dicitur: *Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: & statim causa subditur: Sex enim diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & aquare, & omnia que in eis sunt.* Ecce Moyses dies creationis mundi ex professo memorans, sex enumerat: Augustinus ergo P. unum diem suisse afferens, manifestè contradicit Moysi. Rursus, dies sex in fabrica Universi à Deo consumptos, suisse naturales, etiam aperte traditur à Moysi, cum in causali observantia sabbati, de eisdem diebus, vel ejusdem qualitatis, loquatur, ac sunt dies, in quibus operari, & servilibus operibus vacari, Iudeis permittebat; atqui hi sunt naturales, & materiales: ergo & illi. Hac seorsim discussienda pro nunc propono, assumptum amplius mox prosecuturus.

488 Respondeo, quod certè regula Augustini P. pro exponentis S. Scripturis in locis obscuris ex ejusdem Scripturæ apertis testimonij, firmissima, & tutior est; at à qua minimè deviat Augustinus P. in præsenti: quinimodo ipsam strictissimè observat, ut ex suprà ad mentem ejus determinatis clarissimè demonstratur. Quoniam Augustinus P. imprimis diem unicum ex aperto testimonio Scripturæ S. determinat: quippe Moyses luce facta, & inter ipsam, & tenebras divisione statuta, refert, lucem diem suisse appellatam, & tenebras noctem, & illicò subjungit: *Factumque est vespero, & mane dies unus.* Habemus ergo clarissimum testimonio Moysis in primis operibus Dei diem unum.

Hunc

374 *DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTINI.*

Hanc autem ab ipso ibi in numeratione dierum , subjective & ex parte lucis manifestantis non multiplicari, argumentum mihi irrefragabile est, quod Moyses in numerandis diebus non fuit prosecutus nominibus numeralibus primitivæ speciei , scilicet , *duo* , *tres* &c. sed numeralibus ordinalibus, ut *secundus* , *tertius* &c. An ne hoc mysterio & speciali sensu vacat ? Minimè, secundum doctrinam PP. §. præcedenti statutam. At quis erit opportunitus specialis sensus variacionis nominum numeralium in illis diebus , ut primò Moyses à numerali primitivæ speciei , *unus* , incipiat , & deinceps ordinalibus prosequatur ? Sanè non aliud , quam ille , quem præfert proprietas illorum nominum , quæ in literali sensu maximè attendenda est : hæc autem , ut in formatione dierum dictum est , ex regula dialecticorum talis est , ut nomina numeralia primitivæ speciei , ut unus , duo , tres &c. adjuncta substantivo , numerent principaliter formas ; dies autem nomen substantivum est : si ergo Moyses in numeratione dierum prædictis nominibus fuisse prosecutus , manifestum est , quod dies formaliter , & ex parte lucis manifestantis multiplicasset.

489 At nomina numeralia ordinalia ex se dunt taxat ordinem in re numerata important , neque formas multipli- cant : unde in die illo unico repetitionem ejusdem cum ordine factam significant ; quæ repetitio sit in ordine ad sex classes , & genera rerum se se in Universo ordine consequen- tium , ut in discursu hujus opusculi sèpè dictum est : Ergo Augustinus P. Scripturæ verba rigidissimè observans , & ea- dem cum alijs ejusdem conferens , & proprietatem locutio- nis & significationis verborum attendens , *diem unum crea- tionis* Universi constituit ; unum , inquam , subjective & ex parte formæ , plures autem objectivæ & ex parte rei ma- nifestatæ . Insuper hanc unitatem ex contextu Scripturæ pri- ma opera recapitulantis , manifestè colligit , & format ; sic enim Gen. 2. habetur : *Hæ sunt generationes cœli, & terre, in die quo creavit Dominus Deus cœlum, & terram, & omne virgatum agri &c.* Ecce unicum diem fuisse creationis om- nium manifestè asserit Moyses : ergo Augustinus P. Scripturam S. se ipsa expositam reddit : ergo in sua regula maxime consilans invenitur quantum ad prælens.

490 Nec oppositum evincitur ex testimonio Exodi 20. ut ex solutione Angelici P. num. 192. data constat; quam Adversarij, argumentum hoc (teste Ascanio ab ipso primo objectum) ponderantes, silentio prætereunt; fortasse quia, quo illam evertant, minimè iaveniunt. Vide loco citato, & Ieinceps dicta, quibus consequenter ad nuper dicta addendi m' est: Quòd ibi Moyses duntaxat multiplicat dies creationis mundi objectivè & ex parte rei manifestatæ, non autem subjectivè & ex parte formæ, quantumvis nomine numerali primitivæ speciei designentur: quod ex alio ejusdem Scriptura claro testimonio comprobatur, & quidem circa subiectam materiam; Quoniam idem præceptum sabbatismi inducitur Deuter. 5. v. 13. ac Exodi 20. his verbis: *Sex diebus operaberis, & facies omnia operatua, septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tui.* Ubi considerandum est, quòd Scriptura S. septimum diem ex professo explicans, non dicit: *Septimus dies sabbati est, in quo requies est Domini, vel in quo requievit Dominus ab operibus suis:* in quo modo loquendi significaretur, quòd sabbatum est dies distinctus à reliquis, secundum quòd dies importat de formalib[us], hoc est, prout numerat aliam illustrationem lucis; sed dicitur: *Septimus dies sabbati est, id est, requies Domini Dei tuis* ubi objectum vel res ad diem spectans designatur. Ex qua differentia sic argumentor: Sic se habet requies Domini ad sabbatum, sicut lucis produc[t]io ad primum dicim, & firmamenti ad secundum &c.; sed sabbatum in septima die non ponitur in Scriptura secundum quòd numerat novam & distinctam lucem, sed prout numerat distinctum objectum: ergo n[on]c dies productioni lucis, & firmamenti deputatus, numerat aliam lucem, & formam constitutivam diei: ergo illi dies non distinguuntur ex parte formæ, & lucis: ergo duntaxat ex parte rerum productarum, & quietis Dei.

491 Rursus: Septima dies juxta Scripturam S. sabbati est, id est, requies Domini; sed dies pro formalis requies Domini non est; quippe opus Dei & creatura est: Deus autem in creaturis non requiescit, sed ab ipsis in se ipso, ut ex Augustino P. in formatione diei septimi ostensum est: ergo septimus dies non accipitur in illo textu pro luce manifestante, sed pro objecto tali luci presentato, & per illam

manifestato. Cùm ergo eadem ratio sit de reliquis diebus relate ad opera ipsis attributa , ac de sabbato respectivè ad requiem Dei; hinc fit , quòd Scriptura S. seipsum exponente , ibi dies objectivè tantum multiplicatos debeamus intelligere , non verò multiplicitatē dierum ex parte lucis , & formæ constitutivæ diei. Unde nomen illud numerale primitivæ speciei , nempè *sex* , ratione illius , cui adjungitur , non permittitur significare , quod ex se natum est determinare , scilicet multiplicationem formarum , ut sèpè in multis propositionibus contingit. Tam longè ergo abest , ut textus Exodi , qui conformiter ad locum Deuteronomij intelligendus est , & est Achilles Adversariorum , ob sit positioni Augustini P. quòd potius , debita reflexione consideratus , il lam confirmat.

492 Nec quòd dies , in quibus opera servilia Hebræis permittuntur , sunt materiales , & usuales , probat , quòd pariter dies creationis mundi , pro causa sabbatismi ibi assignati , debeant esse corporales ; ut enim loco nuper citato diximus , motivum Judæos ad colendum sabbatum excitans in illa causalí Moysis , non est ratio formalis dierum , qui ibi memorantur , sed opera , quæ diebus adscribuntur ; in his enim , & non in illis formaliter beneficium creationis rerum , homini divina largitate & beneficentia famulantur , & ex hoc ad cultum Dei , & observantiam sabbati ipsum allientium , invenitur , ut ex N. Zanh. & Aug. Torniello explicatum est. Et ut verum fatear , cùm formale motivum gratitudinis sit beneficium , & hoc in prima rerum institutione non in diebus formaliter sumptis , bene verò in operibus illis adscriptis erga homines resplendeat ; nulla utique in diebus appetat conducentia , & allientia ad movendum Hebræos ad gratiarum actionem pro accepto beneficio ; bene verò in omnibus operibus Dei , quæ omnia propter hominem sunt facta , & saltim ex divina dispensatione ad ipsius utilitatem ordinata. Sensus ergo illius causalis est : Quia sex genera rerum mundum constituentium , in prima rerum institutione condita , in ordine ad sex dies manifestata , ex dispensatione & largitate Dei ad vestram utilitatem , o Judæi , sunt producta ; & illis factis , Deus non illis , sed in seipso ab illis requievit ; propterea vos in memoriam hujus tam grandis be-

riesficij, posquam sex diebus servilibus operibus cultui necessarijs vacaveritis, septimum diem cultui Dei dedicabitis, & in ipso requiem vestram requiretis, non autem in operibus vestris, aut etiam Dei ; quippe in nullo eorum, sed solam in Deo est plenum satiativum appetitus rationalis.

493 Hinc evanescunt variæ ponderationes, & exaggerationes Adversariorum in textu Exodi 20. fundatae: Quid enim consequentia habet, (inquit à Sancto Thoma in praesenti) quod sex diebus operemur, quia sex cognitionibus Angeli intellexerunt opera facta à Deo in uno die? Dico, quod consequentia, & causalis Moysis non sistit in hoc, quod propterea debeamus sex diebus laborare, septimo autem quieti divina contemplationis vacare, qua sex cognitionibus Angeli intellexerint opera facta à Deo. Quoniam imprimis noui sex cognitionibus intellexerunt Angeli prima opera Dei, sed modo quo supra ex Augustino P. dictum est. Et deinde ratio formalis motiva in causali Moysis, nō consistit in diebus pro formalibus immo nego suppositum, quod nempe, dies formaliter saptos multiplicet : Sed ut nuper dictum est, causalis Moysis, & ratio consequentia consistit in beneficio, in sex operibus Dei, menti Angelicæ à principio presentatis, resplendente, & ex hoc homines ad cultum, & gratiarum actionem inducente. Unde ad sensum Augustini Parentis, à prælaudato M. non causa pro causa assumitur in litera Moysis, & falsum Augustino P. imputatur quantum ad distinctionem sex cognitionum pro intelligentis sex operibus Dei ; quæ non alternativi, sed simul ut ita facillima comprehendit Angelus, ut ex S. P. dictum est. Nec vim addunt Joannis à Sancto Thome, & Pererij expressiones; quod nimis explicatissime, ac distinctissime Moses sex dies numeraverit, & quid quoquo eorum Deus fecit, manifestaverit. Quoniam Moses & unum diem, & sex memoravit; & illam unam diem, explicatissime ab ipso primo loco positum; non debere subjectivè multiplicari, sufficenter in serie narrationis sua indicavit, cum in numeratione diegran nomina numeralia ordinalia introduxit, & cap. 2. unum diem creationis omnium repetivit. Nec in die, tamquam mensura productionis rerum, opera Dei facta narravit; sed facto opere, diem addidit, seu potius repetivit.

494 Nec insuper, quod ille dies unicus, in Sanctis Angelis constitutus, & in ordine ad sex genera rerum objectivè tantum multiplicatus, Hebreis esset ignotus, inconveniens est adeò intolerabile, ut Adversarijs appareret; ut enim e: Augustino P. & alijs nominatissimis Patribus, & ex literæ exigentia ostensum est, oportuit quod Moyses Angelorum meminerit, & illius productionem veluti informem primò nomine cœli significaverit, & deinde in opere formationis & distinctionis, etiam primo loco formationem ipsius per lucis productionem indicaverit, ut Angeli per conversionem ad lucis incommutabilis contemplationem, lux fierent per participationem æternæ lucis & per essentiam: cum ergo luce hac primi diei Moyses diem illum unum conficiat, consequenter neendum non est intolerabile, quod Moyses hujusmodi diem Judæis proponeret, verum omnimodis convenientissimum. Nec quidquam refert, quod rudes Hebrei ad intelligendum illum essent inepti; quoniam, ut sèpè dicunt est, Moyses in sua historia multa intexit, nedum rudibus Hebreis inaccessa, verum etiam Patribus perspicacissimis, & ingeniosis Doctoribus imperceptibilia exemplum sèpè repetitum est in opere secundi, & quarti diei, & pluribus alijs. Denique Angel. Præcept. Albertus Magnus, & alij doctissimi Theologi, Augustini P. doctrinam sustinuerunt: non ergo est omnino intolerabilis, nec contraria Augustino sententia (ut inquit Pererius in præsenti disput: num. 181.) certæ ac indubitate veritatis.

495 Quod autem dicunt, hujusmodi dies solùm metaphoricè aptari posse Scripturæ S. falsum deprehenditur ex Augustiniano argumento. Dies enim luce constituitur: ergo ubi verior & certior lux, ibi verior etiam dies: in spiritualibus autem verior, & certior invenitur lux, quia verius sit manifestatio, quam hujusmodi nomen significat, ut videre est in toto art. 2. Quod vero inquit à Sancto Thoma, mirum esse, quod in toto reliquo Scripturæ corpore, neque dies, nec vespere, neque mane, sumantur pro diebus angelicis, sed solùm pro humanis & temporalibus, & in hoc capite, quod est totius Scripturæ frontispicium, nobis propo-
nuntur dies cum tanta expressione, & cum tanta distinctione suarum partium vespere, & mane; & tamen quod non de- bea-

Seamus id intelligere de diebus usualibus , sicut in reliqua Scriptura , sed de angelicis & intelligibilibus nobis incognitis. Respondeo, id mirum non debere fieri propter dicta. Et insuper falsum est, quod in toto Scripturæ corpore, dies, vespere , & mane , pro humanis & usualibus diebus sumantur, ut ostensum est ex eadem Scriptura S. num. 259. Quibns addi potest illud psal. 54. *Vesperè & manè , & meridie narrabo , & annuntiabo , & exaudies vocem meam* , quod intelligit Aug. P. 4.de Gen. ad lit. cap. 30. loqui Regium Vatem, de diebus Patriæ, significans (inquit) *quid sine temporum vicibus perageretur in Patria* , cui ejus peregrinatio suspirabat ergo in Scriptura S. dies, & vespere & mane non semper pro diebus humanis , & usualibus accipiuntur.

496 Gravior adhuc , & intolerabilior est censura P. Vazquez tom. 2, in 1. p. q. 58. disp. 221. cap. 3. num. 16. ubi postquam Augustino Parenti tribuit sententiam de eo quod omnia creata sunt simul in Angeli cognitione matutina , & vespertina, sicut ipse quoque existimat , in principio mundi omnia simul facta esse; sequens tulit de Aug. P. judicium, quantum ad præsens: *Nec mirum*, inquit, *est, Doctissimum Virum in hac re non tam recte philosophatum fuisse,* quando contra communem sententiam , & Scripture sensum, existimavit omnia simul à Deo condita fuisse , & sola intellectione Angeli dies illos Genesis distinxit. Certe dictum hoc irreverenter contra August. Par. Ecclesiæ firmissimam columnam, & fundamentum, pronuntiatum est. Videtur enim Augustini P. expositionem ab omni Scripturæ sensu alienam taxare , cum absolute , & indefinite afferat ipsam contra Scripturæ sensum procedere: in quo omnium quos viderim, judicium ingeniosus P. excessit. Alij namque inter quos Eximus Suarez , mitius , & modestius ab Augustini P. expositione recedunt: non quidem negantes illam Scripturæ in omni sensu adversari; sed duntaxat ipsam Scripturæ literaliter acceptæ aptari non posse judicantes. Quia tamen mei instituti non est , censuras contra sententiam Augustini P. cum dispendio modestiæ vindicare; sed ipsam gravium fundamentorum pondere enucleare , & Scripturæ S. in literali sensu congruam persuadere ; propterea nollem apologeticum stylum cum scholastico , quem hucusque sequi co[n]natus.

natus sum, immiscere. Unde sat erit Vazquij dictum nominatissimorum Patrum, & Doctorum judicio oppositum, quia in & domestico celebri viro adversum ostendere. Igitur Jacobus Masenius è Societati Jesu in præfatione sui libri, intitulati: *D. Augustinus controversiarum fidei hujus temporis, ex sola S. Scriptura, juxta orthodoxæ Apostoliceque Ecclesiæ mentem, Arbitr̃, & decifor optimus*; ita scripsit: *Vetus altiliorum seculorum Ecclesia omnium confensione orthodoxa fuit; optimusque illius fidei interpres D. Augustinus semper ab omni posteritate est habitus. Hunc igitur Doctorem certum est à Spiritu veritatis minimè fuisse destitutum. Quare apertissimum relinquitur, ab Augustino neminem posse defletere in Sacrarum literarum expositione, quin simul ab orthodoxa Ecclesia, & Spiritu veritatis deficiat. Ergo Jacobi Masenij judicio, ab Augustino in Sacrarum literarum expositione defletere, est ab orthodoxa Ecclesia, & Spiritu veritatis deficere. An ergo contra Scripturæ sensum Doctor Spiritu veritatis plenus Scripturam S. exponere, fas erit vel suspirari? Multo ergo minus asseverare. An veritatis Doctor à Vazquo emmendabitur? Minime. Sed qui Doctorem tantum corrigere audet, audiat Martinum V. serm. de translat. corp. S. Monicæ sic loquentem: *Quicumque de fide, de Religione aliquid superent, omnibus in ore erat Augustinus, ut nihil penè ex Sacris literis possit nisi eo duce intelligi, nihil nisi eo interprete explicari::: Idem nobis Prophetarum oracula, idem Apostolorum voces refert, idem omnium Scripturarum sensum exprimit. (Omnium Scripturarum sensum exprimit: ergo in nullo contra Scripturam processit.) Unus postrem omnium Patrum, Sapientumque ingenia, ac studia exhibet. Si veritatem queris, si doctrinam, si pietatem: *Quis doctior? Quis justior? Quis, ut ita dicam, sanctior Augustino?***

497 Quo præmisso, Augustini P. sententiam quantum ad simultaneam rerum productionem in prima earum institutione, cum distinctione tamen art. 3. explicata, esse consentaneam Scripturæ S. & quidem ad literam acceptæ, docent Procopius, num. 121. videndum: & Philo Judæus num. 123. relatus. Lege etiam num. 124. crism Angelici P. inter Patrum de has re sententias: & Albertum Magnum, num. sequen-

quenti: quibus magis arrisit Augustini P. positio; utique quia Scripturæ magis consonat. Vide etiam num. 127. judicium D. Bonaventuræ. Consensit Cayetanus quantum ad idem. Sententiam autem Augustini P. quoad intelligentiam de luce spirituali, & de diebus angelicis, quippe Scripturæ S. inhærentem, secuti sunt S. Isidorus, Beda, Rupertus, Eu-cherius, & alij à num. 451. videndi; ex quibus Rupertus me-liorem intelligentiam esse dixit Augustinianam, & etiam Albertus Magnus, & D. Thomas. Et denique non esse contra sensum Scripturæ S. Augustini P. sententiam, immò valde in ipsa fundatam ostendimus ex Augustino P. à num. 461. & etiam art. 3. & 4. Ergo dicemus, quod Augustinum P. & citatos præclarissimos omnes Patres sensus Scripturæ la-tuit? Anne Vazquius sensum Scripturæ novit, quem Augus-tinus P. ignoravit? Rursus, cùm, ut art. 1. ex D. Thoma & alijs dictum est, in Scripturæ eadē litera, plures esse etiam literales sensus contingat; cur non aliquem illorum saltim attigisse Augustini acumen erit libenter fatendum, præsertim cùm rem hanc pluribus locis diligentissimè fuerit versatus? Restat ergo, ut cum Angelico P. Alberto Magno, & alijs as-feramus, quod utrumque sensum (scilicet & Augustini P. & aliorum SS.) circumstantia literæ patitur; proindeque utrumque ut literalem habendum esse: vel si aliquis noluerit Divi Thomæ judicio acquiescere, saltim ob reverentiam tanto P. debitam, teneatur concedere, quod Augustinus P. & cele-berrimi Patres nuper memorati, aliquem verū sensum Scripturæ S. sunt assecuti, qui literalem supponat, ut modeſtius fatetur Exim. Suarez, & alij in præsenti.

498 Arguere etiam solent adversarij, & vitio subtilitatis inurere interpretationem Augustini Parentis. Quod argumentum de operibus Hilarij jandiu quidam objecerunt N. Philippo, ut constat ex ejus epistola 6. his verbis: *Cum autem Apostolus legis mandet omnia, que bona sunt, teneris vostamen librum Hilarij, in quo multa dici perfectissimè non negatis, respuendum penitus hesitatione postposita judicatis, pro eo quod eum in aliquibus reprehensibilem estimatis. Li-brum etiam quem idem Hilarius super Matheum scribit, propter quasdam sententias, que in eo, ut dicitis, vel false, vel scrupulose sunt, non probatis; ex quo datis intelligi, quia si-*

ut id quod falsum est, sic illud quod scrupulosum est reprobatur. Ad quod apertius demonstrandum subjungitis: Abulant catholici simplices libri, ut jure scrupulosi propter offensam rebant evitari, cum dicat Apost. ad Coloss. 2: *Nemo vos seducat in subtilitate sermonis.* Patet quia simplices libros, ideo ad intelligendum planos & faciles, vultis solummodo lecitari; scrupulosos verò, ideo subtilem & difficiles evitari: ne scilicet in illam seductionis offensam incurritur, à qua sibi præcavera Colossenses Apostolus vel jubet, vel hortatur. Ecce idem argumentum contra libros Hilarij objectum, quod plures adversus Augustinum etiam opponunt; licet quidam ex illis Doctor Palacios in 2. dist. 12. disp. 1. fol. 153. subtilitatem Augustinianam tolerandam existimet, si Moyses propter Augustinum scripsisset, dicens: *Caterū si Moyses propter Augustinum illud caput 1. Geneseos scriberet, ego amarem expositionem Augustinianam.* Verum quia non propter Augustinum, sed ad rudem scribebat populum, &c.

499 Respondeo, quod certè interpretatio Augustini P. subtilis est, at minimè per hoc seductioni obnoxia, sed solida, & in Scripturarum testimonijs, validissimis rationibus, reflexionibus in serie literæ & contextu factis, firmissimè fundata; atque adeò procul abest seductionis crimen ab expositione Augustiniana: quinimò ipsa magis vindicat Scripturam S. ab irrisione infidelium, ut ex Angelico Precept. locis nuper citatis dictum est: *Scriptura autem S. non subtilitatibus vitiosis, nec seductionibus, ab irrisione infidelium recte vindicatur; immò ex hoc manifesta illis irrisio- nis occasio tribueretur; cum naturali solertia possent captio- Nam subtilitatis expositionis artem detegere, & exinde jure expositionem respuendam convincere.* Si ergo subtilis expositio Augustini P. juxta D. Thomam apta est, ut Scriptura ab irrisione infidelium vindicetur, utique quia solidissima est, & ad convincendam infideles congrua: ac proinde etiam literalis, quippe ex hoc sensu firmum contra infideles, & hereticos in Scriptura sumitur argumentum.

500 Nec Apostolus subtilitates solidas, sanamque doctrinam continentis, uspiam aut legere, vel audire prohibuit, ut optimè ostendit N. Philippus ibi: *Nunquid etiam (inquit) debent, quae scrupulosa, & subtilia sunt, evitari, vel for-*

forte lecta, & non intelligita inconsulto iudicio reprobari, tis-
que pro virtute ipsa scrupulosa, & subtilitas imputari, & non
inde multo potius, multoque reverentias honorari? Quis uni-
quam hoc Apostolus, quis vir Apostolicus vel dixit, vel scrip-
sisse ut videlicet libri simplices legantur; scrupulosi vero, &
subtiles iure propter offenditam (ut scribitis) non legantur? Cum
in subtilitate sermonis Colossenses non seduci Apostolus pra-
monebat, nunquid eos ad hos inducere cupiebat, ut legere scrip-
ta scrupulosa, & subtilia recusarent, simplicia tantum legeantur?
Hoc nimis non videtur lectionis illius series contine-
re, ut intendat eos à lectione subtilium removere: immo in ea
solicitum se ostendit Apostolus, ut Colossenses plenius instru-
antur, ne quasi rudes, & simplices, à Pseudoapostolis subtiliter
loquentibus seducantur: Volo (inquit) vos scire, qualis solici-
tudinem habeam pro vobis, & pro his qui sunt Laodicie, ut
consalentur corda ipsorum, instruiri in charitate, & in omnes
divitias plenitudinis intellectus, in agnitione mysterij Patris
Christi Iesu. Qui ergo studet eos in omnis divitias plenitudinis
intellectus instruere, ut mysterium Dei Patris, quod est Ver-
bum caro factum, possint agnoscere; non vult eos lectione li-
brorum simplicium esse contentos; sed in his, qui abscondita
mysteria Dei Patris continent, sic intentos, ut hereticorum
possint argumentationibus resistere, & subtile eorum tendi-
culas librorum subtilium sententiarum fortioribus destruere. Propa-
ter quod subjungit: Hoc autem dico, ut nemo vos seducat in
subtilitate sermonis: & paulo post: Videte ne quis vos decipiat
per philosophiam, & inanem fallaciam: & supra: Non cessa-
mus (inquit) pro vobis orantes, & postulantes, ut impleamini
agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intellectu spi-
rituali.

301 *Vult Apostolus (prosegitur idem assumptum)*
Colossenses in omni sapientia & intellectu proficere legendo &
intelligendo subtilia, subtilibus argumentis prudenter resiste-
re; alioquin frustra vel hanc illis, vel alias aliis epistolas scrip-
titaret, si non scrupulosa, & difficilia, & legi, & intelligi
peroptaret. Plerumque enim tam subtilia scribit, ut non faci-
le, nisi à sapientibus, & spiritualibus capiantur; plerumque
tam scrupulosa, ut multi non capiendo, in errorem precipites
seducantur.: Licet autem Apostolicis, & Evangelicis literis

tanta facilitas, tantus inesse scrupulus cognoscatur; non est tamen consilij, ut propter eorum offendam lectio respiciatur: immo ei inesse est multo diligentius insistatur; ut querendo O' pulsando prudenter lector competentem illius intelligentiam assequatur. Sic scripta Hilarij, quamvis scrupulosa, quamvis subtilia, non tamen, ut estimo, debent contemptibilia judicari, eorumque lectio nec a sapientibus, nec a simplicibus penitus relegari, quia usque profectum illa non mediocriter ministrabit, dum O' sapiens sapienter obscura penetrabit, O' simplex foris remans, humiliter eadem salutabit. Hæc subtiliter, eleganter, & solidè N. Philippus pro vindicanda subtili lectio-ne, & fructuosa librorum Hilarij, quæ jure optimo debent aptari expositioni Augustini.

502 Si ergo subtilis doctrina epistolarum Pauli, & aliorum Apostolorum, quin & Evangelij, non debet evitari, sed assidua lectione, & prudenti diligentia continuò meditari; quia horum sanctorum librorum subtilis doctrina utilis est, & necessaria ad vitandam seductionem Pseudoapostolorum, & resistendum argumentis hereticorum, & destruendum subtilem eorum tendiculas librorum subtilium fortioribus sententijs; cur Augustiniana interpretatio hæc omnia Di-vi Thomæ judicio, convenientissime prestans, ob subtilitas offendam erit responda? Si Apostolus vult, Colossenses omni scientia esse instructos, ut subtilibus argumentis hereticorum prudenter resistere possint; cur non oporteat catholicos varia, subtili, & in Scriptura fundata multiplici expositiōne esse iunctos, ut sic, & Scriptura diversis intellectibus hominum conveniat, & per hoc etiam ab infidelibus facilius defendatur; dum si aliquid, quod quisque ex Scriptura S. ve-lit intelligere, falsum apparuerit, ad alium ejus sensum pos-sit haberi recursus, ut ex D. Th. & N. Philippo supra numeris 18. 84 19. dictum est? Quamvis ergo subtilis sit expositio Augustiniana, tamen & sapientibus, & insipientibus debet estimari utilis; & usque profectum ministrabit, dum & sa-piens sapienter obscura penetrabit, & simplex foris remansas humiliter eadem salutabit.

503 Rursus: cum Scriptura sic loquatur, (teste Au-gustino P. 5. de Gen. ad lit. cap. 3.) ut altitudine superbos irrideat, profunditatem attentos terreat, veritate magnos pas-cat,

est, affibilitate parvulos nutriat: & juxta Gregorium Mag-
num, S. Scriptura fluvius fit, in quo agnus peditat, & ele-
phas natat: Cur Magnum P. Augustinum veritatis subtiliter
ab ipso in Scriptura S. inventæ tortiori alimento, alijsque
debilioribus non apto, Scripturam S. pascere non intellige-
mus? Scriptura enim S. cibum cuique congruentem materna
benignitate porrigit, ut perbellè cecinè eruditus Pictorius.

*Lac capit hic infans, panem robustior etas;
Nec caret optato curva senecta cibo.*

Unde robustum Augustini ingenium in mensa abundantissi-
ma historiæ profundissimæ Moysis sumit panem sibi con-
gruentem, dum alijs debilioribus lac duntaxat ministratur
in eadem. Quædam enim verba familiaria profert ibi Scrip-
tura S. quæ iaici, & parvuli, quasi agnî simplices intelligunt,
etiam non elevati à terra, sed peditantes, & se tenentes in
terra: & sub illis verbis familiaribus latent profundissimi
sensus, ut elephantes, idest, magni, & subtile clerici, & Pa-
tres, natent, & non possint ibi fundum attingere. Ergo oportet,
quod ibi sit subtilis interpretatio; utpote quia subtilis, &
profunda est Moyses narratio. Unde & alij Patres plures ha-
bent ibi subtile expositiones, ut art. 3. sapè dictum est. Hoc
ergo attendens Augustinus P. multiplici etiam sensu Script.
S. Gen. 1. in libris de Gen. ad lit. exposuit, ut ipse lib. 1.
cap. 20. ait: *Ad hoc enim considerandum, & observandum, li-
brum Geneseos multipliciter, quantum potui, enucleavi, pro-
tulique sententias de verbis ad exercitationem nostram obscure
positis, non aliquid unum temerè affirmans cum præjudicio
alterius expositionis fert asie melioris, ut pro modulo suo eligit
quisque quod capere possit: ubi autem quid intelligere non po-
test, Scripturæ Dei det honorem, sibi timorem.* (Discant hic
obiter plures, qui suis interpretationibus cum aliarum præ-
judicio adeò firmiter, & tenaciter adhaerent, se ab Augustini
regula, & exemplo deviare.)

304 Restat ergo, quod interpretatio Augustini P.
neendum non sit respicienda quia subtilis, verum ex hoc ipso
maxime extollenda; quia ad vindicandam Scripturam S. ab
irritione infidelium, & contra ipsos arguendum, valde utilis

est. Quod verò additur ex Palacios, certè commendat pars
tim expositionem Augustini P. qua parte assertit, quòd sensus ab Augustino P. assertus est acumini ipsius accommodatus; & vere ita est. Ceterùm falsum est, quòd Moyses non propter Augustinum, sed ad rudes duntaxat Iudeos fuerit iocutus; ut enim suprà art. 3. ex Aug. Torniello dictum est, Moyses omnibus debitor factus, omnibus scriptis, cunctisque, quantum cuique satis erat, se accommodavit. Unde rudibus quædam plana & facilia dedit, quòd, videlicet, Deus opificium mundi se solo liberè in tempore produxit. Quædam ve-
rò obscurè ad nostram exercitationem tradidit, in quorum intelligentia Sp̄citus S. qui ubi vult spirat, & quando vult, quibusdam planiorem, quibusdam subtiliorem, profundior-
rem, & latentiorem sensum aperuit, uti piè credimus Augustino P. concessisse. Cùm igitur quæcumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint, & hæc Scripturarum doctrina tunc nobis proficiat, cùm à Sanctis Patribus enucleata proponitur, inter quos Aquilæ cognomen non immerito obtinet Augustinus Parens; hinc Moyses præcipue propter Augustinum P. scriptis, ut videlicet, ipsius sensu elucidata, nos-
bis fieret perceptibilis Mosaica historia.

505 Argues præterea: Quia Augustini P. interpre-
tatio nimis inititur rationibus: unde & rationabilior esti-
matur ab Ang. P. Alb. M. Bonaventura, & alijs; atqui Scrip-
tura S. non est investigatione rationis exponenda, dicit enim Amb. de Sacramentis: *Tolle rationem ubi fides queritur: pis-
catoribus creditur, non Dialecticis;* in expositione autem Scripturæ fides queritur, ut dicitur Joan. ultimo: *Hæc au-
tem scripta sunt, ut credatis:* ergo Augustini exposicio amplectenda non est. Maj. est certa, ut ex discursu Opusculi constat. Min. patet auctoritate Ambrosij, & rursus docetur à Greg. M. in hom. Pentec: *Fides (inquit) non habet meritum,
cui humana ratio prebet experimentum:* & ab Aug. P. 16. de Civit. Dei, cap. 31. ubi dicit: *Divino intonante precepto
obedientium est, non disputandum:* Ergo sensus, & intelligentia Scripturæ S. non est rationibus eruenda, sed auctoritatibus comprehendenda. Atqui auctoritas magis facit pro exposi-
tione Augustino P. contraria: ergo.

506 Pro solutione sciendum, quòd in historia Moy-
sis

his duo sunt consideranda: Primum, quod ad fidem pertinet in ea. Secundum, quod fidem supponit, & intelligentiam creditarum rerum requirit. Quantum ad prium ratio humana duplisper potest se habere: Primo, ut fidei prævia, & ut motivum cui fides innatur: Secundo, ut fidei pedissequa, & declarans veritatem, & credibilitatem rei revelatæ. Certe primo modo verum tenent dicta Sanctorum PP. allegata, & in hoc sensu sunt accipienda: secundo autem modo ratio humana valde utilis est ad persuadendum, quod ea, quæ ex motivo divinæ revelationis credimus, humana ratione, quæ est participatio legis æternæ, sunt consona: in quo sensu accipitur à Theologis illud Psalmista: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*; hoc est, divinorum eloquiorum credibilitas humana ratione demonstrabilis est. Unde & I. Petri 3. dicitur: *Parati reddere rationem de ea, quæ in nobis est, fide, & spe*. & ad Timoth. 1: *Potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere*. Quare Augustinus P. 2. de Ordine dicit: *Ad discendum duplisper ducimur, auctoritate, & natione*. Per expositionem autem Scripturarum S. ducimur ad discendum eam: unde congrue postquam Deo revelanti, & testimonio ejus ab Ecclesia accepto, assensum præbemus, ratione & doctrina Patrum instruimur, ut firmius in fide permaneamus, & hereticorum tendiculas defruamus, in quo valde laborant Theologi.

507. Quantum ad secundum etiam dupli assignatio modo potest se habere humana ratio: & si primo se habeat, periculose proceditur in expositione: si autem secundo modo, convenientissime. Unde Augustinus P. de vera religione inquit: *Quod credimus, debetur authoritati: quod intelligimus, debitur rationi*. Expositio ergo S. Scripture prima intentione debet potius fieri auctoritatibus, quam ratione: secunda vero intentione debet etiam diligentissime investigari ratione. Auctoritatibus autem exponi debent loca obscura Scripturarum S. ex quibusdam alijs clarioribus dictis ejusdem Scripturarum; ut docet Aug. P. 2. de Doctrina Christi. dicens: *Ad obscuriores lectiones illustrandas de manifestioribus suuntur exempla; & quædam certarum sententiarum testimonia incertis auferant dubitationem*. Et maxime sumenda sunt talia, quæ illa quæ obscura sunt, circumstant in eadem materia.

508 Respondeo ergo ex his ad argumentum, quod Augustinus P. no*i* praeceps humanis rationibus innixus suam interpretationem excogitavit, sed praecipue Scripturæ S. testimonij illam firmavit; immo ex locis clarioribus obscuriora loca declaravit. Quoniam caput i. Gen. ut ex dictis à principio hujus Opusculi constat, obscurissimum est, & velantur à Seraphim priora operum Dei: Scripturæ autem hujus velamen auferit ex alijs Scripturis manifestioribus. Pro quo primò supponit, quod fide tenendum est in illo; ut videre est in i. cap. Imperfeti de Gen. ad lit. nempe: *Deum Patrem omnipotentem universam creaturam fecisse, atque constuisse per Filium suum unigenitum :: sive visibilem, sive invisibilem de nibilo. :: Creaturam omnem neque consubstantialem Deo, nec coeternam dici, aut credi debere: ac per consequens in tempore, vel simul cum tempore cuncta à Deo fluxisse.* Hoc autem, & nihil amplius expresse credendum à Moyse proponitur, nisi etiam quod à Deo omnia facta sunt valde bona. Quid autem significet lux illa primigenia, aut firmamentum, & alia huiusmodi, hoc ad exercitationem nostram, & ob fines, & judicia inscrutabilia Dei, hominum disputationi tradidit, ut non inveniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio usque ad finem, ut dicitur Ecclesiast. 3. Unde fide certum est, Deum fecisse lucem: qualis autem sit illa lux remotum est à sensibus nostris. Similiter, firmamentum à Deo esse factum iudicata veritas est: sed quid tandem esse dicendum sit, determinare non audet Chrysostomus; & ad hunc modum sunt alia obscurissima.

509 Et quantum ad ea, quæ hucusque tractavimus, licet constet dicto, & imperio Dei fuisse omnia condita; etiamen simul, vel successivè emanaverint à Deo creature, litera Gen. i. non declaravit; neque enim verbum habet, quod vel successionem, vel similitatem in processu rerum à Deo significet: quam obscuritatem illustrat Augustinus P. ex manifesto Ecclesiast. loco: *Qui vivit in aeternum, creavit omnia simul: & ex Gen. 2: ergo loca obscera Scripturæ S. ex clarioribus ipsius testimonij illustrat Augustinus P. Ierusalem: Cœlum & terram primò omnium creasse Deum memorat Moses: quem locum, obscurum reddunt verba secundi, & tertii diei; nam etiam firmamentum Deus vocavit cœlum,*

& aridam terram: Unde investigandum superest, quid cœlum & terra primo loco significent; quid secundo, & tertio die. Augustinus ergo P. ex locis apertis Scripturæ clare deducit, cœlum primò creatum, esse Angelum; quoniam Scriptura aperte dicit, quod prior omnium creatarum est Sapientia, hoc est intellectualis natura: & similiter terram & aquam significare materiam informem; quoniam Sap. i. dicitur: *Qui fecisti mundum de informi materia;* ex quo infertur, quod cum id ex quo aliquid sit, sit prius illo, quod exinde sit, prius debuit manifestari in Scriptura hæc materia rerum corporalium, quam formatio rerum secundum species proprias. Proindeque Scripturam seipsa explicans, federat Augustinus P. ejusdem antilogias; & colligit, quod secundo die aliud est cœlum quod producitur, ab illo, quod in principio creatum memoratur: illud nempe spirituale, & angelicum; hoc verò materiale, & corporeum; & similiter aliud terra, & aqua in principio creata, aliud aqua tertia die expressa significat: ibi nimirum in formitatem materiæ, vel materiam informem, hic autem ipsa clementa visibilia.

510. Præterea lux primo die facta legitur, diemque constituens: illam autem obscurè positam ad faciendum diem, manifestè indicat opus quarti diei, ubi ad hujusmodi effectum luminaria narrantur creata. Quod attendens Augustinus P. egregiè antilogiam vitare contendit, per hoc quod lux prima diei sit formatio prima: creature per hoc quod adhæreat Verbo Dei, ut ab ipso illuminetur: Convenientissimè quidem; quoniam à primo die incepit opus formationis, & distinctionis, prius autem formari, & distinguiri debuit, qui prior creatus fuit, nempe Angelus; angelicus ergo fuit illa prima lux, & angelicus dies ille unus per ipsam constitutus: ac proinde distincta fuit lux illa à luce, & die quarti operis. Ergo & Scripturam seipsa Augustinus P. exponit, & antilogias apparentes convenienter conciliat.

511. Quo facto, suis positionibus congruentissimas rationes adjungit ex vera philosophia, & humanis conjecturis, quas in discursu opusculi pro captu ponderavimus. Hujusmodi autem processus vere theologicus est, & laudabilis; quinimò oppositam reprobat V. Beda in lib. 2. de clementia Philosophia in principio, ubi rejiciens sententiam po-

nentium aquas veras super cœlos, ait: *Nihil miseriū esse, quā dicere, illud est quia Deus illud facere potuit, neque ostendere rationem, quare hoc sit, neque utilitatem, ad quam, hoc sit.* Augustinus ergo Parentis congruis rationibus suam expositionem firmans, sanamque fidem narrationis Mosaice salvans, convenientissimè procedit.

Hæc sunt, quæ in vetusta, gravi, arduaque controversia inter Patres, Theologosque contentiosè exagitata, pro vindicando excelsam Augustini P. interpretationem, (clarissimum certè Augustiniani ingenij monumentum) ex ejusdem eminentissima doctrina, & Angelici Præceptoris intelligentia, Excerptere potui; ut mens tanti Parentis magis patefacta clarescat, & sententiam, quam obsoletam, pene mortuam, & dicteris, censurisque tanto Patri indiguisimis conspurcatam videbam, debito honori restitutam, magis magisque pijs Augustini cultores venerarentur; & nè ipsam quia subtilem reformidarent amplecti, cum solidissima subtilitatis fundamenta, aliqualiter enucleata conspicerent. Fateor, quòd Provinciam meis viribus imparem assumpsi, ut pro dignitate Augustinianam præexcelsam positionem fartam teatamque tuerer; verùm forsäm erit, ut meus hic qualisunque labor, & affectionis erga Augustinianam interpretationem specimen, ingeniosiores excitet ad supplendum ea, quæ pauperculo huic opusculo desunt, & plenam expeditionem aſt quatur Augustini solida, atque subtilis doctrina; quod si nactus fuero, inter felices profecto connumeratus gloriabor, gloria enim hominis ex honore Patris sui, ut dicitur Ecclesiastici 3. v. 13.

Jam ergo, ut promissis stemus, ultimum in divisione opusculi promissum implcamus.

Pro quo sit.

6229 6229 6229 6229 6229 6229

6229 6229 6229 6229

6229 6229

6229

ARTICULUS SEXTUS.

**EXPONITUR AD LITERAM TEXTUS MOYSIS
GEN. I. JUXTA MENTEM PARENTIS
AUGUSTINI.**


CORNUTA facie, micatissimoque circumfusso fulgore sese ostendit Moyses in hoc suæ historiæ frontispicio, ita ut sicut olim eam Israelitæ non nisi velamine opertam intueri poterant, sic Sancti Patres, & Sacri Expositores hanc Moysis de orbis emolitione narrationem contemplantes, ipsam densissima caligine obvolutam inveniant, & sensum ejus abstrusum, & velamine obiectum, determinare reformati: sensum, inquam, literalem, quem haud incongruè faciem appellaverim; quippe facies ea est, in quam primum oculos conjicimus, ut quis unusquisque sit, agnoscamus: facies ergo in Scripturæ S. investigatione ille erit, qui primò omnium scrutandus est; hæc autem facies, vel sensus, est literalis, utpote omnium aliarum interpretationem basis, & fundamentum, ut ex dictis art. i. conspicuum est. Verum unde, rogas, tantus fulgor in faciem Moysis? Unde tanta profunditas, adeoque latens intelligentia in sermonibus genesis Mundi? Brevi dicam: Ex consortio, & colloquio Dei, cum quo quadraginta diebus, & totidem noctibus demoratus Moyses, eumque facie ad faciem, &, ut præclarissimi PP. Basilius, & Chrysostomus autumant, clarissima visione, licet raptim, & per transennam intusus, adeoque coruscans, & micantissimus evasit, ut præ nimio fulgore non possent Hebræi in faciem ejus intendere; hinc pariter ejus scripta, & præsertim Gen. exordia, adeoque splendescientia apparent, & altissimam veluti divinam locutionem ostentant, ut quemadmodum qui oculorum aciem in lucidum Solem injiciunt, sæpè ex nimio illius, suisque viribus impari fulgore, obrui contingit, ut certam rerum speciem, formamque non distinguant; haud aliter qui faciem hanc Moysis, seu orbis effectionis historiam splendescensem admodum contemplari ausi sunt, quamvis præstantissimi ingenij, immenso rerum supernarum fulgore hallucinati, in infinitas

fere deciderint interpretationes, nec plenè quisquam diffidire ausus sit sensum, & certam historię Moysis intelligentiam, ut ex dictis in principio Disputationis patet. Quis ergo nobis auferet velamen istud, ut faciem Moysis, hoc est, sensum literalem historię ejus possimus inspicere? Quis ediceret tam profundum, & occultum sermonem, linguamque nobis ignotam, à Moysè ex consortio Dei haustam? Sanè non alij, quām qui Deo virtutum meritis, & orationis assiduitate familiares, ab ipsoque suorum arcanorum participes divina largitate, & dignatione fuerint effecti. Hi sunt SS. PP. quos D. Opt. Max. ineffabili providentia sua luminaria Ecclesiæ constituit, ut abdita Scripturarum secreta mortaliibus patefacterent; inter quos Aquila cognomen non immerritò Augustinus P. obtinuit: Unde congruè in præsenti pro Duce, & luce propositi opusculi ipsum licebit assumere; quippe Aquila hoc præ ceteris animalibus privilegium dignoscitur esse concessum, quod Solis radios recto ore patiatur, filiosque suos legitimos in eo probare, quod in Solem possint aciem firmiter injicere; ut si secūs faciant, veluti adulterinos despiciant, ut Author est Claudianus, dum ait:


*Protinus implumes convertit ad aethera nidos,
O recto flammas imperat ore pati.
Consulit ardentes radios, O luce magistra,
naturam, vires, ingeniumque probat.
Degeneres refugo torcit qui lumine visus,
unguis bunc sevis ira paterna ferit.
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
sustinuitque acie nobiliore diem,
Nutritur, volucrumque potens, O fulminis bæres,
gesturus summo tela tristis Jovi.*

Ergo ad Aquilam Aug. P. præcipue pertinebit, & cornutam, splendescensemque histriam Moysis faciem, hoc est, sensum literalem recto ore conspicere, & filios suos ad sui imitationem provocare, & ad hauriendos Masaicos fulgores convertere, & quos imbecilles ad hujusmodi functionem invenierit, ut adulterinos reprobare. Absit autem, ut me filium suum, licet indignum, degenerem inveniat Doctorum Aquila

la Augustinus Parens. Sed age , ut ejus doctrinam in ar duo opere tutissimam,rationabilem,subtilem,& intentioni Moy-sis inhærentem totis nisib[us] insequendam, tutandamque pro modulo assumam. Verū s[ecundu]m s[ecundu]m repetita præmissa cau-tela, ut videlicet, nemini præjudicium in hujusmodi doctri-na Augustinianæ prælatione inferam , sed omnium Patrum sententias literæ consentaneas judicem. Scopus ergo hujus postremi articuli erit, textum primi Genesios capituli litera-liter ad mentem Augustini P. explauare , simulque ostende-re , omnia in superiori disputatione determinata minimè contextui Moysis obviare, quinimò valdè intentioni Auto-ris congruere. Quod subjiciendo literæ Augustini P. verba præstare curabo , ipsiusque expositionem à quorundam ob-jectionibus vindicare conabor. Ut autem , quod promitto, fœliciter assequar, Deus Opt. Max. enixè est exortandus, in cujus nomine , & sub protectione Augustini P. exordiar in potentias Domini, in mundi Genesi à Moyse enarratas , ins-troire. Sit ergo.



S. I.



*PRIMUS VERSICULUS HISTORIÆ
Moysis exponitur.*

IN PRINCPIO CREAT DEUS COELUM , ET TERRAM. Hic describit Moyses primę creaturę à primo om-nium conditore emanationem : unde duo præcipue in hac clausula diligenter sunt scrutanda; unum ex parte principij, alterum ex parte termini. Et quidem ex par-te principij sentit Augustinus P. quod declarantur persone Patris, & Filij : unde sensus est: Pater in Filio , qui est Dei sapientia, in qua, David perhibente , fecisse Deus creditur omnia, creavit cœlum, & terram. Sic August. P. 11. de Ci-vit. Dei, cap. 32. dicens: *Atque illud , quod dictum est, in principio, non ita dictum, tamquam primum hoc factum sit, cum antè fecerit Angelos, sed quia omnia in Sapientia fecit, quod est Verbum ejus, & ipsum Scriptura principium nomi-navit: sicut ipse in Evangelio Iudaicis querentibus, quis esset, respondit, se esse principium: Non è contrario referam conten-*

tione sit, maximè quia hoc me delectat plurimum, quod etiam in summo exordio sancti Iohanni Genesios Trinitas commendatur. Cum enim ita dicit: In principio fecit Deus cœlum, & terram: ut Pater fecisse intelligatur in Filio, sicut attestatur psal. ubi legitur: quās magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: convenientissime paulò post commemoratur Spiritus S. Iohannes. Cum enim dictum esset, qualem terram Deus primitus fecerit, vel quam molem, materiam vē future constructionis mundi, cœli & terra nomine nuncupaverit, subjiciendo, & addendo: terra autem erat invisibilis, & incomposita, & tenebre super abyssum: mox ut Trinitatis commemoratione completeretur, & Spiritus, inquit, Dei forebatur super aquas. Idem docet August. P. lib. 1. contra Adversarium legis & Prophetarum cap. 2. dicens: Aut certè quia in principio sibi coetero fecit Deus cœlum, & terram: hoc est, in Unigenito Filio. Ipse enim est Sapientia, de qua dicit Apostolus, Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam. Et de Deo, qui fecit cœlum, & terram, dicitur in psal: Omnia in sapientia fecisti. Aut si de psalmo iste non vult accipere testimonium, Apostolum audiat de Christo loquentem: Quia in ipso condita sunt omnia in cœlo, & in terra, visibilia, & invisibilia. Et 19. confess. ait: Verum est enī Domine, fecisse te cœlum, & terram: & verum est, principium esse Sapientiam tuam, in qua fecisti omnia.

3 Hac Aug. P. in quibus vides, sanctissimum Doct. suam interpretationem ex Scriptura deduxisse; seu potius Scripturam Sacram se ipsam exponente reddidisse: Cum enim Moyses Deum principium & effectorem Cœli & terræ hic commemoret, & alibi in Scriptura dissertis verbis, Deum in Filio cuncta condidisse habeatur; & insuper ex certissima Theologia actiones Dei ad extra toti Trinitati communes esse liquido demonstretur; consequenter optimè resolvit Aug. P. quod cum à Moysè Deum in principio fecisse cœlum, & terram enunciatur, & paulò infra Spiritus Dei superferri aquis declaratur, totius Trinitatis concensus ad creaturarum productionem denotatur; ita ut Dei nomine Pater intelligatur; principij vero, Filius; & Spiritus S. per vocabulum spiritus accipiatur. Favent Augustinianæ huic interpretationi symbolum fidei, & echo exordiorum utrinque testamenti; nam in

in symbolo Patrem omnipotentem creatorem cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium profitemur: Ergo cum in historia Moysis audimus, Deum cœlum, & terram creasse, congrue intelligimus utriusque à Patre effluxum. Et ideo Evangelio Joannes omnia à Verbo creata demonstrat, dum ait: *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo cum Moyses dicat, in principio fecisse Deum cœlum, & terram; & principium appellari Verbum Dei, ex Scripturæ usu, & ipsius Christi de se ipso testimonio comprobetur; consequens est, quod per principium emanatio creaturarum à Filio designatur. Constat ergo ex symboli, & Evangelij resonantia, quod expositio Augustini P. quantum ad explicationes Patris, & Filii in prima rerum institutione firmissima est. Et etiam quantum ad concursum Spiritus Sancti constat ex illo Pauli: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia,* quod juxta Augustinum P. apud D. Thom. ad illa verba Joann: *Omnia per ipsum facta sunt*, lect. 2. denotat totius Trinitatis concursum ad cunctorum productionem; ita ut, *ex quo omnia*, significet Patris influxum; *per quem omnia*, Filii; & *in quo omnia*, Spiritus Sancti. Sed de hoc latius infra.

4 Consentient Aug. P. quantum ad hanc expositionem, Tert. lib. adversus Hermog. cap. 2. Orig. super Gen. hom. 1. Amb. exam. lib. 1. cap. 14. Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. Beda in Gen. & lib. de 6. dier. creat. & Rup. Comment. in Gen. lib. 1. cap. 3. Sciendum autem est, quod hic locutiones, *Pater in Filio*, & *Pater per Filium*, quantum ad præsens attinet, sibi æquipollent; quoniam particula *in* quandoque in Script. S. sumitur pro *per*: quando nimis enim cadit supra principium, & hoc significat *Filium*. Hinc in hebreica phrasim præpositionem *in* pro eo quod est *per*, frequenter usupari dicitur, ut ait Ascan. tom. 1. in Gen. fol. 57. Unde ad Hebreos 1. cum dicitur: *Novissime locutus est nobis in Filio*, sensus est, locutus est per Filium, qui ante locutus fuerat per Prophetas. Et psalm. 121. *fiat pax in virtute tua*, idest, per virtutem tuam. Atqui principium hic pro Filio accipitur: ergo præpositio *in* aequivaleat præpositioni *per*.

5 Quomodo autem intelligendum sit, cum dicitur, *Patrem per Filium operari*, docet Angelic. Præcept. in illud Joan:

Joann: Omnia per ipsum facta sunt , lect. 2. ubi: Sciendum, inquit, quod quando dicitur, aliquid per aliquem fieri, hoc propositio per, denotat causalitatem in obliquo respectu operationis aliquomodo, sed diversimodo; cum enim operatio secundum modum significandi consideretur media inter operantem, & operatum, potest considerari ipsa operatio dupliciter. Uno modo secundum quod exit ab operante, qui est causa ipsius actionis: Alio modo secundum quod terminatur ad operatum. Quandoque ergo praepositio per significat causam operationis, secundum quod exit ab operante: Quandoque autem secundum quod terminatur ad operatum. Causam autem operationis secundum quod exit ab operante, significat, quando illud quod significatur per obliquum, est causa operanti, quod operetur, vel efficiens, vel formalis: formalis quidem, sicut ignis calefacit per calorem; est enim calor causa formalis calefactionis ignis: Causa vero movens, seu efficiens, ut secunda agentia operantur per primam; ut si dicam, quod Balibus operatur per Regem, quia rex est causa efficiens Balibo, quod operetur. Et hoc modo intellexit Valentinus, omnia facta esse per Verbum: ac se Verbum esset causa conditori, ut omnia faceret. Causalitatem verò operationis secundum quod terminatur ad operatum importat hoc prepositio per, quando illud, quod significatur per ipsam causalitatem, non est causa ipsa, quod operetur, sed est causa operationis, secundum quod terminatur ad operatum. Sicut cum dico, carpentarius facit scannum per securim, quae non est causa carpentario, quod operetur, sed ponimus esse causam, quod scannum fiat ab operante. Sic ergo cum dicitur: Omnia per ipsum facta sunt, si ly per denotet efficientem causam, seu moventem Patrem ad operandum, dicendum est, quod Pater nihil operatur per Filium, sed per se ipsum omnia operetur, ut dictum est. Si ly per denotet causam formalē, sic cum Pater operetur per sapientiam suam, quae est sua essentia, operatur per suam sapientiam, sicut operatur per suam essentiam; & quia sapientia, & virtus Patris attribuitur Filio 1. ad Corintb. 1. dicimus Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam, idē appropriatè dicimus, quod Pater omnia operatur per Filium, id est per sapientiam suam. Et idē dicit Augustinus quod hoc, quod dicitur: ex quo omnia, appropriatur Patri: per quem omnia, Filio: in quo omnia, Spiritu Sancto.

6 „ *Si vero ly per*, prosequitur Ang. Doctor, *denotat causalitatem ex parte operati*, tunc hoc quod dicimus, Patrem omnia operari per Filium, non est appropriatum Verbo, sed proprium ejus: Quia hoc quod est causa creaturarum, habet ab alio, scilicet à Patre, à quo habet esse; nec tamen propter hoc sequitur, ipsum esse instrumentum Patris, licet omne, quod movetur ab alio ad aliquid operandum, rationem instrumenti habeat. Cùm autem dico, aliquem operari per virtutem receptam ab alio, potest duplíciter intelligi: Uno modo, quod eadem numero sit virtus, & dantis, & accipientis; & hoc modo qui operatur per virtutem acceptam ab alio, non est minor, sed aequalis ei, à quo accipit. Quia ergo Pater eamdem virtutem, quam habet, dat Filio, per quam Filius operatur; cùm dicatur Pater operari per Filium, propter hoc Filius non est dicens minor Patre, nec instrumentum ejus: sed hoc sequitur, in illis, qui non eamdem virtutem accipiunt ab aliquo, sed aliam, & creatam. Sic ergo patet, quod Spiritus Sanctus, nec Filius est causa Patri, quod operetur, neque Patris minister, seu instrumentum, ut deliravit Origenes. Si autem rectè considerentur Verba prædicta, omnia per ipsum facta sunt, evidenter apparet, Evangelistam propriezimè fuisse locutum: Quicumque enim aliquid facit, oportet, quod illud præconcipiat in sua sapientia, quæ est forma, & ratio rei factæ, sicut forma in mente Artificis præconcepta, est ratio arce facienda. Sic ergo Deus nihil facit, nisi per conceptum sui intellectus, qui est Sapientia, ab æterno concepta, scilicet Dei Verbum, & Dei Filius; & ideo impossibile est, quod aliquid faciat, nisi per Filium. Unde Augustinus de Trin. dicit, quod Verbum est ars plena omnium rationum viventium; & sic patet, quod omnia, quæ Pater facit, facit per ipsum. Notandum autem secundum Chrysost. quod omnia, quæ Moyses per multa enumerat in productione rerum à Deo, dicens, dixit Dominus, fiat lux, & fiat firmamentum &c. hæc omnia Evangelista excedens, uno verbo comprehendit, dicens: Omnia per ipsum facta sunt. Cujus ratio est, quia Moyses tradere volebat emanationem creaturarum à Deo, & ideo singillatim enumerat: Joannes vero ad altiorem festinans

,, materiam , in hoc libro intendit nos inducere specialiter in cognitionem ipsius Creatoris. Vide etiam D. Thomam in 2. dist. 13. q. 1. art. 5. & 1. p. q. 36. art. 3.

7. Hec Angelic. Præcept. quibus mirificè explicat, quomodo Pater operatur per Filium; non quòd Filius sit Patri causa efficiens ad operandum : sed quoniam Pater per sapientiam operatur , quæ Filio appropriatur , qui secundum Apost. est Dei virtus , & Dei sapientia. Habemus etiam ex Aug. P. quomodo approprietur cuilibet ex divinis personis opus creationis , quod commune est toti Trinitati ; ita ut *ex quo omnia* , adscribatur Patri ; *per quem omnia* , Filio ; & *in quo omnia* , Spiritui Sancto. Patri quidem in ratione effectivæ causæ, ex potentia ; Filio in ratione exemplaris , & afficiens artificis, ex sapientia; Spiritui Sancto in ratione cause finalis , ex bonitate. Insuper habemus ex doctrina D. Thom. quòd si ly *per* denotet causalitatem ex parte operati, tunc hoc quod est , Patrem operari per Filium , non est appropriatum Filio , sed proprium ; quoniam estò accipiat virtutem operandi à Patre , ipsa tamen virtus in utroque eadem numero est; quia Pater unigenito Filio suo gignendo dedit omnia per identitatem præter esse Patrem : unde æquè principaliter operatur , ac Pater , & non ut instrumentum ; similiter Spiritus Sanctus. Verumtamen singula singulis attribuendo, Patri præcipuè in ratione omnipotentis primò tribuitur cunctarum rerum efficientia; quoniam ipsi ex quoddam ordine primò convenit divina essentia , ex qua Deus est omnipotens. Filio in ratione artificis tribuitur mundi structura; quoniam ipsi tribuitur sapientia , & functiones intellectus : unde ad ipsum pertinent omnium rerum idæ ; cum enim Pater , in quo coetera cunctarum rerum inerant semina , se ipsum intelligens, Verbum produxit , in eo etiam idæas , sive formas cunctarum rerum expressit. Has igitur idæas , sive exemplaria Filius detulit , ut res determinatas formas consequerentur , quæ quidem formæ, licet in rebus multiplices sint , unum tamen extant in divina essentia , ab ipsa indistinctæ , ut docet D. Thom. 1. p. q. 15. art. 2. Insuper Filio , ut artifici, competit rebus conditis sapientiam suam effundere, hoc est ordinare , & disponere; quoniam Sapientia, ut dicitur Sapientia 8. *attinet à fine usque ad finem fortiter* , hoc est à suprema usque

que ad infinitam creaturam, & disponit omnia suaviter, id est, res secundum congruentes earum naturas, connexionem, ordinem, dispositionem, concatenationem, situm, & mutuum dependentiam, & causalitatem ordinavit. Spiritus Sanctus denique, cui voluntatis munera dantur, ex amoris & charitatis redundantia ad productionem rerum cunctarum se ipsum allexit; & à Deo producta, amoris nexus copulat, & in ipsum tamquam in finem ordinat.

8 Sed rogas, cum hæc adeò certa sint, cur in Symbolo fidei rerum Universi productio Patri dicitur adscribitur, cum expressè dicitur: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, creatorum Cœli, & terra?* Respondeo, quod cum ab ea causa, quæ potior videtur, sumi soleat denominatio, & quamvis in orbis productione, & sapientia, & charitas splendeant, clarius tamen eminet omnipotentia, quæ attribuitur Patri; propterea non Filio, & Spiritui Sancto adscribitur in Symbolo fidei mundi productio, sed Patri ratione omnipotentiae. Vel etiam, cum creatione emanet à Deo, in quantum est unus in essentia, essentia autem, licet tribus personis communis sit, ex ordine tamen ita primo conveniat Patri, ut Filius à Patre, & Spiritus Sanct. ab utroque illam hauriat; ideicò creationis opus ipsi Patri convenienter attribuitur. Utraquæ solutio desumpta est ex D. Thom. i. p. q. 45. art. 6. in corp. & ad 2.

9 Sciendum etiam est pro clariori expositionis Augustinianæ luce ex Ang. Precept. ad illa verba, *In principio erat verbum Joann. 1. Quod cum ly principium importet habitudinem quandam ad alia, necesse est invenire principium in omnibus in quibus est ordo. Invenitur autem ordo in quantitatibus, & secundum hoc dicitur principium in numeris, & longitudine; puta linea. Invenitur etiam ordo in tempore; & secundum hoc dicitur principium temporis, & durationis. Et invenitur ordo in disciplinis; & hic est duplex, secundum naturam, & quoad nos: Invenitur & ordo in productione rei, & secundum hoc principium dicitur ex parte generati, scilicet, ipsa pars generati, seu facti; sicut fundamentum dicitur principium domus; vel ex parte facientis, & sic est triplice principium, scilicet intentionis, quod & finis, quod moveret agentem; rationis, quod est ipsa forma in men-*

te artificis : & executionis , quod est potentia operans.

10 Ex his acceptioribus duplex in presenti potest huic nomini principium adaptari, scilicet secundum quod importat ordinem ex parte facientis , & temporis & durationis ex parte facti . Primum patet ex dictis , juxta doctrinam Augustini P. Secundum colligit Ang. P. in cap. 1. Joann. lect. 1. ad medium , & lect. 4. in principio ex verbo temporis præteriti perfecti creavit , quod verbum temporalia , & terminata significat, ad differentiam præteriti imperfecti , quod durationem æternam sine determinatione temporis , vel alicujus durationis consuevit designare in Scripturis Sacris : Unde ad innotescendam æternam Verbi generationem à Patre usus est Evangelista verbo præteriti imperfecti , erat , dicens : In principio erat Verbum . E contraria Moyses ad denotandum temporalem creaturarum à Deo processum ex parte facti , posuit verbum præteriti perfecti creavit . Sensus ergo in hac acceptione est : In principio , hoc est , in temporis exordio , creavit Deus cœlum , & terram ; scilicet tempus ipsum cum primis operibus concreando : ut insinuare videtur Augustinus P. lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 2. Non ergo , inquit , possumus dicere , fuisse aliquod tempus , quando Deus nondum aliquid fecerat . Quomodo enim erat tempus , quod Deus non fecerat , cum omnium temporum ipse sit fabricator ? Et si tempus cum cœlo & terra esse cœpit , non potest inveniri tempus , quando Deus nondum fecerat cœlum , & terram . Tempus ergo cum cœlo & terra esse cœpit : ergo est aliquid concreatum cum cœlo , & terra .

11 Sed notandum cum Ang. P. 1. p. q. 46. art. 3. ad 1. quod non dicuntur , in principio temporis res creatæ , quasi principium temporis , creationis sit mensura ; sed quia simul cum tempore cœlum & terra creata sunt . Unde primum instantis temporis (inquit ibi Cayet.) et si non fuerit mensurans creationem , fuit tamen coexistens creationi , quæ instanti temporis discreti , quo mensurantur operationes spirituales , ut infra patet , mensurata est . Hinc colligitur , rectè dixisse Ang. P. 11. de Civit. D. cap. 6. quod mundus potius cum tempore , quam in tempore est factus : Porro , inquit , si literæ Sacrae , maximeque veraces , ita dicunt , in principio fecisse Deum cœlum , & terram , ut nihil ante se fuisse intelligatur ; quia hoc potius in prin-

principio fecisse diceretur, siquid fecisset ante cetera cuncta, quae fecit, procul iubio non est mundus factus in tempore, sed cum tempore. Quod enim sit in tempore, & post aliquid sit, & ante aliquid tempus; post id quod præteritum est, ante id quod futurum est: Nullum autem posset esse præteritum, quia nulla erat creatura, cuius mutabilibus motibus ageretur. Cum tempore autem factus est mundus, si in ejus conditione factus est mutabilis motus. Rectè, inquam, Augustinus P. ista docuit; quoniam tempus est numerus & mensura motus: ergo ut mundus in tempore potius quam cum tempore fuisset productus, oportet quod ejus effectionem præcessisset mobile aliquod, & motus, & mensurans motū; ut enim inquit Philosoph. *quod in anima est tempus, extra animam est motus.* Unde ad tempus duo sunt necessaria, motus nempe, qui mensurari possit, & mens ipsa, quæ motum metiatur, & numeret. Cum ergo ante productionem Cœli, & terræ nullum fuisset mobile, nec motus, consequenter non potuerunt ista in tempore produci, sed ad summum cum tempore; sic quod cœli cum suo esse simul motum, saltim uniformem, recipierent.

12 Desideras autem scire, utrum expositio hæc ad literam procedat? Et videtur quod non; si namque nomine principij Filius hic intelligatur, sensus magis propheticus, & mysticus videtur, quam literalis & proprius; ut sentit De Hierom. lib. quæst. Hebraic. in Gen. dicens: *Magis itaque secundum sensum, quam secundum verbi translationem de Christo accipi potest, qui tam in ipso fronte Genesios, quæ caput omnium librorum est, quam etiam in principio Joann. Evang. cœli, & terra conditor approbatur.* Unde & in psalt. de se ipso ait: *In capite libri scriptum est de me; id est, in principio Genesios;* & in Evang. *Omnia per ipsum facta sunt.* & sine ipso factum est nihil. Ergo Verbum seu Filius, juxta Hierom. est principium secundum mysticum sensum. Respondeo, quod hoc nomen principiam propriè dicitur de Filio; quoniam significatum secundum se hujus vocis propriè in Filio reperitur; significat enim, à quo aliquid est. Citra dubium autem est, quod à Filio aliquid procedit, tum ad intra, nempe Spiritus S. tum ad extra, nimirum omnes creaturæ; at qui tunc aliquid nomen propriè dicitur de aliquo, cùm signifi-

nificatum ejus secundum se invenitur propriè in eo , de quo nomen dicitar , ut art. 2. ex Cayetano dictum est : ergo . Præterea , Angel. Præc. 1. p. q. 13. art. 11. argum. sed contra , ex eo probat , hoc nomen qui est , esse proprium Dei , quod Moysi quærenti , quod esset nomen ejus , respondit Dominus : *Ego sum , qui sum ; sic dices eis : qui est , misit me ad vos.* Sed etiam Christus Dominus Joann. 8. Judæis quærentibus , quis esset ? respondit : *Principium , qui Cœlo loquitur vobis :* Vel ergo illatio D. Thomæ loco citato non est bona : vel nos à simili recte inferimus , quod Christus Dominus , vel Filius propriè dicitur principium . Rursus , D. Thomas 1.p. q. 46. art. 3. in corp. hanc expositionem , in principio , id est , in Filio , datam esse docet ad excludendum errorem illorum , qui duo esse principia creationis dixerunt ; sed expositio ad excludendum errorem deserviens , literalis est , ut art. 1. ostendimus : ergo . Verba D. Thomæ ibi referam , quia plura ex superiùs dictis confirmant : *Dicendum , inquit , quod illud verbum Gen. 1. In principio creavit Deus cœlum , & terram , tripliciter exponitur ad excludendum triplicem errorem . Quidam enim posuerunt , mundum semper fuisse , & tempus non habere principium : & ad hoc excludendum exponitur : in principio , scilicet temporis . Quidam vero posuerunt , duo esse creationis principia , unum bonorum , aliud malorum : & ad hoc excludendum exponitur , in principio , id est in Filio . Sicut enim principium effectuum appropriatur Patri propter potentiam , ita principium exemplare appropriatur Filio propter sapientiam ; ut sicut dicitur : Omnia in sapientia fecisti , ita intelligatur , Deum omnia fecisse in principio , id est , in Filio : secundum illud Apost. ad Colos. 1. in ipso , filii et Filio , condita sunt universa . Alij vero dicereunt , corporalia esse creatæ à Deo mediantibus creaturis spiritualibus : & ad hoc excludendum exponitur , in principio creavit Deus cœlum , & terram , id est , ante omnia . Quatuor enim ponuntur simul crea- ta , scilicet , cœlum Empyreum , materia corporalis , que no- mine terre intelligitur , tempus , & natura Angelica . Hac D. Thomas , ex quibus rursus infero : ergo istæ tres expositiones , nimirum , in principio , id est , in Filio , & in principio tempo- ris , & ante omnia , sunt literales ; quippe quia utiles sunt ad explodendum tres prædictos errores . Abundet ergo in suo*

Iudabili sensu D. Max. litera scrutator egregius; nobis tamen licet contrarium sentire cum utroque Sanctissimo D. Augustino, & Thomā, qui testimonij apertissimis Script. S. innixi, & validissimis congruentia rationibus muniti, suam positionem nobis proponunt.

13 Sciendum tamen ex Augustino P. in Imperfect. de Gen. ad lit. cap. 3. quod Filius cum nominatur principium, debet intelligi tale, non sine principio, sed de principio, ut etiam præmonimus nuper ex D. Thoma. Verba Augustini P. ibi sunt: Secundum historiam autem queritur, quid sit in principio; id est, utrum in principio temporis, an in principio, in ipsa Sapientia Dei, quia & ipse Dei Filius principium sed dicit, quando ei dictum est, tu quis es? & dicit: principium, qui & loquor vobis. Est enim principium sine principio & est principium cum alio principio. Principium sine principio solus Pater est; ideo ex uno principio esse omnia creditur. Filius autem ita principium est, ut de Patre sit. Advertendum denique ex eodem M. P. 5. de Trinit. cap. 14. quod relativè ad creaturam, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, sunt unum principium, sicut unus creator.

14 CREATIV. Quid hoc verbum ex parte facti denotet, suprà ex D. Thom. dictum est, nempe temporalem rerum à Deo emanationem. Et rursus manifestum est, quod hoc loco creaturatum ex nihilo productionem significat; quenam ex usitato Patrum, & Scholasticorum more, creare propriè importat, aliquid ex nihilo efficere; facere verò, ex aliqua praæstante producere. Sic Mag. Sent. in 2. dist. 1. dicens: Creator est, qui de nihilo aliquid facit; & creare est de nihilo aliquid facere: Facere verò non modo de nihilo aliquid operari, sed etiam de materia. Unde & homo, & Angelus dicitur aliquid facere, sed non creare; vocaturque factor, sive artifex, sed non creator. Hoc enim nomen soli Deo propriè congruit, qui & de nihilo quedam, & de aliquo aliqua facie. Ipse est ergo creator, & opifex, & factor; sed creationis nomen sibi propriè retinuit; alia verò etiam creaturis communicavit. In Script. tamen sepe creator accipitur, tanquam factor; & creare, tanquam facere, sine distinctione significationis. Cum ergo primum opus Dei nullam supponat materiam, ex qua fiat; alioqui non esset absolute primum, cum supponeret aliud prius;

necessum est, quod illud sit creatum. Unde Deus in prima rerum institutione universalem rationem entis ex non ente produxit; quod est proprius terminus creationis: consequenterque non solum formas ut agentia particularia, verum etiam materiam illarum produxit.

15 Nec obest, quod in productione cœti, & hominis usus sit Moyses verbo creationis, cum tamen hæc animalia non sint ex nihilo facta. Non inquit refert, quoniam ipse narrationis contextus sufficienter declarat, ibi verbum *creare* (quod in Scrip. S. sæpè pro facere accipitur, ut ex Mag. dictum est.) non debere pro vera creatione usurpari. Præmisserat enim Moyses in opere quinta dici: *producant aquæ reptile*: & in opere sextæ diei: *faciamus hominem*, &c. Ubi ita producant relatè ad reptilia ex aqua facta; & verbum *facere* respectu hominis, satis indicant, ibi non esse terminem de vera & propria utriusque creatione: unde cum postea subdit Moyses: *Creativitatem Deus cœte grandia: & creavit hominem*, sufficere iter declarat, quomodo sit accipiendum verbum *creare*. At in creatione cœli, & terræ nullum est antecedens, aut consequens in serie narrationis Moysis, quod verbum *creare* ampliet, aut extendat ad latitudinem cuiuscumque productionis, cum absolute sit de prima entis creati à Deo emanatione prima enuntiatio.

16 COELOM, ET TERRAM. His verbis intelligit Augustinus P. Moysen insinuare productionem creature spiritualis angelicæ informis, quam vult significari nomine cœli; & creature corporalis pariter informis, quam designavit nomine terræ; ut videtur est in disputatione art. 3. num. 42. & deinceps, & ibi in solutione 1. argum. contra 2. conclusionem, & deinceps, & art. 4. & 5. Primum fundat præcipue Augustinus P. in eo, quod non oportuit, Moysen primorum Dei operum historicum primam & præcipuam Universi creaturam, nempe Angelos, reticuisse: Si autem illorum meninir, decuit, ut primo omnium Angelos memoraverit, sicut primo omnium conditi sunt; Prior enim omnium creatura est sapientia. Cum ergo in effluxu creaturarum à Deo primo loco constituat Moyses cœlum, convenienter Aug. P. hic cœli nomine Angelum intellexit. Secundum, scilicet, terræ nomine hic materiam informem corporalium creaturarum usur-

usurpari debere, ex eo persuadet Aug. P. quod Sap. 11. dicitur: *Omnipotens manus tua creavit orbem terrarum de materia invisa.* Ergo ex materia invisa condidit Deus orbem terrarum, seu mundum corporalem. Cum ergo id, ex quo aliquid sit, prius sit, quam quod inde fit; hinc Moyles mundi corporalis fabricam ordine, quippe in sapientia, a Deo conditam, enarraturus, & per partes manifestatus, recto ordine praemissit materiam, ex qua omnia corporalia in aspectibus species essent proditura: sicut ergo Angelos quia primò creatos Script. S. alibi evidenter manifestat, ante omnes alias creatureas Moyses commemoravit; sic convenientissimè, quia eadem Script. S. evidenter attestante, Deus orbem terrarum condidit ex informi materia, mentionem invisam materiæ creaturis corporalibus, ex ea fiendis, præmisit, quam nomine terræ, ex notissimis & similibus igaora manifestando, notificavit. Pro quo vide dicta locis nuper citatis.

17 Confirmat hanc positionem Augustinianam doctrina D. Bonavent. & Alens. art. 3. num. 114. & 115. tradita. Quia juxta hos preclarissimos DD. *creatio, ut distinguitur à facere, respicit materiam: factio verò formas distinctas.* Ergo cum Moyses productionem cœli, & terræ verbo creationis expressit, postmodum verbo factionis creature singulas secundum species proprias enarraturus, manifeste intuivit, se in exordio historiæ suæ in formitatem creature voluisse designare, & mentionem eorum, quæ ad veram creationem pertinent, facere; hujusmodi autem sunt Angelus, qui non ex præjacente materia fuit factus, & materia prima: ergo.

18 Notandum tamen, quod sèpè in disputatione dictum est, nimirum, in formitatem Angeli, & materiam primam corporalium, non præcessisse duratione formationem; formatam quippe creavit Deus materiam; *Dei enim perfecta sunt opera, ut dicitur Deut. 32.* Sed Scriptura divisi loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisi, ut docet Aug. P. lib. 1. de Gen. ad lit. cap. 15. dicens: *Non informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit utrumque simul concreatum;* & unde factum est, & quod factum est. Sicut enim vox materia est verborum, verba vero formatam vocem indicant: non autem qui loquitur, prius emit-

tit informem vocem, quam possit postea colligere, atque in verba formare: ita creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam, & eam postea per ordinem quarumcumque naturarum, quasi secunda consideratione formavit, formatam quippe creatit materiam. Sed quia illud unde sit aliquid, et si non tempore, tamen quidam origine prius est, quam illud, quod inde fit; potuit dividere Script. loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit. Si enim queratur, utrum vocem de verbis, an de voce verba faciamus, non facile quisquam ita tardo ingenio reperitur, qui non potius verba fieri de voce respondeat.

19 Verum inquires contra Augustinianam expositionem, quod impropter Moyses significaret Angelos, & informem materiam nominibus coeli, & terre; quod alienum est a munere historici, & declinat ad Poëtarum stylum, qui rem metaphoris extollere consueverunt, orationemque suam translationibus exornare. Moysis autem narratio historica communiter ab omnibus, contra Originem, censetur: ergo inconvenienter ad metaphoricas locutiones in ejus literali expositione recurrit.

20 Respondeo, quod cœli nomine frequenter in Scriptura S. quod sublime, celsum, & elevatum est, significatur: unde quandoque Deus ipse hoc nomine nuncupatur, ut constat ex illo Luciferi superbientis dicto: *In cœlum confundam, hoc est, usque ad solium Trinitatis:* & ex illo: *Cœlum nabi sedes est, id est, in se ipso Deus quietem, sedem, & locum habet: quippe à nullo extra se ambi, contineri, aut circumscribi valet.* Quandoque etiam Angeli, cœli nuncupantur; ut cum Psalmista inquit: *Cœli enarrant gloriam Det.* Poterat ergo hic similiter cœlum pro angelica natura usurpari. Nec omnino impropriè; quoniam cœlum à celando, & occultando dicitur, teste Calepino, eo quod inferiora omnia celer, & tegat: Angeli autem, cum sint supra omnes alias creature, non incongruè omnes illas celare, tegere, & circumscribere dicuntur; quinimò sua virtute corpora cœlestia movendo, atque regendo, omnia quodammodo sub se ambiere rectè judicantur: Angelus ergo sufficienti proprietate cœli nomine à Moysè nuncupatur. Pro quo amplius vide dicta art. 3. in foliis, argum, contra 2. conclu, & att. 5. Si autem adhuc

adhuc insistas, & contendas, quòd in hac nominis acceptio ne non servatur omnis proprietas: transfeat; neque enim His torici munus est, in omnibus vocibus rigorosam proprietatem servare; sed frequenter illas in propria significacione usurpare, raroque ad metaphoras divertere: quòd si aliquando cum aliqua congruentia metaphoris utatur, nullum in hoc vitium detegitur, sed potius conveniens hujusmodi stylus invenitur. Est autem congruens ratio, ut Moyses rudi populo condescendens, sublimium Angelorum naturam, crassis Hebreorum mentibus inaccessam, aliquo ipsis notissimo, nempe celo, cum Angelis in sublimitate similitudinem habente, manifestaret, vel insinuaret: & postmodùm DD. SS. in intelligentia profundi sermonis Mosaicæ fructuose labo rantes, eloquiorumque divitorum cohærentiam profundissime meditantes, hujusmodi expositionem subtilissimè inve nirent ergo convenienter Moyses usus fuit cœli vocabula ad productionem Angeli notificandam.

21. Quantum ad aliud nomen locis citatis ostensum est ex utroque Sancto D. quòd informis materia, ex qua facta sunt omnia corporalia, convenienter fuit à Moysè nomine terræ significata. Nec mireris, quòd impropiè dicto nomine materia prima sit appellata; cùm ipsi proprium nomen nun quam sit inventum, & adaptatum; immò nec tale aliquod adaptabile est; quoniam nomen est mentis conceptus nota men: quod ergo ex proprijs non parit in ipsa mente notiam, & conceptum sui, cur habebit proprium vocabulum? Materia autem prima ex se non habet speciem, nec idem neque enim est quid, nec quantum, nec quale, nec denique aliquid eorum, per quæ ens determinatur: unde ex se non habet in mente proprium conceptum; proindeque nec nomen, aut sui esse designativum. Hinc varijs nominibus Philosophi materiam primam nuncuparunt; quidam enim illam appellant hyle, alij chaos, alij propenihil, alij materia prima &c. Nullum autem horum est proprium designativum quidditatis materiæ, sed duntaxat secundum quamdam similitudinem, vel analogiam in illius cognitionem ducit; & hoc etiam modo terræ non sine significatur materia, ut infra amplius explicabimus.

22. Illud tandem pro expeditione, & complemento.

hujus versiculi diligenter examinandum est, cur Script. S. non utatur eisdem verbis in opere creationis, ac in reliquis? In prima enim cœli & terra creatione absolute dicit Moyses: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*; in reliquis autem; ad factio[n]em operis, dictio[n]em & locutionem Dei p[re]mittit, dum ait: *Dixit Deus, fiat lux: fiat firmamentum, &c.* Hanc difficultatem excitavit August. P. i. de Gen. ad lit. cap. 2. & solvit dicens: *An cùm primum fiebat informitas materie, sive spiritualis, sive corporalis, non erat dicendum, dixit Deus fiat: Quia formam Verbi semper Patri coherentem, quo sempiterne Deus dicit omnia, neque sono vocis, neque cogitatione tempora sonorum volente, sed coeterna similitudine à se genitæ Sapientie non imitatur imperfectio, cùm dissimilis ab eo, quod summis, & primitus est, informitate quadam tendit ad nihilum: sed tunc imitatur Verbi formam, semper, atque incomparabiliter Patri coherentem, cùm & ipsa pro sui generis conversione ad id, quod verè semper est, id est, ad creatorem, suæ substantia formam capit, & sit perfecta creatura: ut in eo, quod Script. narrat, dixit Deus, fiat, intelligamus Dei dictum in corporeum in natura Verbi ejus coeterni revocantis ad se imperfectionem creature, ut non sit informis, sed formetur secundum singula, que per ordinem exequitur.*

23 Et ibi cap. 4. inquit S. D: *Filiū commemoratio non ita sit, quia Verbum, sed etiam quia principium est, cùm dicitur: In principio, fecit Deus cœlum, & terram: exordium quippe creature insinuat adhuc in informitate imperfectio[n]is sit autem Filii commemoratio, quod etiam Verbum est; et quod scriptum est: Dixit Deus, fiat; ut per id, quod principium est, insinuet exordium creature existentis ab illo, adhuc imperfecti per id autem, quod Verbum est, insinuet perfectionem creature revocate ad eam, ut formaretur inherendo creatori, & pro suo genere imitando formam sempiterne, atque incomparabiliter inherentem Patri, à quo statim hoc est quod ille. Non enim habet informem vitam Verbum Filius, cui non solum hoc est esse, quod vivere, sed etiam hoc est si vivere, quod est sapienter, & beatè vivere.*

24 Sublimem hanc Aug. P. doctrinam sic enucleat D. Thom. i. p. q. 74. art. 3. ad 1: *Dicendum, inquit, quod secundum Aug. persona Filij commemoratur tam in prima*

rerum creatione, quam in rerum distinctione, & ornato;
 aliter tamen, & aliter. Distinctio enim, & ornatus pertinet
 ad rerum formationem. Sicut autem formatio artificato-
 rum est per formam artis, quae est in mente artificis, que
 potest dici intelligibile verbum ipsius; ita formatio totius
 creaturæ est per Verbum Dei; & idèo in opere distinctio-
 nis, & ornatus fit mentio de Verbo. In creatione autem
 commemoratur Filius, ut principium, cum dicitur: In prin-
 cípio creavit Deus: quia per creationem intelligitur pro-
 ductio informis materiae. Et clarius in 2. dist. 12. art. 5. ad 5.
 hoc ipsum explicat: *Dicendum*, inquit, quod verbum pro-
 priè loquendo importat rationem formæ exemplaris ad
 creaturas, eo quod verbum est ars, ut Augustinus dicit 4.
 super Gen. ad literam cap. 6. & idèo in senario dierum, ubi
 formatio creature narratur, convenienter mentio de Ver-
 bo sit. Ubi autem narratur productio informis materiae, Fi-
 lius ostenditur causa, ut principium, & non ut Verbum;
 unde diversimodiè utrobiusque totius Trinitatis causalitas
 ostenditur: In creatione siquidem informis materiae desig-
 nat Pater nomine Dei, qui creavit; Filius nomine prin-
 cipijs; Spiritus Sanctus nomine proprio, cum dicatur; Spi-
 ritus domini cerebatur super aquas. In formatione vero re-
 rum, significatur Pater, ut dicens; Filius, ut Verbum; Spi-
 ritus Sanctus, ut benignitas, qua approbat, quod factum
 erat: eodem namque amore, quo Deus voluit, ut creatura
 fieret, ei placuit, ut maneret.


25 Hæc ex Augustino P. D. Thom, quibus elegan-
 ter ostendit rationem differentiæ inter utramque expressio-
 nem Scripturæ S. quæ ad hoc devolvitur, quod in prima
 clausula ex parte operis significatur productio materiae in-
 formis; & idèo ex parte cause Filius non Verbi nomine, sed
 principijs habitudine exprimitur; quæ expressio ex parte effi-
 cientis non denotat præcisè tendentiam ad formationem, vel
 ornatum termini, sed duntaxat positionem ipsius in rerum
 natura. Ac è contraria in opere formationis & distinctionis, ex
 parte Filij tendencia ad creaturam in ratione Verbi manifes-
 tatur; quippe verbū propriè loquendo importat rationem
 forme exemplaris creaturarum, eo quod verbum est ars se-
 cundum Aug. & rei veritatem; ergo cum formatio creature

In Script. S. indicatur, quia imitatio formæ, & rationis idæa- s, in principio effectivo residentis, in re:um natura ponitur; idecirco habitudo causa sub expressione, & formalitate Verbi significatur.


26 Benè verum est (ut obiter instantiam præcludam) quod materia prima secundum Aug. simul duratione cum forma fuit producta: unde videtur, quod debuit etiam fieri mentio Verbi in ejus creatione. Ceterum licet Deus simul duratione cum materia cōcreaverit formam, Scriptura divisit loquendi temporibus, quod Deus faciendi temporibus non divisit, ut inquit Augustinus Parens: unde & nos etiam licet simul concipiamus materiam esse cum forma, non tamen simul significamus ea. Quia ergo prius Moyses materia informis creationem narravit, & postea formationem & distinctionem expressit; propterea nomine principij usus fuit ex parte efficientis respectu creatio: is materia informis, in quo nomine non exprimitur tendentia ad imprimendum formam mente præconceptam in effectu; quia *principium* ex terminis præscindit ab hoc, quod agat ex præconcepta idæa, seu forma exemplari rei fiendæ, ut videatur in agentibus intellectu parentibus: efficiens autem in ratione *Verbi* præfert tendentiam ad imprimendum formam præconceptam in artificato: unde ex parte rei productæ in ratione formalí termini importat impressionem formæ.

27 Insuper ex parte efficientis in formatione creaturarum explicatur in ratione *Verbi* specialis conducentia ad formandas diversas creaturas, quæ non significatur in formalitate *Principijs*; quoniam efficiens præcise in ratione principijs indifferenter se habet ad hoc, quod agat in determinatum effectum, à forma qua in se constituerit, vel ut agat ex forma præconcepta: unde non exprimit conduitiam specialem ad productionem diversarum formarum. Efficiens autem in ratione artificis, & verbi, potest diversos effectus producere, quia non agit, ut determinatum à forma, qua in suo esse constituitur; sed secundum idæam, speciem, seu formam exemplarem liberè ab ipso exagitata: unde ad nutum voluntatis suæ eligit, & format species & exemplaria diversarum rerum, quas ad extra producat. Sic Deus cùm plures mundos potuisse libere producere, hunc unicum condidit, & his

præ alijs speciebus eadem libertate exornavit: unde ratio verbi specialem conducentiam præfert ad mundi varietatem, & ornatam ex diversis speciebus. Licet ergo in Filio *Principium & Verbum* idem sint, tamen inspecta utriusque ratione formalis, diversa conducentia invenitur in uno, ac in alio, respectu termini in formalis ratione talis. Ut patet in intellectu, & voluntate, quæ in Deo realiter identificantur, quia tamen ratio formalis utrinque in ordine ad operationem, diversam conducentiam importat; propterea diversi effectus, & operationes de illis prædicantur. Unde verum est dicere, *intellectus in Deo intelligit*; falsum autem, *intellectus vult*. Similiter in præsenti diversam conducentiam importat ratio verbi, ac ratio principij, relatè ad opus, ut formatum, vel ut informe, ut dictum est.



§. II.



SECUNDUS VERSICULUS EXPOSITUR.

28

TERRA AUTEM ERAT INANIS, ET VACUA, ET TENEBRAE ERANT SUPER FACIEM ABYSSI: ET SPIRITUS DEI FEREBATUR SUPER AQUAS. Ang.

P. plures adducit ex mente aliorum hujus loci interpretationes 12. Confess. Verum materia prima in formitatem his explicari, docuit in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 4. dicens: „An sic melius intelligitur, ut in hac executione rursus ea, dem rerum materies commendaretur, quæ superius cœli & terræ nomine nancupata est? Ut iste sit sensus: In principio fecit Deus cœlum, & terram: hoc autem, quod cœlum & terra dictum est, terra erat invisibilis, & incomposita, & tenebrae super abyssum: id est, quod cœlum & terra appellatur, latum est, materies erat confusa quedam, de qua mundus, qui duabus maximè partibus, cœlo scilicet & terra constat, digestis elementis, & accepta forma fabricaretur. Quia consueta materia sic potuit insinuari populari intelligentie, si diceretur terra invisibilis, vel incomposita, vel inordinata, vel imparata. Et de Gen. ad lit. lib. 1. cap. 15: *Terra autem, inquit, erat invisibilis, & incomposita, & tenebrae erant super abyssum, & spiritus Dei superferebatur super aquas:*

ut excepto quod ibi positum est de spiritu Dei , cetera quidem rerum visibilium vocabula ; sed ad illam informitatem, ut tardioribus poterat, insinuantam , dicta intelligamus; quia haec duo elementa , id est , terra & aqua, ad aliquid faciendum operantium manibus tractabiliora sunt ceteris; & ideo congruentius istis nominibus illa insinuantur Informitas. Et de Gen. contra Manich. lib. i. cap. 7. dicit;

Hanc autem alibi informem materiam , etiam terram invisibilem , atque incompositam voluit appellare ; quia inter omnia elementa mundi terra videtur minus speciosa, quam cetera; invisibilem autem dixit, propter obscuritatem; & incompositam, propter informitatem.

Subscribunt Augustino P. Eucherius , & Beda; quorum ille lib. i. com. in Gen. haec habet : *Terra autem invisibilis erat*, & incomposita , id est, adhuc informis erat ipsa materia , quia necdum ex ea cœlum, & terra , necdum omnia formata erant, quæ formari restabant. Hæc enim materia de nihilo facta , præcessit tamen res ex se factas; non quidem æternitate , vel tempore , sicut præcedit lignum arcam; sed sola origine , sicut præcedit vox verbum , vel sonus cantum; nam qui vivit in æternum *creavit omnia simul*. Hæc ex Aug. desumpta esse manifestum est, ut verba ejus superiorius posita legenti patebit. Beda exposit. in cap. i. Gen. *Terra* , inquit , erat inanis, & vacua &c. quibus verbis videtur significare informitatem materie corporalis ; terra enim & aqua operantibus tractabiliora sunt ceteris. Hæc etiam doctrina planè Augustiniana est.

Itaque Aug. P. in superioribus verbis ideo terra & aqua nomine, materiam primam aptè rudibus explicari docuit , quia materia prima est ex qua sunt omnia , & in hoc maximam similitudinem , & omnibus notam habent cum illa terra , & aqua , quæ manibus omnium tractabiliora sunt ad fabricandum , quæ arte ab hominibus sunt. Insuper , ut amplius materie proprietatem Moyses rudibus explicaret, illam nomine terra sibi insinuantam , rursus invisibilem , & incompositam appellavit; quia sicut materia ex se nullam speciositatem habet , ita inter cetera elementa terra videtur minus speciosa. Præterea , invisibilis appellatur , propter obscuritatem; & incomposita , propter informitatem,

31 Celebriores Scholastici Angustianum P. in hac parte fecuti, similes causas assignarunt pro re praesenti. Ang. Præc. q. 4. de potentia art. 2. ad 31. hæc habet: *Non enim „poterat Moyses rudi populo loquens, primam materiam „exprimere, nisi sub similitudine rerum eis notatum, & quæ „sunt propinquiora informitati, utpote plus de materia ha- „bentia, & minùs de forma: Unde & sub multiplici simi- „litudine eam exprimit, non vocans eam tantum terram, vel „aquam, sed terram & aquam; nè si alterum tantum expres- „set, crederetur veraciter illud esse materiam primam: Habet „tamen similitudinem cum terra in quantum substat, & subsi- „det formis; sicut terra plantis, & alijs rebus: Terra etiam in- „ter omnia elementa minus habet de specie, cùm sit elemen- „tum concretius multum habens de materia, & parum de for- „ma. Habet etiam similitudinem cum aqua, in quantum est „aperta nata recipere diversas formas; humidum enim, quod „convenit aquæ, est benè receptibile, & terminabile. Et se- „cundum hoc terra dicitur inanis, & vacua, vel invisibilis, & „incomposita; quia materia per formam cognoscitur: unde in- „se considerata dicitur invisibilis, id est, non cognoscibilis, & „inanis, in quantum forma est finis, in quem tendit appetitus „materiæ; inane enim dicitur, quod est suo fine privatum.*
Vide etiam D. Thom. ibi art. 1. ad 2. & ad 7.

32 Albertus Magnus p. 2. de 4. coiquavis q. 12. art. 11. sequentia docuit: *Querendum, secundum quas pro- prietas materia prima vocetur terra, & abyssus, & aqua. Dicendum, quod una proprietas materia est retinere formam;* & secundum hanc dicitur terra, *ed quod omnia, que faciunt retentionem, sunt in terra. Retentionem autem faciunt tria, scilicet, soliditas, ut dispositio; siccitas autem, ut materia; & frigiditas, ut efficiens. Et ideo dicit Avicena, quod vis retentiva vigorem suscipit a frigido, & siccitate. Secun- da proprietas materia est recipere: & secundum hanc proprie- tatem dicitur aqua, quia humidum aquæ non est terminabile in se, sed terminatur ad quamlibet figuram tangentis. Tertia pro- prietas materia est non subsistere auctu; & hanc habet in quan- tum est subjecta privationi: & secundum hanc dicitur abyssus, ab eo quod est sine, & basis; basis enim materie, super quam fundatur ejus esse secundum auctum, est forma subs- tantialis.*

33 Alexander de Ales in summa q. 45. mem. 3. sequentes assignavit illorum nominum rationes, dicens: Ex diversis rationibus materia prima diversa sortitur vocabula. Est enim potentia materia receptiva; quae deficit in genere potentie respectu potentiae activae, vel simpliciter, vel secundum quid: Et quantum ad hoc habet rationem terra: terra enim inter omnia clementa minus habet de ratione activi. Item dicitur abyssus, id est, sine candore; quia sine specie et pulchritudine: ut ostendatur defectus ex parte speciositatis. Dicta est aqua, quia aqua male terminabilis termino proprio, bene alieno: ita materia bene terminabilis per formam, et debitam dispositionem: ex defectu ergo terminationis dicta est aqua; quia de facili ductilis et fluxibilis sub jacet operanti, ut de ea omnia formarentur: Et a primo agente daretur ei virtus per formam, species per distinctionem, terminatio per ornatum, et summa scilicet potentia, sapientia, et bonitate.

34 Sanctus Bonavent. in 2. dist. 12. in textu, propositas has rationes informitatatem materiae dictis nominibus explicari docuit: Insinuat, inquit, ipsa materia in formis istis tribus nominibus sub triplici conditione se habere in compensatione ad formam. Ipsa enim materia dat forme fixionem; Et propter hoc appellatur nomine terrae, quae inter cetera elementa plus habet de stabilitate. Ipsa enim materia a forma respicit speciositatem, et completionem, et per se est quasi tenebra; Et ideo signatur nomine abyssi tenebrose. Ipsa quoque materia ad formam habet aptitudinem, et inclinationem; Et ita quandam fluxionem, quae significatur nomine aquae. Haec omnes interpretationes, quantum ad propositum, in id ipsum incident; quoniam quavis illarum cum aliqua allusione proprietates materiae explicat: illa tamen quae a D. Thom. traditur, magis inheret sententiae Augustini Parentis,

35 Ceterum hanc expositionem ex eo plures rejeciendam autemant, quod ad peregrinos sensus, & maximè Hebreis obscuros, literam detorqueat, Scripturam penitus renidente, & in contrarium reclamante. Verum hoc inconveniens satis in superioribus art. 3. & sapè in discursu Disput. ostendimus minimè subsistere, Scripturamque in contrarium nullatenus reclamare, quinimq; illam littera Moysis con-

gruere, & narrationis contextum sponte sua admittere, & exigere, ex echo ejusdem Sacrae Scripturae alibi deduci, abunde ostendimus. Quippe Sapientia 11. dicitur, Deum Orbem terrarum, seu Universum ex informi materia plasmasse: unde oportuit, ut Moyses illius meminerit, Hebreisque rudi- bus, aliquo ipsis notissimo proprietates materie demonstraverit, quod non potuit convenientius praestare aliter, quam accipiendo literam ejus secundum expositionem Augustinianam.

36 Ostendimus ex August. P. quid significant in litera Mosis terrae inanitas, & vacuitas, abyssique tenebrositas. Nunc oportet declarare energiam illius verbi erat; diximus enim ex D. Thom. cum verbum creavit explicuimus, quod hoc verbum erat, durationem eternam sine determinatione temporis significat, ad differentiam verbi praterki perfecti fecit, fuit, creavit, &c. Hinc autem inferri videtur, quod materia prima terrae inanis, abyssi tenebrosae, & aquarum nomine significata, fuisset ab eterno; qui fuit error Hermogenis apud Tertulianum lib. contra ipsum & Manichorum, ut scribit Aug. P. lib. 1. de Gen. contra Manichaeos cap. 3. ubi dicit, quod inconsequentiae arguunt Scripturam Manichaei ex eo quod terra per verbum erat designatur eterna; & aliunde per verbum creavit notificatur temporaliter facta. Verba August. sunt: Quod autem sequitur in lib. Genesios; Terra erat invisibilis, & incomposita; sic reprobendunt Manichaei, ut dicant: Quomodo fecit Deus in principio cœlum, & terram, si jam terra erat invisibilis, & incomposita? Ita cum volunt Scripturas divinas prius vituperare, quia non esse, etiam res apertissimas non intelligunt. Quid enim manifestius dici potuit, quam hoc dictum est: In principio fecit Deus cœlum, & terram, terra autem erat invisibilis, & incomposita; id est, in principio fecit Deus cœlum, & terram; terra autem ipsa, quam fecit Deus, invisibilis erat, & incomposita, antequam Deus omnium rerum formas locis, & sedibus suis ordinata distinctione disponeret: antequam diceret: sicut lux, sicut firmamentum, & congruentur aque, & appareat arida, &c. Que in eodem lib. sic exponuntur per ordinem, quem admodum possint ea parvuli capere, que omnia continent tam magna mysteria, ut quisquis ea didicerit, omnium hereticorum vanitatem vel

dolet, quia homines sunt; vel derideat, quia superbi sunt. Vide etiam de hoc ipsum in Imperfecto de Gen. ad literam cap. 4.

37 Tertullianus lib. adversus Hermogenem cap. 27.
 , sic illum impugnat: *Terra erat invisibilis*, & rudis. Sed tu,
 , à Hermogene, superōlio capitis, & nutu digiti altius tol-
 , lens, & quasi retro jaētans: erat, inquis, quasi semper fue-
 , rit, scilicet innata, & infecta; & idcirco materia credenda.
 , At ego sine ullo lenocinio pronuntiationis, simpliciter ref-
 , pondebo, de omni re dici posse, *erat*, etiam de ea, quæ fac-
 , ta, quæ nata sit, quæ aliquando non fuerit, & quæ materia
 , non sit. Omne enim quod habet esse, unde habeat, sive per
 , initium, sive sine initio, hoc ipso quod est, etiam *erat* dice-
 , tur. Cui competit prima verbi positio in diffinitionem,
 , ejusdem etiam declinatio verbi decurret in relationem. Est
 , diffinitionis caput *erat*, relationis *fuit*. Idem docet Ambro-
 , sius lib. 1. Exam. cap. 7. dicens: *Terra autem erat in-*
 , *visibilis*, & *incomposita*. Quid est, *erat*, nisi nè forte in-
 , infinitum, & sine principio extendant opinionem suam, &
 , dicant: Ecce quia materia, id est hyle, sicut Philosophi
 , dicunt, etiam secundum Scripturam divinam non habuit
 , initium. Verūm hoc dicentibus respondebis, quia scrip-
 , tum est; erat autem Cain operarius terre: & de eo qui Ju-
 , bal dicitur est, habet Scripturā: hic erat pater, qui demon-
 , travit psalterium, & citharam: &, homo erat in Ausitide
 , regione, cui nomen Job. Desinant ergo quæstionem move-
 , re de verbo, cùm p̄missit Moyses, quia fecit Deus ter-
 , ram. Erat ergo ex quo facta est. Vide etiam Theodoreum
 q. 4. in Gen. & Procopium Coment. in Gen. cap. 1.

38 Et omnium ratio ad hoc præcipue devolvitur, quod Moyses verbo præteriti imperfecti *erat*, præmisserat verbum præteriti perfecti *fecit*, vel *creavit*, quod tempora-
 , lem rei emanationem designat. Unde licet verbum *erat*, nulla
 , antecedenti, concomitanti, aut subsequenti restrictione
 , coarctatum, sicut Joannis 1. de Verbo Divino asseritur,
 , aeternitatem significet, ut ibi D. Thomas notavit; tamen si
 , antecedenter de re quam verbum *erat* sufficit, temporalis pro-
 , ductio per verbum præteriti perfecti fuerit determinata, si-
 , nūmē aeternitatem in re adjuncta significat. Cū ergo de eā-
 , dem

dem terra Moyses antea præmisisset per verbum *creavit productionem cœli, & terræ*, nullum restat fundatum in Scriptura, Hermogenis & Manichæorum deliramento.

39. Dubitari etiam potest, ubinam Moyses insinuat informitatem Angeli? Diximus enim in 1. versiculo ex August. P. quod per cœlum & terram in principio creata, intelligitur productio naturæ spiritualis angelicæ informis, cœli nomine significatæ; & materiae primæ, indicatæ per terram. Sicut ergo informitas materiae primæ omnium corporalium fuit à Moysè explicata, ita oportuit, quod etiam informitatem naturæ angelicæ manifestaverit. Per quid ergo, rogas, hujusmodi informitatem Moyses designavit?

40. Respondeo, quod per tenebras, quæ erant super faciem abyssi. Sic docet Augustinus P. 12. Confess. cap. 17. dicens: *Quid si dicat & alius, cœlum & terram quidem invisibilem, visibilemque naturam, non indecenter appellatam, at per hoc universam creaturam, quam fecit in sapientia, id est in principio, Deus, hujusmodi duobus vocabulis esse comprehensam; verumtamen quia non de ipsa substantia Dei, sed ex nihilo cuncta sunt, quia non sunt id ipsum quod Deus, & inest quedam mutabilitas omnibus; sive manent, sicut eterna domus Dei, sive mutantur, sicut anima hominis, & corpus; communem omnium rerum invisibilium, visibiliumque materiam, adhuc informem, sed certè formabilem; unde fieret cœlum, & terra, id est invisibilis, atque visibilis jam utraque formata creatura, his nominibus enuntiata, quibus appellaretur terra invisibilis, & incomposita, & tenebrae super abyssum: eà distinctione, ut terra invisibilis, & incomposita intelligatur materies corporalis ante qualitatem formæ; tenebrae autem super abyssum, spiritualis materies ante coibitionem quasi fluentis immoderationis, & ante illuminationem sapientiae. Ergo juxta Augustinum P. non indecesseret, immò convenienter per cœlum & terram significatur initio narrationis Moysis productio informis materiae spiritualis, & corporalis; quatum prima per tenebras super abyssum indicatur, & alia per terram invisibilem & incompositam intelligitur.*

41. Congruè quidem per tenebras intelligit Augustinus P. informitatem creaturæ spiritualis; quoniam formatio spiritualis naturæ, juxta dicta ex ipso & alijs PP. art. 5.

per lucis productionem significatur; qua luce intelligitur conversione creaturæ spiritualis ad incommutabile bonum: ergo informitas in Angelo idem est, ac parentia illuminationis, ut adhæreat Verbo Dei; atque parentia lucis rectè tenebrarum nomine nuncupatur: ergo convenienter à Moysè per tenebras parentia illuminationis naturæ angelicæ, ut Verbo adhæreat, indicatur. Hæc intelligentia robur accipit ex dictis toto art. 5. præsertim §. 6. ubi ostendimus, Moysis literam exigere intelligentiam Aug. P. de luce spirituali & angelica in primo die.

42 In autoritate Augustini P. quispam offendiculum inveniet in eo, quod videtur statuere, vel concedere materiam spiritualem, illis verbis: *Tenebrae autem super abyssum, spiritualis materies, &c.* Ceterum sciendum, quod non loquitur ibi Sanctus Doct. de materia spirituali, ex qua educatur Angelus quoad substantiam, & formam specificam; de his enim licet disputativè tractet lib. 5. de Gen. ad literam, tamen absolute illam non admittit. Accipit ergo spiritualem materiam pro natura completa angelica, ut sit in potentia ad illuminationem sapientiæ, ut scilicet, adhæreat Verbo Dei, & Sapientiæ increatiæ aqua illuminatur; sin autem, fluitat immoderantia fluib[us], ut ait ibi Aug. P. Sciendum etiam, quod quandoque Augustinus P. per tenebrosam abyssum intelligit etiam informitatem materiae rerum corporalium, ut in Imperfecto de Gen. ad literam cap. 4. & alibi s[ecundu]s: sed frequentius in usu habet Sanctissimus Paren[s] expositionem supradictam, ut videre est i. de Gen. ad literam; & sequuntur ipsum Anselmus Laudunensis in glossa Interlineali, & etiam glossa ordinaria.

43 Id demum, quod in versiculo ponitur, nempe, *spiritus domini ferebatur super aquas*, de Spiritu Sancto intelligit Augustinus P. in Imperfecto de Gen. ad literam cap. 4. & à fortiori sic accipiendo autumat consequenter ad superius determinata, dicens: *Si autem universæ creature, id est, intellectualis, & animalis, & corporalis materia creditur illo aqua vocabulo enuntiata, nullo modo hoc loco spiritus Dei potest, nisi ille incommutabilis, & Sanctus intelligi, qui ferebatur super materiam omnium rerum, quis fecit, & condidit Dens.* Atque aqua & terræ vocabulo, ut ex Augustino dictum est,

est, debet hic accipi informitas materia: ergo Spiritus Sanctus hic debet intelligi; qui superfertur aquis, id est, materia informi; quia ex beneplacito suo, non autem ex necessitate natura, tum materiam creaverat, tum etiam illi formas indiderat: omnesque creature, quas propter semetipsum Deus operatus est, ad se pro uniuscuique modulo convertebat, ut docet Augustinus P. 1. de Gen. ad literam cap. 5. dicens:

Et spiritus Dei ferebatur super aquam: quia siue aquae nomine appellare voluit totam corporalem materiam, ut eo modo insinuaret unde facta & formata sint omnia, que in suis generibus jam dignoscere possumus, appellans aquam, quia ex humida natura videmus omnia in terra per species varias formari, atque concrescere; siue spiritualem vitam quandam ante formam conversionis quasi fluitantem: superferebatur utique spiritus Dei, quia subjacebat, scilicet, bone voluntati Creatoris, quidquid illud erat, quod formandum, perficiendumque in bonaverat; ut dicente Deo in Verbo suo, fiat lux: in bona voluntate, hoc est, in beneplacito ejus, pro modulo sui generis maneret quod factum est.

44 Et ibi cap. 7. haec habet Sanct. Doctor: Sed cur commemoratur prius quamvis imperfecta creatura, posse & commemorantur Spiritus Dei: prius dicente Scriptura: terra autem erat invisibilis, & incomposita, & tenebra erant superfaciem abyssi: ac deinde infertur: & Spiritus Dei ferebatur super aquas? An quoniam egenus, atque indigus amor ita diligit, ut rebus quas diligit, subjiciatur, propterea cum commemoratur imperfecta creatura, Spiritus Dei, in quo ejus sancta benevolentia, dilectione intelligitur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua per indigentia necessitatem, potius, quam per abundantiam beneficentie, Deus amare putaretur. Cujus re' memor Apost. dicturus de charitate, supereminentem viam demonstraturum se ait: & in alio loco, supereminentem, inquit, scientiae charitatem Christi. Cum ergo sic oporteret insinuare Spiritum Dei, ut superferri diceretur, commodius factum est, ut prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur: non autem leco, sed omnia superante, ac praeclente potentia. Quæ explicans D. Th. i. p. q. 74. art. 3. ad 4. haec habet: Sed secundum Sanctos per spiritum domini intelligitur *Spiritus Sanctus*, qui dicitur superferri aquæ,

id est, materie informi secundum Augustinum, nè faciendo opera sua, propter indigentie necessitatem putaretur Deus amare. Indigentia enim amor à rebus, quas diligit, subjicitur. Commodè autem factum est, ut prius insinuaretur aliquid indeuctum, cui superferri diceretur. Non enim superferatur leco, sed preexcellente potentia, ut Augustinus dicit 1. super Gen. ad literam.

45 Verum inquis: si Spiritus Sancti, sicut & Paras-
teris, & Filij sit mentio in opere creationis, similiter debuit
fieri in opere distinctionis, & formationis; utrobique enim
par militat ratio: quippe omnia opera ad extra sunt roti Tri-
nitati communia, quod insinuat juxta Augustinum P. in illo
Apostoli: *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia:*
Cùm ergo in opere formationis non memoretur Spiritus S.
consequens est, quòd nec in opere creationis nomine *Spiri-
tus domini*, sit accipiendus Spiritus Sanctus. Respondeo, quòd
in utroque opere sit mentio Spiritus Sancti; utrobique enim
eadem est ratio. Sit quidem in opere creationis modo nupter
ex August. explicato. In opere autem formationis notificatue
Spiritus Sanct. per amorem, & complacentiam, qua opus à
Deo factum ab ipso approbatur; quoniam Spiritus Sanct. ex
proprietate notionali amor est: ergo ubicumque fertur, amo-
re fertur: *Duo autem sunt*, inquit August. P. 1. de Gen. ad
lit. cap. 8. propter quod amat Deus creaturam suam, ut sit, &
ut maneat. Ut ergo esset quod maneret, *Spiritus domini su-*
perferebatur super aquam: ut autem maneret, vedit Dens,
quia bonum est. Pulcherrimam hanc Augustinianam doctri-
nam sic expendit D. Thom. 1. p. q. 74. art. 3. ad 3. Conser-
vandum, inquit, quòd *Spiritus Sancti amor est. Duo autem*
sunt, ut August. dicit, propter quæ Deus amat creaturam
suam, scilicet, ut sit, & ut permaneat. Ut ergo esset quod
*permanent, dicitur, quòd *Spiritus Dei ferebatur super aquas,**
secundum quid per aquam materia informis intelligitur: si-
quid amor artificis fertur super materiam aliquam, ut ex ea
ficeret opus. Ut autem maneret, quod fecerat, dicitur: Vedit
Deus, quòd esset bonum: In hoc enim significatur quedam com-
placentia Dei Opificis in re facta, non quid alio modo cog-
nosceret, aut placeret ei creatura jam facta, quid antequam
faceret. Et sic in utroque opere creationis, & formationis.

Trinitas personarum insinuatur. In creatione quidem persona Patris per Deum creantem, Persona Filii per principium, in quo creavit: Spiritus Sancti, qui superfertur aquis. In formatione vero persona Patris in Deo dicente: persona vero Filii in Verbo, quo dicitur: persona Spiritus Sancti in complacencia, quae vidit Deus esse bonum, quod factum erat. Claret ergo ex utroque Sanctissimo DD. quod Spiritus dominus, vel Spiritus Sancti in utroque opere commemoratur. Sequuntur August. P. in hac parte gravissimi PP. & DD. Eucher. Beda, Rup. Albert. M. & alij.

46. Sed contra hanc interpretationem Aug. P. & aliorum, tria obstat videntur. Primum: quod non impetr spiritus domini nomine, Scripturae S. Spiritum S. declarant. Secundum, quod non videtur decens, ut Spiritus illius S. superfert licenter, cum hoc corporibus proprium esse inventatur, repugnansque illi summae, & immensa substantiae spirituali, quae ubique est, & cuncta vivificat. Tertium deinde est, quod Iudeis, quibus haec scribebat Moyses, nondum esset reseratum ineffabile hoc Trinitatis beatissime mysterium: in casum ergo illud Moyses hic insinuaret.

47. Respondeo ad primum, quod certe in Script. Samboties nomine spiritus Domini, non Spiritus S. sed aliqua creatura, puta Angelus, vel etiam ventus, appellatur. At etiam hujusmodi nomine Spiritus Sanctus consuevit in eadem Script. nuncupari: ut Job. 26: *Spiritus Domine ornavit celos.* Et Sapient. 1. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum.* Quando autem de Spiritu S. quando vero de creatura hoc nomen accipiendum sit, ex circunstancia litterarum intentione Authoris, Scriptura echo venandum est, & rationis indagine scrutandum. Hac vero omnia similis conspirant in praesenti prointerpretatione Augustiniana. Rationis quidem scrutinium: quoniam, ut supra dictum est, operationes ad extra communes sunt toti Triuitati: ubi ergo similitudo Patris, & Filii in productione aliquius creature, oportet, quod pariter Spiritus Sanctus commemoretur; atqui in prima rerum institutione Patris, & Filii mentione invenitur, ut ostensum est: ergo etiam Spiritus S. Confirmat etiam manifeste expositionem Aug. Scripturæ S. echo: quoniam cum alijs in locis Scripturæ S. opificium mundi memorant, Spiritus Sanctus

aperte declarant; David siquidem psalm. 32. cùm dixisset: *Verbo Domini celi firmati sunt*, adjunxit: *Et Spiritu oris ejus omnia virtus eorum*. Et psalm. 103. ad primam rerum institutionem respiciens, inquit: *Emitte Spiritum tuum, O creabuntur, O renovabis faciem terra*. Patet hoc ipsum ex testimonij Sap. & Job, nuper memoratis. Denique ex circumstantia literarum, & intentione Authoris idem colligitur; quoniam, ut suprà ex D. Thom. diximus, illud in principio, interpretatur, *Pater in Filio*, ut excludatur hæreticorum error, dicentium, quòd duo fuerant creationis principia: ergo intentio Authoris fuit, Patrem, & Filium in opere creationis manifestare ad excludendum errores infidelium; sed hæretici ex sensu literali Scripturæ S. sunt confutandi: qui sensus literalis est, quem Author intendit: ergo intentio Authoris est Patrem, & Filium in primis operibus Dei manifestare: ergo etiam Spiritum Sanctum; quoniam functiones ad extra omnibus divinis personis æquè convenient.

48 Accedit, quòd tam Scriptura S. quam PP. & Ecclesia, rerum omnia vivificationem & animationem semper Spiritui Sancti, adscribunt: credendum ergo non est, quòd Scripturæ, quoties rerum Universi affectionem memorant, Spiritum Sanctum non recenseant, vel quòd Moyses in ipsa opificij mundi historia eum suppreserit, atque vivificationem primevam enarrans, ipsius summi vivificatoris non meminerit. Hoc, inquam, PP. suprà memorati senserunt. Idem denique Ecclesia statuit, cùm in benedictione fontium ita canit: *Tu super aquas, fatus es, ferebaris*. Et post in oratione: *Deus, cuius Spiritus super aquas inter ipsa mundi primordia ferebatur*.

49 Ad 2. patet responsio ex doctrina data Aug. P. neque enim Spiritus Sanctus, ferri localiter credendum est; quippe quia semper ubique intimè præsens est: *In ipso enim vivimus, movemur, O sumus*. Sed dicitur superferri, aut ferri super aquas præcellenti potentia. Manus quippe fuit Spiritus Sanctus, superferri super illud chaos, ut iuperfertur voluntas artificis ligno, vel cuicunque materia sui artificiati. Quam superlationem apprimè explicat Eucherius in praesenti dicens, quòd *superferebatur aquis Spiritus, non pervagatione, sed potestate; non localiter, sed potentialiter; non per*

spatia locorum, sed potentia sublimitatis sue. Et ut exemplo Aug. P. utar, non ut contentus fieri fertur Spiritus, quasi oleum aquæ; sed sicut lux splendida Solis, aut Luna his diffunditur corporibus, que illuminantur ab ipsis. Et Tostatus hic inquit: *Voluntas, & mens Dei opificis forebatur super aquas, quasi mente agitans, quemcumque statuerat ex aquis efformare, ad similitudinem Opificis, spectantis materiam sibi substratam; quemadmodum ex ea effingere posse opus ad similitudinem ejus exemplaris, quod mente perceperat.* Denique, ut supra notatum est, Spiritus Sanct. amor est, & voluntas eterna: ut ergo amor est, fovebat; hoc est, amoris divini nexum, quo vivificantur cuncta, impertiebatur: ut autem voluntas est, forebatur ad opus illud præstantissimum execendum, mundumque omnibus numeris absolutum, & pulcherrimum fabricandum, & perficiendum.

50 Ad 3. dicendum, quod est Iudei ignorassent inessabile mysterium Trinitatis, non obest quominus illud Moyses in sua historia insinuaverit; ut enim art. 3. & 5. fuse ostensum est, non omnia quæ Moyses narravit, redium Hebreorum captui obvia censenda sunt: quinimodo & subtilissimis PP. plura ex illis inaccessa esse, ex ipsis ibi dictum est, & etiam art. 1. Unde non est mirum, quod altissimum hoc nostræ fidei mysterium, Iudeis ignotum, Moyses in sua historia texeret; eò vel maximè quia ut ex Augustino Torniello art. 3. num. 196. dictum est, bene noverat Sacer Vates, quod omnibus debitor factus, omnibus scribebat, cunctisque, quantum cuique satis erat, de mundi opificio revelandam fuerat. Præscius ergo Moyses, quod non modò Iudei, verum etiam novæ legis Patres, & DD. in suæ historiæ profunda scrutatione, laudabilique studio, varios sensus, & literæ consentaneos fauissent assecuturi, & his notum futurum mirabile Trinitatis beatissimæ mysterium; hinc omnibus, & singulis congruentem cibum in sua historia præparavit; ut scilicet Iudei nomine Dei, Præcipij, & Spiritus, Deum ut unum acciperent; sic enim duntaxat ipsis erat notus, & dicta nomina quippe essentialia, Deo ut unus est, conveniunt: Christiani vero, qui Deum secundum ut unum, verum etiam ut Trinitatem cognoscunt, dicta nomina non solum ut essentialia, verum etiam ut notionalia, & personis appropriata, accipere possent.

~~DIG~~~~DIG~~

EXPONITUR VERSICULUS TERTIUS.

DIXITOQUE DEUS, FIAT LUX, ET FACTA EST LUX.
 Premissa in primis versiculis utrinque creaturæ, spiritualis nempe, & corporalis creatione secundum informitatem materiæ, pergit Moyses notificare formationem utriusque; & primò angelicæ naturæ, que sicut primò omnium creata est, oportuit, ut prius etiam formaretur. In quo opere, sicut etiam in reliquis creaturis formandis, Augustinus P. sentit, quod sicut Moyses in opere creationis Trinitatis beatissimæ meminit; sic in formatione cuiuslibet eamdem memoravit; ut apertissime docet i. de Gen. ad lit. cap. 6. dicens: *Et quemadmodum in ipso exordio inchoatae creature, que cœli, & terræ nomine, propter hoc quod de illa perficiendum erat, commemorata est, Trinitas insinuatur creatoris; nam dicente Scriptura: In principio fecit Deus cœlum, & terram, intelligimus Patrem in Dei nomine, & Filium in principij nomine; qui non Patris, sed per se ipsum creata primitus, ac potissimum spirituali creature, & consequenter etiam universæ creature principium est; dicente autem Scriptura, & Spiritus Dei ferebatur super aquas, completam commemorationem Trinitatis agnoscamus: ita & in conversione, atque perfectione creature, ut rerun species digerantur, eadem Trinitas insinuatur: Verbum Dei scilicet, & Verbi generator, cum dicitur, dixit Deus: & sancta bonitas, in qua Deo placet quidquid ei pro sua nature modulo perfectum placet, cum dicitur: *Vidit Deus quia bonum est.* Quapropter Augustinus Parenz hoc loco illud dicit, ad ipsum Verbum Dei æternum retulit, ut Moyses hoc verbo significare velit, Deum cuncta Verbo suo unigenito effecisse. Convenientissimè sane; quoniam hanc intelligentiam confirmat Scripturæ Sacrae echo, dicente Psalmista: *Ipse dixit & facti sunt: & Joan. i. de Verbo dicitur: Omnia per ipsum facta sunt.* Cum ergo Moyses dictiōnem, & locutionem Dei formationi creature praefigit, ipsum Verbum Dei æternum, quo Pater dicit, insinuavit.*

32. **FIAT LUX.** Hic Augustinus P. processum lucis in exemplari ejusdem, nempe in Verbo, intelligit; quoniam Filius procedit a Patre, ut Verbum ejus, & Artifex in quo sunt exemplaria omnium creaturarum; ibi non facta, sed intransitive in eadem Verbi generatione congenita, & cum conditori placuerit, in proprias & aspectabiles species eruent, ut late dictum est ex Aug. P. in disput. discursu, præcipue art. 5. quæ nè molestia lectorum gravem, hic non repeatam.

33. **ET FACTA EST LUX.** Id est, in propria natura lux facta est, quæ erat in Verbo Dei ut fienda. Verum rogas, cum in cæteris fiendis rebus ter verbum facere repeatat Scriptura, cur bis hic duntixat ponitur? Sed hujus difficultatis amplissimam habes solutionem loco citato, num. 461. & deinceps, ex Aug. P. ibi dicta vide; & etiam quid lucis nomine sit intellegendum, nempe spiritualis natura ad suum creatorem conversa, atque formata; quæ formatio recte lucis nostræ significatur, ut etiam ibi ostensum est, & quidem ad literam, & cum proprietate sermonis. Quæ obstate videntur huic expositioni late enodavimus loco citato.

34. Id demum hic notandum restat, & dictis loco citato addendum, quòd nempe, aliud est in Deo dicere Verbum, aliud dicere Verbo, seu per Verbum. Dicere Verbum est gignere Verbum illud aeternum, & increatum; de quo David psalm. 2: *Ego hodie genui te: & hoc dicere est Patri tan-tum, cuius sit notionale.* Dicere Verbo, seu per Verbum, non est natura gignere; sed ex beneplacito, quod in Verbo Aeterno, insitum erat ut fieret, mandare ut fiat. Et hoc modo intelligitur illud psalm. 32: *Verbo dominij cœli firmati sunt.* Et illud Joann. 1: *Omnia per ipsum facta sunt.* Et hoc modo dicere non est Patri tan-tum, sed totius SS. Trinitatis; quandoquidem est actus indicativus practici illius intellectus, includens, vel concordans amorem, approbationem, & beneplacitum. De quo vide Aug. P. in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 5, ad medium. Ad rem ergo ex his infero, quòd si ludixit Deus factum, referatur ad Verbum, ut practice in illo tamquam exemplari creaturarum, & artifice, sunt rationes, idex, & formæ rerum; sic illud dicere est proprium Patri: si autem referatur ad emanationem creaturarum ad extra, & secundum

quod ponuntur in propria natura, sic dicere commune est toti Trinitati. Primum patet ex eo, quod ad formalem rationem Verbi pertinet continentia rerum tamquam in exemplari carum, ut supra ex utroque SS. Doct. dictum est in expositione 1. vers. Secundum etiam patet ex ibidem dictis. Illud etiam hic ex Aug. P. in Imperfeto de Gen. ad lit. cap. 5. notare oportet, quod illud dixit, factum est, placuit, seu vidit quia bonum est, convenienter potest imperium, potentiam, & benignitatem significare. Quid enim convenientius (inquit ibi) de Deo dicitur, quantum inter homines dict potest, quam cum ita ponitur, dixit, factum est, placuit: ita ut in eo quod dixit, imperium ejus intelligatur: in eo quod factum est, potentia: in eo quod placuit, benignitas: sicut ineffabilia per hominem bonis, ita ut omnibus prodeffent, dici debuerunt.

§. IV.

QUARTUS VERSICULUS EXPONITUR.

ET VIDIT DEUS LUCEM, QUOD ESSET BONA ET DIVISIT LUCEM A TENEBRIS. Augustinus P. primis illis verbis, vidit Deus &c, approbationem operis facti, per amorem & complacenciam Spiritus Sancti, cui placuit ut res facta maneret, intelligit; ut in expositione secundi, & tertij versiculi dictum est. Et notandum, quod Deus facta luce, illam continuo approbat, non autem postquam illam a tenebris separavit, & vocavit lucem diem, & tenebras noctem. Cujus pulcherrimam rationem dedimus art. 5. §. 6. num. 480. & seq. ex Aug. P. 11. de Civit. D. cap. 20. quæ ad hoc devolvitur, quod, videlicet, per tenebras Scriptura S. Angelos malos, & superbie tenebris fœdatos, designavit, quorum peccatum licet à Deo esset ordinandum, minimè tantum approbandum. Confirmat subtilem suam, solidamque interpretationem ex opere quarti diei, ubi mater luce producta, & die nocteque naturali memorata, subjicit Scriptura horum omnium approbationem, dicens: Et vidit Deus, quod esset bonum. Quid ergo aliud in causa esse poterit, ut ibi simul cum luce & die nox etiam commendetur, hic autem tenebris & nox laudem Dei

non mereantur? Sane nihil aliud, quam quod per tenebras
& noctem hic peccatum, quod a Deo non est, insinuat, ibi
autem nox, quae sine peccato est, significatur. Quod enim a
Deo est, bonum est, & ab ipso approbat; vidit enim Deus
caracula, que fecerat, & erant valde bona. Cum ergo Deus non
sibi complacat in tenebris, divisione lucis ab ipsis, nocte-
que hic memoratis; manifestum est, quod hanc a Deo non
sunt, proindeque ibi peccatum insinuat, quod sine ipso fac-
tum est, ut dicit Aug. P. versans illud Joan. i. O sine ipso
factum est nihil.

56 Divisionem ergo lucis a tenebris intelligit sic
August. P. divisit lucem a tenebris, hoc est, separavit SS. An-
gelos a desertoribus. De quo vide Augustini P. dicta loco ci-
rato, & ipsum 11. de Civit. D. cap. 19. Sequuntur Aug. P.
Eucher. Beda, Rupertus, & Glossa. Aliam interpretationem
verbis Script. S. satis congruentem, & hucusque dictis ger-
manam proponit Aug. P. his verbis divisit lucem a tenebris, lib.
1. de Gen. ad lit. cap. 17. usque scilicet Moyses per talen divisionem significet distinctionem rei formatae ab informi: An
divisio quidem lucis (inquit) a tenebris distinctio est jam rei
formatae ab informi; appellatio vero diei, ac noctis, insinuatio
distributionis est, qua significetur nihil Deum inordinatum
relinquere?

§. V.

EXPOSITUR VERSICULUS QUINTUS.

57 **A**PPELLAVITQUE LUCEM DIEM, ET TENEBRAS NOC-
TEM: FACTUMQUE EST VESPERE, ET MANE
DIIS UNUS. Aug. P. vocavit, seu appellavit, expo-
nit pro eo, quod disposuit, ut congrue vocari
possit. Sic in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 6. dicens: For-
tasse ergo ipsa divisisse inter lucem, & tenebras, hoc est, vo-
casse lucem diem, & tenebras noctem; ut hoc sit ordinasse ista,
quod vocasse. In eadem sententia fuit V. Beda expositione in
Gen. ubi haec docet: Appellatio autem diei, & noctis, distinc-
tionis insinuatio est. Et post: Quod autem dicitur, vocavit
Deus lucem diem, & tenebras vocavit noctem, qua lingua vo-
cavit. Vocavit autem dictum est, quia vocari fecit; quia sic
dis-

disponxit omnia, ut discerni possent, & nomina accipere. Ratio hujus expositionis insinuata est art. 3. num. 188. Confirmat Ang. Præc. hanc expositionem 1. p. q. 69. art. 1. ad ultimum dicens: *Intelligitur autem ubique per hoc quod dicitur vocavit, id est, dedit naturam vel proprietatem, ut possit sic vocari.* Ergo oportuit, quod formato Angelo per illuminationem, ut adhæret Verbo, tunc nomen diei, qui est lucis effactus, acciperet; hoc est, disponeretur ipsa formatione, & distinctione, ut sic posset nominari. Et similiter Angelus malus superbiæ tumidus, & à luce veritatis aversus, disponetur, ut congruè noctis vocabulum subiret.

§8 Quid hic diei, & noctis, vespere, & mane nomine, sit intelligendum, dedimus ex Aug. P. & alijs PP. art. 5. ibi dicta sunt recolenda, ut fastidium inanis repetitionis vitemus. Dedimus item ibidem, cur potius hic dicitur, *factum est vespere, & mane dies unus, quam primus.* Pro quo via de dicta §. 4. num. 323. & seq.

S. VI.

VERSICULUS SEXTUS EXPOSITUR.

§9 **D**Ixit quoque Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, et dividat aquas ab aquis. Formata Angelica suprema creatura luce, hoc est, conversione ad suum creatorem, qua illuminatur, ut sit lux; pergit Moyses enarrare formationem creature corporalis; & quia inter corporales creature prima, & suprema sunt corpora cœlestia, propterea sicut prius omnium absolute formata est spiritualis creatura, quia prior absolute est condita, caterisque perfectior; ita prius etiam formantur in opere distinctionis corpora cœlestia, quorum formatio significatur nomine firmamenti. Prius tamen quam de hujusmodi formatione differamus, presupponendum est, cum pro opere hujus dici, cum aliorum, quod in omnibus ly dixit Deus, intelligendum est sicut versiculo tertio ex Aug. P. explicuimus, quod, scilicet, memoratur Verbum Dei, ut demonstretur nihil condi potuisse, quin prius fuerit in Verbo; ut docet Aug. P. 2. de Gen. ad lit. cap. 6. di-

dicens: *Ait eo ipso, quod scriptum est, fuit firmamentum, h[oc] ip[s]a dicitio Verbum est Patris Unigenitus Filius, in quo sunt omnia, que creantur, etiam antequam crecentur; Et quidquid in illo est, vita est; Et vita utique creatrix, sicut quidquid per eum factum est, in ipso vita est, Et vita utique creatrix; sub illo autem creaturæ.* Alter ergo in illo sunt ea, quæ per illum facta sunt, qui regit, Et continet ea: aliter autem in illo sunt ea, quæ ipse est. *Ips[ec] enim vita est, qua ita in illo est, n[on] ipse sit;* quoniam ipsa vita est lux hominum. Quia ergo n[on] ibil[er]e posset, sive ante tempora, quod quidem non est creatori coeterum, sive ab exordio temporum, sive in aliquo tempore, cuius creandi ratio, si tamen ratio rectè diciatur, non in Dei Verbo Patri æterno coeterni vita vivoret; propter Scripturam priusquam insinuet unsiquidamque creaturam ex ordine, quorū conditam dicit, respicit ad Dei Verbum, prius ponens Et dixit Deus, fiat illud. Non enim invenit ullam causam rei creandæ, quam in Verbo Dei non invenit creari debuisse. Non ergo Deus totiens dixit, fiat illa, vel illa creatura, quotiens in hoc libro repetitur, Et dicit Deus. Unum quippe Verbum ille geruit, in quo dicit omnia, priusquam facta sunt singula. Sed eloquium seribentis descendens ad parvulum capacitem, dum insinuat singillatim genera creaturarum, per singula respicit unius cuiusque generis æternam rationem in Verbo Dei. Nec illa repetita, ille tamen repetit, dicit Deus.

60 Recolenda est etiam differentia inter *creare*, &c. facere supra prænotata. Et etiam quæ de significato hujus nominis firmamentum diximus art. 3. concl. 2. à num. 164. Quo supposito Aug. P. per productionem firmamenti inteligit impressionem formarum corporum cœlestium in materia informi eorum, ut docet 2. de Gen. ad lit. cap. 10. ubi hanc disceptationem proponit de mobilitate cœlorum: *De motu*, inquit, etiam cœli nonnulli fratres questionem movent, utrum stet, an moveatur: quia si moveatur, (inquiunt) quomodo firmamentum est? Si autem stet, quomodo sydera, quæ in illo fixa creduntur, ab Oriente in Occidentem cincumeunt? Et resolvit hoc. Hoc sanè noverint, nec nomen firmamenti cogere, ut stare cœlum pertinet: firmamentum enim non propter stationem, sed propter firmitatem, aut propter intraterrificabilem terminum superiorum & iuse-

, r̄iorum aquarum vocatum intelligere licet. Ergo Aug. P. hoc loco per firmamentum astrigerum cœlum intelligit; alioquin enim illa dilectionis pars, quæ ex motu astrorum, aut syderum assumptum concludere nititur, ab Augustino negatur.

61 Clarius adhuc Augustinus P. hoc ipsum docuit in de Civit. Dei cap. 9. ubi probans, Angelorum mentionem non fuisse à Moysè secundo die factam, sic ait: *Nunquid nam secundus? Nec hoc quidem: tunc enim firmamentum factum est inter aquas superiores, & inferiores, cœlumque appellatum est: in quo firmamento facta sunt sydera quarto die.* Et hanc esse mentem Aug. P. expressè habet D. Thom. I. p. q. 69. art. 1. in corpore dicens: *Unde secundo loco tangitur formatio superiorum corporum, cum dicuntur, sicut firmamentum. Per quod intelligitur impressio formæ cœlestis in materiali informem, non prius existentem tempore, sed origine tantum.*

62 Hanc interpretationem procedere juxta exigentiam literæ convincit ipse contextus; quoniam firmamentum hujus diei Scriptura S. cœlum appellavit: licet autem cœlum multoties pro spatio etiam aeris usurpetur, tamen principaliiter hic pro astrigero debere accipi, Moysis contextus declarat; cum stellas in firmamento cœli collocatas quarto die, (utique in ipso, quod secundo de commemoraverat) asserit. Hoc autem admisso, congruens adest ratio, ut cœteri orbes cœlestes hac die intelligantur producti; quoniam ut arguebamus art. 5. diversi dies in Scriptura Gen. I. pro diversitate operum in formanda, aut ornanda aliqua parte Universi deputantur: cum ergo omnes orbes cœlestes in unam naturam conveniant, supremamque unam mundi corporalis partem constituant; consequens est, quod si cœlum astrigerum ad secundum diem expectat, etiam reliqui ad eundem pertineant.

63 Amplius confirmat Augustinianam expositionem ipsa Scripturarum S. harmonia, quæ ad indagandam aliquem ejus sensuum validissima est. David igitur psal. 18. sic cecinit: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Et Sapiens Eccles. 43. ait: *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus, species cœli in visione glo-*

rie. Si horum locorum contextum attente consideres, manifeste invenies, in illis Script. S. loqui de cœlis supernis, & sydereis; maximè in secundo loco, in quo cum solem laudat Sapientia, astra in firmamento esse contestatus est, dicens: *Vas astrorum in excelsis in firmamento cœli resplendens gloriæ, species cœli gloria stellarum.* Ergo ex coherentia Script. S. optimè colligitur intelligentia Aug. P.

64 IN MEDIO AQUARUM, ET DIVIDAT AQUAS AB AQUIS. Vastissimus est hic aquarum pelagus, & qui vix sine naufragio navigari potest, quoniam quæstio de aquis suprafirmamentum locatis, tot sententijs perplexa est, quæ ferentur PP. & DD. SS. qui eam tractaverunt. Cæterum, ut mei instituti ratio postulat, expositionem Augustinianam in medium afferam, eamque pro modulo enucleare curabo, libenter tamen ferens, ut alij PP. in suo laudabili sensu abundant. Sciendum igitur est, quod ut supra ex Aug. P. dictum est, aquarum nomine Moyses hic sepè informitatem materiæ usurpavit. Rursus præmonendum, quod Aug. P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 1. sequentem proponit difficultatem circa aquas, quæ sunt super firmamentum: *Utrum autem (inquit) nunc, cum dicatur fiat firmamentum, illud cœlum fiat, quod excedit aeris omnia, ejusque omnem altitudinem, ubi etiam stelle, luminariaque constituantur quarto die; an ipse aer vocetur firmamentum, queri meritò potest.* Multi enim afferunt, istarum aquarum naturam super syderum cœlum esse non posse, quod sic habent ordinatum pondus suum, ut vel super terram sustent, vel in aere terris proximo vaporaliter ferantur. Et prosequitur ibi S. Doct. adducens pro negativa sententia pondus, & naturam elementorum, vi cuius aqua supereminet terra, aer aquæ, & ignis acri: quapropter difficile, inquit, credi potest, quod aquæ super syderum cœlum consistant. Deinde commendat opinionem eorum, qui firmamenti nomine spatiū aeris intelligebant, eò quod propositam difficultatem optimè solvit, & posito documento statim credi potest. Post quæ omnia concludit, aquas ibi esse, vel in subtillissimos vapores confitas, vel glaciali soliditate constrictas, & concretas. Et agit cap. 5. Quoquomo lo autem, & qualemlibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minimè dubitemus: major est quippe Scripturæ būjus auctoritas, quam omnis humani ingenii

nisi capacitas. Præga aquæ est supra firmamentum faterur Aug.
P. auctoritate irretrahibili. Scripturæ motus; nec judicium
de qualitate eorum suspendat.

65 Enimvero non omnino indecisam reliquit Aug.
P. qualionem illam, sed ipsum conformiter ab eodem alibi
statuta, resolvit in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 8. dicens:
*Dixit Deus fiat firmamentum in medio aquæ, & fit dividens
inter aquam, & aquam Cœli: Utrum aquæ tales sint supra firma-
mentum, quales sub firmamento ista & visibles: an quia illam
aquam videntur significare, sapra quam Spiritus ferchatur, &
eam intelligebamus esse ipsum mundi materialem, (preme illud
intelligebamus, nè nobis objicias Augustinum P. hæc non ex
propria mente loquutum) hæc etiam hoc loco firmamento in-
terposito discreta credenda est, ut inferior sit materia corpo-
ralis, superior animalis? (hic etiam nota, quod Augustinus
P. vocat materiam animalem Angelum informem, sicut eum-
dem Magnus Greg. appellat rationale animal; neuter tamen
sensit Angelum propriè natura animalis constare.) Hoc enim
firmamentum dicit, quod Cœlum postea vocavit.*

66 Et lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 11. dicit:
Tamen quod diversæ sunt aquæ, ut aliæ essent super firmamen-
tum, & aliæ sub firmamento, quoniam materiam illam dice-
bamus nomine aque nominatam, credo sub firmamento cœli
materiam corporalem rerum visibilium, ab illa insiporali re-
rum invisibilium fuisse discretam. Cum enim cœlum sit corpus
pulcherrimum, omnis invisibilis creatura excedit etiam pulchri-
tudinem cœli: & ideo fortasse super cœlum esse dictuntur aquæ
invisibiles, que à paucis intelliguntur, non locorum sedibus,
sed dignitate nature superare cœlum; quamquam de hac re
nihil temerè affirmandum est: obscura est enim, & remota à
sensibus hominum. Sed quoquomodo se habeant, antequam in-
telligentur, credenda sunt. Hæc Augustinus P. quibus, ut di-
xi, conformiter ad positionem suam de eo quod aquarum no-
mine in exordio historiæ Moysis intelligenda est materia in-
formis; consequenter etiam aquarum superiorum nomine An-
gelos informes interpretatus est, inferiorum vero, materiam
primam corporaliam; & inter utramque, divisionem factam,
cum superioribus corporibus proprias formas, specieisque
impresit.

67 Verum hanc interpretationem ex eo rejiciendam quispiam putabit, quod secundum illam non verificatur, Moysen vocibus in populari significatione fuisse ussum, quod exigit historiarum series, & narratio. Ceterum jam in disputatione saepius ostensum est, Moysen in sua historia non fuisse ussum vocibus in vulgari, popularique significatione, nisi in eis, quae ad fidem creationis mundi, Authorisque ejusdem pertinent: in ceteris autem plurima disputationi hominem tradidit. Præterea, instantiam patitur haec objectio in sententia, quam tenet D. Thom. in 2. sent. dist. 14. q. 1. quod nimirum per aquas super firmamentum, intelligitur cœlum crystallinum, quod vocatur aqueum propter convenientiam cum veris aquis elementaribus in diaphaneitate. In hac enim expositione nonne Moyses ussus est nomine aque in vulgari, & propria significatione? Minime; quoniam fatetur S. Thomas loco citato, cœlum crystallinum dici aqueum, non quia naturam aquarum habeat, sed propter similitudinem in diaphaneitate cum veris aquis: ergo metaphorice, & per translationem duntaxat dicitur aquenum cœlum crystallinum: ergo non in populati significatione; quippe hoc cœlum vulgo est prolus ignoratum, & absconditum. Si ergo his Expositoribus licet, voces Moylis ad metaphoricas significationes deflectere; cur ex hoc capite rejiciendam autem expositionem Augustinianam, quod nimirum, haec nomina lux, dies, nox, vespere, & mane, & aquas, ad significationem vulgo, & populari intelligentiae ignorantiam, extendat; præcipue cum illes in propria, & non metaphorica significatione usurpet? Ergo hujusmodi aquarum acceptio non est cur ab his Auctoribus respuitur.

68 Illud denique circa hanc clausulam occurrit difficultatum, quod si firmamenti nomine cœlum astrigerum intelligatur, ut ex textu quarti diei satis aperte colligitur, & innuere videtur Augustinus P. 11. de Civit. D. cap. 9. quid tunc nomine aquarum super firmamentum sit intelligendum: an, scilicet, quod sint veræ aquæ, an metaphorice? Decisio hujus difficultatis maximè pendet ex principijs philosophicis. Et videtur, quod secundum dogmata Aristotelica non possint esse veræ aquæ super firmamentum, hoc est, super cœlum astrigerum; aquæ, inquam, elementales. Quoniam

Peripatetici autem, Cælum non esse de natura quatuor elementorum, sed quintum corpus elementaribus qualitatibus prorsus destitutum; proindeque non possunt esse super firmamentum veræ aquæ clementares de natura quatuor elementorum juxta Aristotelica principia. At secundum Platonicos, qui censem, Cœlos esse de natura quatuor elementorum, posset quam optimè sustineri, veras aquas elementares supra cœlum existere.

69 Veruntamen in proposita difficultate à philosophicis opinionibus recedendum censeo, & literæ, & sententiæ Moysis sedulò incumbendum, ipsiusque sinceram intelligentiam ex alijs Scripturæ S. locis, & antiquorum PP. oraculis eruendam. Illud igitur primò asserendum cum Augustino P. censeo, quod super firmamentum sunt veræ aquæ, quæleslibet, aut quoquomodo ibi sint. Sic sentit Augustinus P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 5. dicens: *Quoquomodo autem, O qualeslibet aquæ ibi sint, esse eas ibi minime dubitemus, major est quippè Scriptura hujus autoritas, quam omnis humanae ingenij capacitas.* Positionem hanc Augustinianam firmant varia Scripturarum S. testimonia, quæ sunt echo, & mirifica resonantia seriarum asseverationis Moysis de aquarum supra firmamentum existentia. Igitur Reg. Vates psal. 148. dicit: *Laudate eum cœli cœlorum, O aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Quæ verba clarissima videntur esse echo verborum istorum Moysis: *fiat firmamentum in medio aquarum O dividat aquas ab aquis O.* Ad propositum eleganter hoc expendit Ascanius in præsenti, dicens: *David siquidem accuratè cunctas creaturas ad repændendam Deo Opifici graziarum actionem de præclaro creationis munere excitat: duosque choros, seu classes rerum tum cœlestium, tum subcœlestium sejunctim evocat. In primisque cœlestia invitat, dicens: laudate Dominum de cœlis: atque in hac classe connectit Angelos, Virtutes, Solem, Lunam, Stellas, cœlos cœlorum, O aquas super cœlum confidentes. In altera vero subcœlestia nominatim compellat, cum ait: laudate dominam de terra O.* In hac autem complicat dracones, abyssos, ignes, O grandinem, nemorem, glaciem, spiritus procellarum, montes, colles, ligna, cedros, bestias, pecora, serpentes, volucres, Reges, populos, Principes, Judices, virgines, juvenes, senes. *Quis igitur Psal-*

Psalmographi nostri mirificum ordinem non admiretur? Quia non ex his aliquas esse supercelestes aquas, ab impressionibus in aere, atque ab habitibus longè diversas, intelligat? Ex tribus certè convincitur, Davidem hoc loco testificari, quod aquæ illæ super stelliferos orbes considerant: Primum, ex eo quod in classe celestium, non subcelstium eas locarit. Deinde, quia cum prius aquas, que super celos sunt, una cum celestibus rebus evocasset; postea cum subcelstibus, gradinem, glaciem, nivem, que impressiones sunt in sublimi facta, invitati diversa igitur omnino hac sunt, nempe supercelestes aquæ, aereaque impressiones. Quomodo enim hec in diversa classe, si id est sanxisset? Propheta intexuisset? Tandem quoniam clare atque d' lucide protulit, Laudate eum cœli cœlorum; O post subjecit: Et aquæ omnes, quæ super cœlos sunt. Porro cœli cœlorum nomine supremum cœlum capit; phrasen in Hebraica, que in aliquo generi praestantissima sunt, hujusmodi verborum congeminatio ne significantur; ut cum ajunt: Cantica Cantorum, præstantissima inter cantica intelligent, O Sancta Sanctorum, abditissima, ac sanctissima tater sancta. Quamobrem O Prophetæ borum verborum, nempe cœli cœlorum, conduplicatione, præstantissimos cœlorum, supremosque super astriferos dubio prosul accepit; O cum post hec statim subjecerit: O aquæ omnes, quæ super cœlo sunt, projectò per hos cœlos (ordine id exigente) non aereos infimos, sed astriferos, qui medijs sunt, intellexit.

70 Id ipsum contextatur Canticum trium puerorum, dicens: Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino. Ubi eadem reflexio ex Ascan. facta, iteranda est. Eadem resonantia nostri textus invenitur in psalmo 103. ubi David pluta magnificentia Dei monumenta ad extollendum Deum recensens, hæc habet: Confessionem, O decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento: extendens cœlum sicut pellem, qui tegis aquis superiora ejus. Ubi dum ait: extendens cœlum sicut pellem, cum de cœlo sydereo, vel superiori, minimè autem de aereo loquatur. Psalmista, consequenter aquas superiora hujus cœli regentes accipit, non aquas elementales, vel vaporabiles, sed quæ sine super cœlum astriferum.

71 Nee efficaciam hujus argumenti effugies, si per aquas, quæ sunt supra firmamentum accipere velis cœlum

crystallinum, aquarum nomine appellatum propter similitudinem cum aquis in diaphaneitate. Quoniam prædictum cœlum, non nisi metaphorice, aquarum nomine potest significari: in redibile autem apparet, quod prædictis locis Scriptura S. cunctas creaturas seriatim ad laudem Dei provocans, ceteras creaturas proprio nomine appeleret, cœlum autem crystallinum metaphorico vocabulo significet. Ne ergo hoc incommodum deglutiamus, asserendum est, aquas in illis locis proprio nomine significari; subindeque veras aquas supra astrigerum cœlum, seu firmamentum, existere. Denique pro hac tententia sunt præclarissimi Ecclesiarum PP. Basil. Ambros. Hilarius, Tert. Chrysost. Cyril. Hieron. Epiphanius. Eucher. Theodoret. Damasc. & alij, qui possunt videri in Ascan. ad hunc locum Moysis.

72 At sciscitaris, cujus naturæ sint illæ aquæ supercœlestes? Pro solutione iterum moneo, quod stando Philosophoruni opinionibus, si Peripateticum agas, profectò illæ aquæ super firmamentum non sunt elementares, sed impropriè dicendæ sunt aquæ, ut docet D. Thomas ex Dion. loco citato ex 2. sent. Si autem Platonis dogmata placeant, cum Ambrosio & alijs asserendum, esse elementales. Nobis autem, qui Augustino in omnibus consentimus, placeat ejus sententiam determinare, & philosophicas disputationes ad scholas remittere.

73 Dicendum igitur, quod aquæ illæ supercœlestes ad fidem potius pertinent, quam ad rationis indaginem. Asserum hoc suadet textus Moysis, qui ex resonantia cantus Davidici sufficienter ad intentum manet explicatus. Insuper docetur à præexcelso Augustino enarratione in psal. 103: *Qui protegis aquis superiora ejus.* Et hoc legimus, & ad literam bene intelligitur; quando enim iussit, ut fieret firmamentum inter aquas, & aquas, factum est, ut sint aquæ inferiores, que perfundunt terras, & sint aquæ superiores remote ab aspectibus, tamen fidei commendatae. & aquæ, inquit, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini; quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Ergo explicatus est sensus ad litteram: protegit enim in aquis superiora ejus. Hæc Augustini P. verba clarissima sunt pro conclusione; si enim aquæ supercœlestes remotæ sunt ab aspectibus nostris, fideique

que commendata, frustra rationes pro illarum investigatione conqueruntur. Et rursus infero: Ergo de his aquis, nec nostræ commendatis, ad literam exponitur textus Psalmus, quem ibi versat Augustinus, quinque echo est verborum Mosis, quæ hic explicamus: ergo ibi propriè, & non metaphorice sunt aquæ; quippe sensus literalis ex propriè significatis per voces desumitur: patet ergo ex Augustino P. utramque assertum nuper possum.

74 Sciendum est demum, quod licet naturam aquatum supercelestium determinate reformidem, tamen quia ne ipsius Aug. P. autus fuit assertive determinare; tamen etiam quia utriusque validissima pro quacunque contradictionis parte argumenta premunt: tamen illud quod ex pondere elementorum quidam apud Aug. P. 2. super Gen. ad lit. cap. 1. desigunt, nullius ponderis esse contra opinionem, aquas super astrigerum cœlum collocantem, etiò sicut elementales, optimè demonstrat Aug. P. 11. de Civit. D. cap. tertio, dicens: Sed bi, qui in nomine aquarum, que super cœlos sunt. Angelos intelligi volunt, ponderibus elementorum inventuri. O idèo non putant aquarum fluidam, gravemque naturam in superioribus mundi locis potuisse constitui: qui secundum rationes suas, si ipsi hominem facere possint, non ei pituitam, que in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet, in capite ponerent; ibi enim sedes est phlegmatis: secundum Dei opus, antiquè aptissimè: secundum istorum autem conjecturam tam absurdum, ut si hoc nos forent, O in hoc libro similiter scriptum esset, quod Deus humorem fluidum, O frigidum, ac per hoc gravem, in superiori omnibus ceteris corporis parte posuerit, tali trutinae elementorum nequam crederent. Et si auctoritati ejusdem Scriptura subditæ essent, aliquid aliud ex hoc intelligendum esse conseruent.

75 Ecce argumentum ex pondere elementorum desumptum, ad negandum aquas elementales supra firmamentum, ingeniosè, & eleganter ab Augustino P. solutum ex assimilazione inter utrumque mundum, Megacosmum, vide-licet, seu magnum, & Mycrocosmum; seu parvum. Si enim in Mycrocosmo, seu homine, in suprema ejus parte colloca-ent phlegma, seu pituita, qua in elementis corporis nostri aquarum vicem obtinet; & hinc non obstat, quominus pon-dere,

Aerosius sit hoc elementum alijs, quibus homo constat: cur in Magno Mundo idem obstat? Rursus, si Supremus Opifex, hominis optimo temperamento consulens, in medio corporis, in corde nempe, sedem caliditatis constituit, in supremo autem, videlicet capite, humiditatis domicilium collocavit; cur non ita philosophari licebit in Megacosmo, propter eamdem rationem, nimirum propter commodum Universi, secundum rationem causarum, quas Ambrosius, & alij assignant, scilicet, ad temperandum ardorem cœlorum, seu causa nobis ignata? Tandem experimento constat, quod aquæ, quæ suapte natura terræ eminent, illamque ambire undique postulant; propter commoditatem animalium terrestrium, hominumque terram habitantium, in unum locum sunt congregatae: ut docet D. Th. q. 4. de pot. art. 1. ad 4. Similiter ergo propter commodities Universi, Authori ipsius planè perspectas, nobisque prorsus ignotas, potuit Deus, immò fecisse credendum est, ut aquæ essent super cœlos. Credere ergo oportet veras aquas esse super firmamentum, & non curiosius causas hujusmodi collocationis aquarum disquirere.

§. VII.

VERSICULUS SEPTIMUS EXPONITUR.

ET FECIT DEUS FIRMAMENTUM, DIVISITQUE AQUAS, QUÆ ERANT SUB FIRMAMENTO AB HIS, QUÆ ERANT SUPER FIRMAMENTUM: ET FACTUM EST ITA. Hie notandum primò, quod illam trinam repetitionem fiat, fecit, & factum est ita, Aug. P. secundum aliam literam hoc ordine legit, ut primò dicatur fiat, deinde, factum est ita, & denum, & fecit Deus. Scendum est 2, quod I Augustinus P. illam trinam repetitionem sic intelligit, ut per fiat, accipiatur emanatio creaturarum in Verbo, intransitivè ad processum ipsius Verbi à Patre; per factum est ita, accipiatur productio earum in apprehensione angelica secundum esse intentionale, & species representativas ipsarum; & denique per fecit Deus, effluxus creaturarum ad extra, & in propria natura. Quod idem placitum potest verificari secundum seriem nostræ Vulgate, accipiendo

Id per fiat, esse rerum in Verbo; per fecit, esse in mente angelica; & per factum est, in propria natura: de quo latè egimus art. 5. ibi dicta vide. Cur autem de luce duntaxat bis Verbum facere repetatur, deditus ibidem, num. 461. & sequent. Et præter authoritates Augustini P. ibi positas, causam hujus rei declarantes, id ipsum docet Beda in Gen. dicens: *Cum autem addidit: & fecit Deus: cur in creatione lucis non dictum est, & fecit Deus? Quia primo die, quo facta est lux, conditio creature spiritualis intimatur: in qua natura intelliguntur sancti Angeli, & Virtutes. Et propterea non repetitur, quia non primò recognovit creatura spiritualis conformatiōnē suā, & deinde formata est; sed in ipsa sua conformatiōne cognovit: hoc est, in illustratione veritatis, ad quam conversa formata est. Ceteræ vero ita creantur, ut prius sicut in cognitione rationalis creature, ac deinde in genere suo: & ideo dicitur: factum est ita, hoc est, in cognitione spiritualis creature, ac deinde repetitur: & fecit Deus, hoc est, in genere suo.* Brevius idem habet Hugo Carensis in Postillis: *Vel in primo, Dei præscientia; in secundo, Angelorum notitia; in tertio productio ad esse. Non ita dictum est de luce, quia Angeli natura prius fuit in Dei præscientia; secundò in sui essentiā: unde tantum bis dictum est, fiat lux, & facta est lux. Clausula illa divisitque aquas, &c. easdem suscipit interpretationes, quas suprà exponendo ly in medio aquarum, memoravi; & nihil præterea occurrit addendum.*

§. VIII.

EXPOSITUR VERSUS OCTAVUS.


T 77 **E**T VOCAVIT DEUS FIRMAMENTUM COELUM, ET FACTUM EST VESPERE, ET MANE DIES SECUNDUS. Pro explicatione primæ clausulæ recolenda sive dicta ad versiculum quintum; quibus hic illud duntaxat addendum, quod cum multa firmamenti nomine intelligi posse differuerimus; ad determinandum quid hoc nomine in præsenti innescere voluisset Moses, addidit; *& vocavit Deus firmamentum celum*, ut scilicet distinguaret ab his, que firmamenta vocari possunt, &

cœli non sunt. Sic Augustinus P. in Imperfecto de Gen. cap. 9. dicens: *Et vocavit Deus firmamentum cœlum; quod de vocatione superioris dictum est*, (nempe cap. 6.) hic quoque considerari potest: non enim omnis firmamentum cœlum est. Ultima clausula conformiter ad dictu articulo 5. intelligenda est. Dubitari hic potest, cur dicatur: *factum est vespero, & mane dies secundus*, cum videatur dici debuisse: *O factio vespero & mane*, fuerant dico d'esi hanc enim numerandi modum exigebat Moysis narratio; quotiam in productione lucis dixerat: *factum est vespero & mane dies unus*, cui non secundus est annectendus, sed duo; quippe hic est naturalis processus in nominibus numeralibus primitivæ speciei, nempe unum, duo, tria &c. Sed difficultas hæc enodata manet art. 5. §. 4. num. 323. & deinceps.


78 Rogas præterea, cum approbatio operis non inseritur in opere secundi diei, neque fit mentio Spiritus S. Respondeo, quod certè Vulgata non habet in opere hujus diei illa verba, *vidit Deus, quod esset bonum*, in quo significatur approbatio operis, ut dictum est; habet tamen litera, quam legit, & in usu habet Aug. P. ut patet ex ipso lib. 2. de Genes. ad literam cap. 1. ubi ait: *Et diceit Deus, fiat firmamentum in medio aquarum, & sit dividens inter aquam, & aquam*: & sic factum est. Et fecit Deus firmamentum, & divisit Deus inter aquam, quæ erat infra firmamentum, & inter aquam, quæ erat supra firmamentum: *Et vocavit Deus firmamentum Cœlum*, & vidit Deus, quia bonum est, & factum est vespera, & factum est mane dies secundus. Ecce verba in Vulgata omissa, manifestè in litera, quam legit Augustinus, expressa; quæ sic explicat Augustinus P. ibi cap. 6. dicens: *Cum vero audimus, & vidit Deus quia bonum est: intelligimus in benignitate spiritus ejus, non quasi cognitum posteaquam factum est placuisse: sed potius in ea bonitate placuisse ut maneret factum, ubi placebat ut fieret*. Et cap. 8. hæc ipsa repetit: *Porro cum audimus, & vidit Deus, quia bonum est: intelligimus benignitatem Dei placuisse, quod factum est, ut pro modo sui generis maneret, quod placuit ut fieret, cum Spiritus Dei superferebatur super aquam*.

79 Si autem queras causam, cur in Vulgata omitatur approbatio operis secundi diei, triplicem invenies in

D. Thom. i. p. q. 74. art. 3. ad 3. ex Rabbi Moysè, quārum secunda, iuprā determinatis accommodatiōnē, sic habet: *Quia divisione, que ponitur secunda die, est de his, que non sunt manifesta populo. Ideo huiusmodi approbatione Scripturarum non utitur.* Accommodatiōnē, inquam, est hęc ratio doctrinā suprā traditę; quoniam opus divisionis aquarum, maximē quantum ad aquas superiores, remota est à sensibus nostris, & ad fidem pertinet. Cur denique approbatio in litera septuaginta Interpretum post omnia illius diei ponatur, ex doctrina ad versum 4. tradita colligendum est.



§. IX.



VERSICULUS NONUS EXPOSITUR.

DIUIT VERO DEUS, CONGREGENTUR AQUE, QUĘ SUB COELO SUNT, IN LOCUM UNUM, ET APPARAT ARIDA, ET FACTUM ETS ITA. Hic à Moysē clementorū formatio describitur secundūm Aug. P. Recto quidem ordine; quoniam secundūm ordinem sapientiæ, in qua Deus condidit omnia, post cœlorum formationem, qui inter partes principales Universi Iuprimum locum obtinuerunt; congruebat, ut elementorum formatio mox subjungeretur. Hoc opus unico die comprehendantur, licet elementa sint diversæ naturæ; quoniam, ut dixi art. 5. §. 5. à num. 403. dies non adscribuntur productiōni rerum, secundūm quod creatura ad invicem comparatæ distinguntur; sed penes hoc, quod in constituenda vel ornanda aliqua principali parte mundi convenientur. Mundus autem in tres partes principales dividitur: in supremam, quę ambit omnes hierarchias, & choros Angelorum; medium, quę omnes cœlestes orbēs complectitur; & infernām, quę ex quatuor elementis constat. Recte ergo Moyses, postquam formationem Angelorum primo die, & cœlorum in secundo, præmissit, ad formationem elementorum descendit, ut ex dictis in disput. conspicuum est, præsertim num. 48. Vide ibi verba Augustini P.

81 Congruum autem erit mentem M. Par, licet satis claram, amplius ex D. Thom. i. p. q. 69. art. 1. in corp.

corp. aperire: Dicendum, inquit, quid hic oportet aliter dicere secundum expositionem Augustini, & aliorum sanctorum. Augustinus enim in omnibus his operibus non ponit duracionis ordinem, sed solum originis, & nature. Dicit enim creatam naturam spiritualem informem, & natum corporalem absque omni forma: quam dicit primò significari nominis terra, & aquæ: non quia haec informitas formationem præcesserit tempore, sed origine tantum. Neque tunc formatio secundum eum præcessit aliam duratione, sed solum naturæ ordine. Secundum quem ordinem necesse fuit, ut primò poneretur formatio supernæ naturæ, scilicet spiritualis, per hoc quid legitur prima die lux facta. Sicut autem spiritualis natura præerit corporali, ita superiora corpora præminent inferioribus. Unde secundo loco tangitur formatio superiorum corporum, cum dicitur, fiat firmamentum; per quod intelligitur impressio forme cœlestis in materiam informem, non prius existentem tempore, sed origine tantum. Tertio vero loco ponitur impressio formarum elementarum in materiam informem, non tempore, sed origine præcedentem. Unde per hoc quid dicitur, congregentur aquæ, & appareat arida, intelligitur, quid materia corporali impressa est forma substantialis aquæ, per quam competit sibi talis motus: & forma substantialis terra, per quam competit sibi sic videri. Habemus ergo ex utroque Sancto D. quid per congregationem aquarum, & apparitionem aridae, intelligitur impressio formarum elementalium in materiam informem eorum.

82 Verum, si hoc ita est, cur, rogas, Script. S. non utitur verbo factio[n]is, quod formationem rerum significare, supra statuimus? Respondeo ex Aug. P. 2. de Gen. ad lit. cap. 11. quid propterçà dictum est: congregentur aquæ, & non siant, sicut dixerat, fiat firmamentum, quid imbecilliores sint forme elementorum, quam forme cœlorum. Verba Aug. sunt: Et quoniam per enumerationem dierum jam ex informi quæque formata numerantur, & ex ista corporali materia jam factum cœlum narraverat, cuius multum distat species i terrenis; jam quod ex ea formandum in rerum insima parte restabat, voluit sub his verbis in rerum creandarum ordinem inserere, ut diceretur, fiat: non acceptura ista residua informitate talem speciem, quallem acceperat cœlum, sed jam inferiorem, &

infirmorem, atque informitati proximam: ut his potius veris, cum dicitur, congregentur aquae, & apparent arida, accesserint h.eo duo species proprias istas notissimas, nobisque tractabiles, aqua, mobilis, terra immobilem: & ideo de illa dictum est, congregetur: de hac autem, apparent: aqua enim est labiliter fluxa, terra autem stabiliter fixa. Sequitur Augustinum Beda, lib. de 6. dier. creat. & quæst. in Gen. Gloss. Ord. Et explicant ipsum S. Thom. i. p. q. 69. art. 1. ad 1. & Alex. Halensis p. 2. q. 51. memb. 1.

83 IN LOCUM UNUM. Hoc est, in unam formam exponit August. P. in Imperf. de Gen. ad lit. cap. 10. Vis ipsa formæ commendatur nomine unitatis, hoc est enim verè formari, in unum aliquid redigi; quoniam summè unum est omnis formæ principium.

ET FACTUM EST ITA, hoc est, in mente angelicæ, explicat August. P. in Imperf. de Gen. cap. 10: Et sic factum est, inquit, etiam hoc fortasse in rationibus intellectuæ nature prius factum est, ut postea quod dicitur: & congregata est aqua in congregationem unam, & apparuit arida, non superfluo additum videatur, cum jam dictum esset: & sic factum est; sed ut post rationalem, & incorpoream operationem intelligeremus etiam corporalem sequutam. Hic nota, quod tertia repetitio in Vulgata omissa, manifeste ponitur in litera, quam sequitur Aug. P. ut patet in autoritate posita, illis verbis: & congregata est aqua in congregationem unam, & apparuit arida. Vide etiam dicta art. 5. in solut. arg. ex observatione Exim. Suar. contra reflexionem Aug. P. circa triplam repetitionem verbi facere, & præcipue num. 478.

g. X.
VERSICULUS DECIMUS EXPOSITUR. ***

84 **E**T VOCAVIT DEUS ARIDAM TERRAM, CONGREGATIONESQUE AQUARUM APPELLAVIT MARIA. ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM. Vocavit, id est, formavit, ut explicat Augustinus Paren in Imperfecto de Genesi ad literam capite 10: Ipsam autem distinctionem, inquit, atque formationem fuisse vocationem Dei, non absurdè intelligi potest. Et D. Thom.

1. p. q. 69. art. 1. in corpore: *Intelligitur autem, inquit, ubique per hoc, quid dictur, vocavit; id est, dedit naturam, vel proprietatem, ut possit sic vocari.* Vel rursus *vocavit* potest sic ex Aug. P. loco citato interpretari: *hoc est, nomina imposuit*, ut *equivocationem tolleret*; cùm non omne aridum, sic terra. Verba Aug. sunt: *Et vocavit Deus aridam, Terram; congregationem aquæ, Mare vocavit.* Adhuc nobis, cùm facit illa causa vocabulorum: non enim omnis aqua, mare: aut omne aridum, terra. Ergo quæ aqua esset, &c, quæ arida, vocabulis segregandum fuit. Ergo ut differentia inter significata hotum nominum *terra*, & *aqua*, tum in opere creationis, tum in opere hujus diei, designaretur, à Moysè hic additæ sunt prædictæ appellations. Differentiam autem significati in utroque loco explicat Aug. P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 11. dicens: *In principio creavit Deus cœlum, & terram: nihil aliud his verbis, quam materiæ corporalis informitatem insinuare voluisse, eligens eam usitatius appellare, quam obscurius.* Si tamen tardo intellexi non subrepat, ut materiam, & speciem, quia verbis Scriptura separat, conetur duo hæc etiam tempore separare, tamquam prius fuerit materia, & ei temporis intervallo interposito, postea sit addita species: cùm Deus hæc simul creaverit, materiamque formatam instituerit, cuius informitatem usitato, ut dixi, vocabulo, vel terræ, vel aquæ. Scriptura prædixit. Terra enim, & aqua etiam suis qualitatibus id existentia quæ videmus, tamen propter facilem corruptionem propinquiora sunt ejdem informitati, quam cœlestia corpora. Et quoniam per enumerationem dierum jam ex informi quæqua formata numerantur, & ex ista corporali materia jam factum cœlum narraverat, cuius multum distat species à terrenis; jam quod ex ea formandum in rerum infinita parte restabat, voluit sub his verbis in rerum creandarum ordinem inserere, ut diceretur, fiat: non acceptura ista residua informitate talem speciem, quem acceperat cœlum; sed jam inferiorem, & infirmiorem, atque informitati proximam: ut his potius verbis, cùm dicitur congregentur aquæ, & appareat arida, accepta hæc duo species proprias istas notissimas, nobisque tractabiles, aqua mobilem, terra immobilem: & ideo illa

, illa dictum est, congetetur: de hac, appareat: aqua enim
 „ labiliter fluxa, terra stabiliter fixa. Terra ergo, & aqua
 in principio posita, significant juxta Aug. P. materiam infor-
 mem; hic autem, species nobis notissimas elementorum.
 Vide etiam de hac vocatione dicta art. 3. ad 1. arg.
 contra 2. conclus. Illud, & vidit Deus &c. idem significat,
 ac in cæteris operibus.

S. XI.

EXPOSITUR VERSICULUS UNDECIMUS.

ET AIT: GERMINET TERRA HERBAM VIREN-
 TEM, ET FACIENTEM SEMEN, ET LIGNUM
 POMIFERUM FACIENS FRUCTUM IUSTA GE-
 NUS SUUM, CUIUS SEMEN IN SEMETIPSO
 SIT SUPER TERRAM. Et FACTUM EST ITA. Pauca hic oc-
 currunt addenda dictis art. 3. concl. 1. ibi enim ad longum
 discusa est litera hæc ad mentem Aug. P. Augustinus itaque
 censet plantas hac die fuisse in terra terminaliter, & casualiter
 productas: unde *germinet terra herbam virentem* &c. inter-
 pretatur, hoc est, *germinandi accipiat virtutem*. Fundamen-
 ta gravissima hujus expositionis dedimus loco citato: pro
 ampliori tamen hujus rei intelligentia aliqua sunt animadver-
 tenda. Sciendum igitur primò, quod plantarum productioni
 non adscribitur dies distinctus à productione elemento-
 rum, idcirco quod cum plantæ, terræ sint fixæ, non debne-
 runt ab ipsa separari origine, ut docet Aug. P. lib. 2. de Gen.
 ad lit. cap. 12. dicens: *Hic moderaten ordinatoris adverten-*
 „ dum est, ut quoniam distincta quedam creatura est herba-
 „ rom, atque lignorum, ab specie terrarum, & aquarum, ut
 „ in elementis numerari non possit, seorsum de illis dicere-
 „ tur, ut exirent, & seorsum illis redderentur illa solita, ut
 „ diceretur: & factum est sic, ac deinde repeteretur, quod
 „ factum est: seorsum quoque indicaretur, Deum vidisse,
 „ quia bonum est: tamen quia fixa radicibus, continuantur
 „ terris, & connectuntur, ista quoque ad eundem diem
 pertinere voluerit. Et in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 11.
 „ hæc habet ad propositū: *Hæc autem omnia ita supra terram*
sunt,

, sunt , ut ipsi terræ radicibus cohærent , & ei continuens
 , tur , & rursum quodammodo separentur : propterea hujus
 , naturæ significationem in ista narratione servatam arbitri-
 , tror , quia , & eodem die facta sunt , quo terra apparuit;
 , & tamen iterum dixit Deus , ut terra germinaret : & iterum
 , dictum est : *& sic factum est.* In his Augustinus P. duo docet , scilicet , cur plantarum seorsim à terra productio memo-
 retur ; quia nimirum , licet terræ fixæ sint , nihilominus ab
 elemento terræ distinguuntur : & cur eodem die cum terra
 producantur ; quia nempe terra radicibus inhærent.

85 Sciendum est secundò , quòd terræ tertio die in-
 ditæ sunt virtutes seminales plantarum , non solum earum , quæ
 fructiferæ , & proficuae sunt homini , verum etiam earum , quæ
 noxia sunt , & inutiles ; quæ , si homo non peccasset , innocuae
 essent. Sic Aug. P. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 18. dicens:
 „ *Et de spinis quidem , & tribulis absoluta potest esse respon-*
 „ *sio , quia post peccatum dictum est homini de terra: spinas ,*
 „ *& tribulos pariet tibi. Nec tamen facile dicendum est ,*
 „ *tunc cœpisse ista oriri ex terra , fortassis enim quoniam in*
 „ *ipsis quoque generibus seminum multæ reperiuntur utili-*
 „ *tates , poterant habere locum suum sine illa pena hominis.*
 „ *Sed ut in agris , in quibus jam penaliter laborabat , etiam*
 „ *ista nascerentur , hoc ad cumulum penæ valere credi potest ,*
 „ *cum possent alibi nasci , vel ad avium pecorumque pastus ,*
 „ *vel ad ipsorum hominum aliquos usus. Quamquam & ille*
 „ *sensus abhorret ab his verbis , quo ita intelligitur dictum:*
 „ *spinias , & tribulos pariet tibi: ut hæc etiam anteà terra*
 „ *pariens , non tamen homini pareret ad laborem , sed cuius-*
 „ *que modi animalibus convenientem cibum ; sunt enim*
 „ *quæ his generibus , & mollioribus , & aridioribus commo-*
 „ *dè suaviterque vescantur. Tunc autem cœperit ista homi-*
 „ *ni parere ad ærumnosum negotium , cum post peccatum*
 „ *cœpit in terra laborare ; non quòd alijs locis hæc anteà na-*
 „ *cerentur , & post in agris , quos homo ad capiendas fruges*
 „ *coleret ; sed ut prius , & posteà in eisdem locis : prius ta-*
 „ *men non homini , post autem homini , ut hoc significetur ,*
 „ *quod additum est , tibi ; quia non est dictum: spinas , &*
 „ *tribulos pariet , sed pariet tibi : id est , ut tibi jam ista na-*
 „ *ci incipiunt ad laborem , quæ ad pastura tantummodo alijs*
ani-

, animalibus anteà nascabantur. Idem docet D. Thom. 1.p.
 , q. 69.art. 2.ad 2.Dicendum, inquit, quòd ante etiam il-
 , lam maledictionem, spinæ, & tribuli producti erant, vel
 , virtute, vel actu: sed non erant producti homini in pœ-
 , nam, ut scilicet terra, quam propter cibum coleret, infruc-
 , tuosa quædam, & noxia germinaret. Unde dictum est sig-
 , nanter: *germinavit tibi.*

87 Nec omnino infructuosæ dicenda sunt plantæ, quæ hominī non prosunt ad cibum, cùm plura afferant com-
 moda ipsi, ut docet Aug. P. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 18.
 , dicens: *Talis etiam questio de spinis, & tribulis solet obo-*
 , *riri, & de quibusdam lignis infructuosis, vel cur, vel quanti-*
 , *do creata sunt, cùm Deus dixerit: producat terra herbam*
 , *pabuli seminantem semen, & lignum fructiferum faciens*
 , *fructum. Sed qui ita moventur, non intelligunt saltem de*
 , *usitatis formalis humani juris, quemadmodum appelletur*
 , *ususfructus. Utilitas enim quædam fruentium in fructus*
 , *nomine consideratur. Quantæ autem sunt utilitates, sive*
 , *manifestæ, sive occultæ omnium, quæ terra gignens radi-*
 , *citus alit, & ipsi quædam intueantur, & ab expertis cetera*
inquirant. Experimur autem quasdam plantas, alioqui ho-
mini ad cibum noxias, ipsi ad alios usus esse proficias; puta
ad vinciendum, pro imprimendis figuris, ad præstandam
umbram, ad jumentorum pabulum, ad medicamenta huma-
na, ad pabulum ignis, ad exornandam terram, ad extruen-
das naves, & ad plures alios usus, ut evim suprà art. 3. num.
 196. ex Aug. Torniello diximus, omnia ad commoditatem
 hominis divina mirabili dispensatione sunt ordinata, sive
 magna, sive parva.

88 JUXTA GENUS SUUM, id est, juxta naturam suam specificam, ad eam propagandam. Sic explicat Aug. P. in Imperfecto de Gen. ad lit. cap. 11. dicens: *Ut germinet terra herbam pabuli ferentem semen secundum genus suum, & similitudinem, & lignum fructiferum faciens fructum cuius semen sit in se secundum suam similitudinem. Quod de luce illa, & firmamento, & aquis, & arida, dictum non est: non enim habet lux successionis propaginem, aut cœlum de alio cœlo nascitur, aut terra, aut mare alia maria, & alias terras gig-
 nunt, quæ succedant. Hic ergo dicendum fuit, ferentem semen*

secundum genus suum, & similitudinem, & cuius semen sit in se secundum suam similitudinem, ubi similitudo nascentium praeter euntis similitudinem servat. Unde constat etiam cur producta luce, cælis, & elementis, non sit additum *juxta* genus suum; quia nimis hæc omnia sibi similia non gignunt, ut eorum natura perpetuo conservetur; quia secundum suam naturam hæc omnia incorruptibilia sunt. E contrario autem plantæ, quia corruptibles sunt, sibi similia, ut conserventur, gignunt. Et factum est ita, jam sepè explicatum est, quid significet.

§. XII.

VERSICULUS DUODECIMUS EXPONITUR.

ET PROTULIT TERRA HERBAM VIRENTEM, ET FACIENTEM SEMEN IUXTA GENUS SUUM, LIGNUMQUE FACIENS FRUCTUM, ET HABENS UNUMQUODQUE SEMENTEM SECUNDUM SPECIEM SUAM. ET VIDIT DEUS, QVOD ESSET BONUM. In hac tertia repetitione, ut articulo quinto ostendimus, intelligenda est productio plantarum, & earum esse extra Verbum, & mentem Angelicam; non tamen secundum esse actuale in propria natura, sed secundum rationem seminalem, ut diximus art. 3. à num. 48. & deinceps. Fundat præcipue Aug. P. suam interpretationem in textu Gen. 2. ubi Moyses recapitulando opus sex dierum dicit, in illis fuisse productas plantas, antequam orirentur in terra: ergo & plantæ in opere sex dierum fuerunt productæ, & pro rata nondum erant in terra ortæ: ergo tantumdem fuerunt in sui præseminata ratione; neque enim aliter potuerunt produci, antequam exorirentur in terra. Clausula illa, & vidit Deus, quod esset bonum approbationem operis jam facti significat.



§. XIII.

S. XIII.

VERSICULUS DECIMUSTERTIUS EXPLICATUR.

ET FACTUM EST VESPERE, ET MANE DIES TER-
TIUS. Versiculus iste intelligendus est, sicut quin-
tus. Hic agitari solet celebris illa, & pulchra
quaestio, nimirum, quo tempore anni mundus
fuerit conditus? occasione desumpta ex textu hujus diei, quo
dicitur plantas cum semine ad sui similis productionem suis-
se-conditas: ex quo inferri videtur, quod cum in plurimis
plantis semen ad similium generationem in fructu resideat,
cum illo fuerint plantæ primitus productæ. Hinc insuper qui-
dam inferunt, quod quia naturali ordine plantæ tempore au-
tumnali fructibus venustantur, consequenter in æquinoctio
autumnali mundus fuerit conditus; quoniam Deus in mundi
emolitione se gerebat ut Auctor naturalis, rerumque naturis
se accommodans. E contrâ alij gravissimis fundamentis duc-
ti, afferunt, quod in æquinoctio vernali. Hanc disputationem
pro dignitate tractare alienum à meo instituto censeo, p-
siftim cum fundamento pro prima sententia assignatum
non procedat juxta Augustini P. dogmata, qui censuit, plan-
tas non cum fructibus in opere sex dierum fuisse productas,
immò nec in se ipsis actu de terra ortas, sed duntaxat in fe-
minali ratione causaliter; & post in rerum administratione,
& gubernatione, actualiter, & formaliter. Quid tamen Au-
gustinus P. in hoc punto sensisse videatur, breviter ex co-
dem proponam.

Itaque Aug. P. in ea fuit sententia, quod mun-
dus in æquinoctio vernali fuit productus. Sic in eq. ex novo
testamento q. 55. ubi inquirens: Cur Christus Dominus per-
mitteret, se crucifixi octavo Kalendas Aprilis, quo tempore
pascha acturi erant Iudei? Respondet, quod omnia propriis
locis, & temporibus egit Salvator. Ut enim omnia se voluntas-
te Patris rectè condidisse doceret, tunc voluit passione sus
mundum redimere, & reformare, quando eum & creaverat,
id est, in æquinoctio, unde mundus initium cepit, & dies su-
per noctem increscere. Sed æquinoctium, ex quo dies incipiunt

crescere, est æquinoctium vernale: ergo juxta Augustinum P. mundus in æquinoctio vernali fuit conditus, in quo & à Christo Domino fuit redemptus.

92 In eadem sententia fuit S. Ambrosius lib. 1. Exam. cap. 4. ubi primam congruentiam nostri asserti sic proponit: *In hoc ergo principio mensum cœlum & terram fecit, quod inde mundi capi opportebat exordium, ubi erat opportuna omnibus verna tempesties.* Ergo in mense, quo incipit verna tempesties, scilicet Martio, mundus exordium habuit. Secundam rationem reddit S. Doct. dicens: *Unde & annus mundi imaginem nascientis expressit, ut post hibernas glacies, atque hiemales caligines, serenior solito vernali temporis splendor eluceat.* Dedit ergo formam futuris annorum curriculis mundi primus exortus, ut ea lege annorum vices surgerent, atque initio cujusque anni produceret terra nova seminum germina, quo primum Dominus Deus dixerat: germinet terra. Ergo eo tempore fuit mundus conditus, quo terra nova seminum germina ex sece emitit; sed hoc est tempus vernalis: ergo. Tertia ratio S. Doct. est: *Nam et si quocumque tempore, inquit, & Deo jubere promptum fuit, & terræ obediens naturæ, ut inter hibernas glacies, & hiemales pruinias, cœlestis imperij fotu germinans terra foetum produceret; non erat tamen dispositionis aeternæ, rigido stricta gelu in virides subito fructus laxare arva, atque horrentibus pruinis florulenta misceri.* Ergo ut ostenderet Scriptura veris tempora in constitutione mundi, ait: *Mensis hic (intellige Martium) vobis initium mensum, primus est vobis in mensibus anni.* Exod. 12. *primum mensum vernum tempus appellans.* Decebat enim principium anni principium esse generationis, & ipsam generationem molitoribus auris foveri: neque enim possent tenera rerum exordia, aut asperioris labore tolerare frigoris, aut torrentis aestus injuriam sustinere. Pulcherrimis his rationibus adjungit illam, quam ex Aug. P. supra dedimus, in qua convenienter alii SS. PP. docentes, quod eodem tempore Christus Dominus fuit conceptus, atque pro nobis Crucifixus, quo mundus est conditus.

93 Altera quæstio solet hic exagitari: Cur videlicet Moyses, elementorum genesis recensens, aeris, & ignis non meminerit? Caterum hac difficultas compunvis est, & æquè

facessit negotium pro quacumque expositione; quapropter
in omnium sententia solvi potest ex D. Thom. i. p. q. 74.
art. i. ad 2. ubi dicendum, inquit, quod ignis, & aer, quia
non distinguuntur a vulgo, inter partes mundi non sunt ex-
pressè nominata a Moyse; sed computantur cum medio, scilicet
aqua, maximè quantum ad inferiorem aeris partem. Quantum
vero ad superiorem computantur cum cœlo, ut Augustinus di-
cit.

§. XIV.

VERSICULUS DECIMUSQUARTUS EXPOSITUR.

94 **D**Ixit autem deus: fiant luminaria in
firmamento coeli, et dividant diem,
ac noctem, et sint in signa, et tem-
pora, et dies, et annos. Postquam Moy-
ses ante omnem diem cœlum & terram a Deo profilijsse di-
xerat; id est, creaturam spiritualem informem, & materiam
primam omnium corporalium, ut exponit Augustinus P.
Postquam tribus primis diebus partium principalium Uni-
versi, nimirum Angelorum, cœlorum, atque elementorum
formationem declaraverat; recto tramite procedit ad enar-
randam mundi hujus venustationem, & ornatum. Mundi,
inquam, visibilis, & corporalis; nam Angelus lucis formatione
jam plenè prima die fuerat perfectus, modo art. 5. §. 5. & 6. sus-
se explicato. Hujusmodi autem visibilis mundi decoratio in
tribus ejus partibus facta memoratur in Scriptura Sacra: in
suprema, videlicet cœlo; in media, nempe aere, & aqua; &
infima, scilicet terra. Unde ordine, quem servant inter se
prædictæ Universi partes principales, cuilibet earum ads-
cribitur pro suo ornatu una dies: prima supremæ; secunda,
media: tertia denique, infimæ. Quæ præmisso, & omissa ex-
plicatione primorum verborum versiculi, nè acta agamus;
antequam opus hujus diei exponamus, oportet, ut illam quæ-
tionem, quam Moysis narrationis ordo statim offert, exagi-
temus. Cur nimirum Sacer Historicus post plantas tertio die
productas, quarto die Solem, Lunam, & Stellas fuisse condi-
tas memoret; cum potius è converso rectior appareat series,
ob præstantiam luminarium relate ad plantas; & quia cœli

b*e*

beneficis luminarium præstant erga mixta suum influxum.
Diversi diversas assignarunt hujus ordinis causas. Philo in
de mundi Opificio dixit, hoc ita à Deo fuisse provisum , ne
Solem plantarum Autorem mortales crederent, & colerent.
In eadē sententia fuerunt Basil. Mag. hom. 4. Exam. lib. 4.
cap. 1. Chrysost. homil. 6. in Gen. & alij.

95 Idem Philo loco citato , quaternarij numeri ex-
cellentiā attendens, dixit, quarto die res præstantes condi-
decuisse. Athanasius qq. in Gen. q. 85. hanc rationem reddie-
dit: Ut lucem tridui primi coruscantissimam ante animam-
tum procreationem Deus temperaret. Procopius comment.
in Gen. cap. 1. causam assignavit , ut , videlicet , præparato
homini convivio lucernæ accenderentur. Petrus Comestor in
Scholastica historia cap. 6. dixit: Ornatur prius cœlum, quām
terra; quia luminaria ad specimen spectant , quoniam mota
prædicta ; non germina, quia fixa. Sequuti sunt hanc sen-
tiam Albertus Magn. Lyranus , & Tostatus. S. Thomas ad
mentem aliorum PP. 1. p. q. 70. art. 1. dixit, propterea cœ-
lum primò ornari, quia primò fuit creatum , & primò etiam
distinctum ; plantas enim non reputat ad ornatum pertinere;
quia terræ sunt radicibus affixa , & in ea motum localem non
habent: unde potius ad complementum distinctionis terræ
pertinent.

96 Augustinus P. quem sequuntur Beda , Junilius,
Magister , Glossa Ordinaria , & Interlinearis , egregiam hanc
causam reddidit lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 13. quia, scilicet,
in exornando mundo , juxta ordinem discretionis ejus, su-
perior pars erat prius venustanda. Plantæ autem, cùm sint ra-
dicitus terræ infixæ , & motum localem non habeant , propte-
reà non computantur inter ornamenta mundi , sed potius ad
complementum terræ expectant. Et etiam ut luminaribus il-
lustraretur terra, fieretque habitatoribus ejus commoda: Ver-
ba Augustini sunt: *An potius quoniam primū facta intel-
ligitur hinc nomine spiritualis creaturæ formatio , conse-
quens erat, ut corporalis quoque creatura , id est, mundus
iste visibilis fieret: qui factus est biduo propter duas partes
suas maximas, quibus constat universus mundus , cœlum
scilicet & terram ; secundū hanc rationis collationem,*
qua & ipsa universa creatura spiritualis , & corporalis sœpè

„ cœlum & terra nominatur: ita ut globus quoque iste tur
 „ bulentioris aëris terrenæ parti deputetur: exhalationibus
 „ quippè humidis corporascit; si quid verò tranquilli aëris
 „ est, ubi ventosi, atque procellosi motus non possunt exist-
 „ tere, ad cœlestem partem pertineat. Post hanc Universita-
 „ tem molis corporeæ fabricatam, quæ uno loco tota est,
 „ quo locatus est mundus, consequens erat, ut impleretur
 „ partibus intra Universum, quæ de loco in locum congruis
 „ motibus agerentur: cuius generis herbae, atque arbores
 „ non sunt; radicibus quippè ista fixa sunt terræ; & quam-
 „ vis habeant motus incrementorum suorum, de locis tamē
 „ proprijs non moventur nisibus suis; sed ubi fixa sunt, illic
 „ aluntur, & crescunt: propterea magis pertinent ad terram,
 „ quam ad genera rerum, quæ in aquis, & terris moventur.
 „ Quia ergo visibili mundo constitendo, hoc est, cœlo &
 „ terra, duo sunt attributi dies; restat ut his mobilibus, &
 „ visibilibus partibus, quæ creantur intra illum, tres dies re-
 „ liqui deputentur. Et quia sicut prius cœlum factum est, ita
 „ prius est ornandum hujusmodi partibus suis; quarto die
 „ fiunt sydera, quibus super terram lacentibus, habitatio
 „ quoque illustretur inferior, ne habitatores ejus in habita-
 „ tionem tenebrosam inducantur; & ideo quia infirma cot-
 „ pora inferiorum habitatorum, succedente motibus quiete
 „ reparantur, factum est, ut circumiente Sole, diei noctisque
 „ vicissitudine, propter vicissitudinem dormiendi & vigi-
 „ landi potirentur: nox verò illa non indecora remaneret, sed
 „ lunæ ac syderum luce, & ipsos consolaretur homines, qui-
 „ bus plerumque operandi etiam est nocturna necessitas, &
 „ quibusdam animalibus, quæ lucem Solis ferre non possunt,
 „ ad sufficientiam temperaretur. Hæc S. P. quæ nondiscrepan-
 „ tæ congruentijs quorumdam ex supra memoratis, quæ elegan-
 „ ter explicant ordinem productionis rerum, causamque con-
 „ ditionis plantarum præviè ad luminarium creationem.

97 Præmissa ergo causa, cur quarto die laminaria
 post plantarum productionem sint creata; restat ut literam ex
 Ang. exponamus. Luminarium ergo productionem non ac-
 cipit Ang. P. quarto die secundum præseminatam rationem
 ipsorum, sicut sentit de plantis in opere tertij diei; neque
 enim cœli habent semipalem rationem luminarium, sicut

terra plantarum , ut ex ipso art. 3. dictum est. Et rursus non adest in contextu literæ exigentia, ut idem asseramus de lumenariis , ac de plantis , ut ex ibidem dictis manifestum est. Actu ergo intelligenda sunt astra omnia quarto die secundum visibiles species producta ; quandoquidem pertinent ad veram creationem , & qui vivit in æternum creavit omnia simul . Et quidem quoad substantiam , & primitivam emanationem à Deo fuerunt luminaria quarto die producta , & non quoad aliquam novam dispositionem eorum , ut art. 3. conclus. 2. ostensum est , & manifestè docet Augustinus P. locis ibi , & art. 4. & 5. citatis.

98 Sequuntur hanc Aug. P. sententiam Eucher. comment. in Gen. cap. 5. Beda lib. de sex dierum creatione , & expositione in Gen. Rupertus comment. in Gen. lib. 1. cap. 42. Explicavit D. Thom. eamdem 1. p.q.70.art.1. Denique sententia hæc inter PP. antiquos communissima fuit, licet de modo productionis disidium inter ipsos fuerit ; adeò ut sententiæ illæ , sive quod hic repetitur Solis creatio, primo die effecta ; & absolvuntur Luna , & stellæ prima die incoatae , ut dixit Stheuchus in Cosmopeia ; sive quod alrorum corpora receperunt lucis plenitudinem , motum retrogradum , & virtutem ad diversos effectus mirificos , ut dixit Dionysius Chartusianus enarratione in Gen. à 12. & Pererius comment. in Gen. lib. 1. Sive quod Solis creatio hac die rememoratur , & Luna sydera que de novo producuntur , ut sentit Catherinus in 1. cap. Gen. sive quod hac die Sol, Luna, & astra exactam suscepereunt condensationem , & lucem , ut docuit Ægidius 2. part. Exam. cap. 31. Sive quod Sol, Luna , & astra acceperunt determinatam virtutem ad particulares effectus , ut docuit ex Dionysio, S. Thomas 1. p.q.70.art.1. ad 2. aut denique quod Sol adeptus fuit quarta die virtutem ad influendum , astra vero , & Luna primum suum esse , ut dixit Bielmius : Sententiæ , inquam , istæ omnes , ut inquit Ascanius ad hunc locum , trecentis ab hinc ferè annis enatæ sunt , quæ ducem sibi Peripateticam Philosophiam, cœlos ex quinta essentia congestos adstruentem , prælegerunt , & haud mediocriter dissident à Moysis litera. Restat ergo , ut Augustini P. positio , asserens , quod hac quarta die luminaria primitus sint producta , & quod lux primo die memorata omnino fuerit

rit alterius naturæ, quam lumen Solis, ceterorumque luminarium, firmior sit, ac Scriptura S. accommodatior; quippe vidimus art. 4. & 5. quam peregrinas sententias elegerat diversi Authores, ut Augustini argumentum ex textu quarti diei desumptum, ad probandum suum de luce primi diei assertum, effugerent.

99 IN FIRMAMENTO COELI. Hoc est, in tota cœlesti machina, exponit Augustinus P. in Imperf. de Gen. ad lit. cap. 12. dicens: *Fiant in firmamento cœli luminaria, ut luceant: utrum de fixis tantum dictum est syderibus, an etiam de vagis?* Sed duo luminaria, majus, & minus, inter vagas sydera numerantur. Quomodo ergo facta sunt omnia, cum singulos suos vel globos, vel circulos vagas singula que quo possideant? An quoniam in Scripturis, & cœlos multos legimus, & cœlum, sicut in hoc loco, cum dicitur firmamentum cœlum, intelligendum est, omnem istam etheream machinam dici, qua omnia substantia continet, sub qua pari, & tranquilli aeris serenitas viget, sub qua item iste aer turbulentus, & procellosus agitatur. Idem docuit Alexander Alensis, 2. p. summa Theolog. q. 52. memb. 1. ubi dicendum, inquit, quod firmamentum hic accipitur prototo corpore, in quo sunt stelle fixe, & quæ dicuntur erraticæ: unde continet hic septem spheras secundum Philosophos, scilicet cœlum stellatum, & cœlos, in quibus sunt septem planetæ.

100 ET DIVIDANT DIEM, ET NOCTEM. Postquam Moyses productionem luminarium, sedemque, vel subiectum ipsorum declaraverat, subdit, & manifestat munera eorum, vel propter quid facta sint. Et licet creatura aliqua corporal's, ut inquit S. Thom. 1. par. q. 70. art. 2. possit dici esse facta, vel propter actum proprium, vel propter aliam creaturam, vel propter totum Universum, vel propter gloriam Dei; tamen Moyses, ut populum ab idolatria revocaret, illam solam causam tetigit, secundum quod sunt facta ad utilitatem hominum. Unde dicitur Deuter. 4. Nè forte elevatis oculis ad cœlum videis Solem, & Lunam, & omnia astra cœlis, & errore deceptus, adores ea, & colas, que creavit Dominus Deus in ministerium cunctis gentibus. Primum ergo munus, illudque generalissimum, quod hac quarta die luminaribus contulit summas Opifex in utilitatem hominis, fuit dividere

inter diem & noctem, ut partes sunt diei naturalis. Sic docet Augustinus P. in Imperfct. de Gen. ad lit. cap. 12: Ut lucerant super terram, & dividant inter diem, & noctem. Nonne jam Deus diviserait inter lucem, & tenebras, & vocaverat lucem diem, & tenebras vocaverat noctem? Ex quo apparet eum inter diem & noctem divisiisse. Quid sibi nunc vult, quod dicitur de luminaribus: & dividant inter diem, & noctem? An ita nunc sit ista divisio per luminaria, ut hominibus nota sit etiam carnibus oculis ad rerum istarum contemplationem utentibus? Ita vero Deus eam fecit ante circumitum lumina- rium, ut videri nisi a paucis fano spiritu, & serena ratione non posset? Sequitur Augustinum Rupertus comment. in Gen. lib. 1. cap. 44.

101 Vel ista divisio inter diem & noctem vicissitu- dinem temporum significat quarta die, contrapositivè ad divisionem primo die factam, quæ inter formationem, & infor- mitatem rerum, & earum speciem, & formationem facta fuit, ut docet ibi August. P. dicens: *An inter alium diem, & aliam noctem divisit Deus, id est, inter speciem, quam imprimebat illi informitati, & informitatem, que aibus for- mandae restabat?* Alius vero est iste dies, & alia nox, quorum volvente celo vicissitudo animadvertisitur, quæ fieri non pos- set, nisi Solis ortu, & occasa. Vel divisit inter rerum species, & privationes, prima die; nunc autem inter micantem diem, & obscuram noctem, ut docet Augustinus P. loco ci- tato, & 2. de Gen. ad lit. cap. 14.

102 Verum, inquit Ascanius, hæc apprimè dicta sunt ab Augustino, & a seclis, qui primordiali die non mi- cantem hanc lucem corpoream, sed Angelum, spiritualem naturam, lucis nomine significari existimabant. Quæ qui- dem, etsi ingenij praestantiam, acumenque, & eruditionem indicant; tamen non tantum longè abscedunt à litera sensu, sed & ipsum evertunt, atque dum tres priscos dies alterius generis à diebus subsequotis adstruunt, Moysem, haud rec- te, seu eleganter historici munus obire demonstrant; cum ip- sum eadē serie charrationis, ijsdemque vocibus diei & noctis, vespere & mane eadē methodo prolati, tam diver- fa, & repugnantia, quinamq; captu difficultia, & imperspec- ta nobis explicare afferunt. Deinde & metaphora illæ, diei

nomen ad statum Angelorum , seu rerum species , & noctis ad Demones , & rerum informitatem referentes , impropriæ , & inelegantes omnibus apparent.

103 Respondeo , quod Augustinus P. minimè abscedit à litteræ sensu , cùm illam modo dicto explicat ; quinimò maximè se accommodat intenti oni Moysis , ipsius contextui , & consonantia Scripturæ S. in alijs locis , ut art. 4. & 5. sèpè similis ostensum est . Neque alterius generis fuisse tres dies ultimos à primis tribus diebus Augustinus afferit , sed potius omnes sex , vel septem creationis dies , ejusdem rationis statuit , ut art. 5. in formatione dierum ex ipso statuimus , & etiam art. 4. num. 241. observavimas . Quippe aliud est , quod à principio , Sole simul cum ceteris operibus creationis producto , dies naturales illicet incepint ; aliud longè diversum , quod dies à Moysi Gen. 1. enumerati , fuerint naturales , etiam illi , quos Sole condito recensuit . Primum est verum ; at secundum non est necessariò admittendam . Unde voces illas dico & noctis , vespere & mane , eadem methodo prolatas , diversa & repugnantia significare Augustinus non docuit . Nec denique metaphoræ illa invenitur in eo , quod Aug. P. dies , & mane , & vespere ad spiritualia extendat , ut art. 2. & 5. ostensum est .

104 ET SINT IN SIGNA . Hoc est , prognosticæ ; ut scilicet per astra cognoscatur aliqua dispositio futura in tempore , puta serenitatis , tempestatis , famis , fertilitatis &c. Sic Aug. P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 14. dicens : An aliqua alia ratio sit horum verborum vestiganda ? Quis instantum secretum facilè irrumpat , & que signa dicat , cùm dicit de syderibus , & sint in signa ? Neque enim illa dicit , que observare vanitatis est ; sed utique utilia , & hujus vite usibus necessaria , que vel nautæ observant in gubernando , vel omnes homines ad prævidendas aeris qualitates per aestatem , & hibernem , & aequinalem , iernalemque temperiem . Et nimirum hoc vocat tempora , que per sylera sunt , non spitia moriarum , sed vicissitudinis affectionum cœli hujus . His consonat Angel. Pœc. 1. p. q. 70. art. 2. in corp. cuius doctrinam dedimus art. 4. num. 229. Verba D. Thomæ sunt : Tertiò , quantum ad opportunitatem negotiorum , & operum : in quantum ex luminaribus oculi accipitur significatio

396 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.
pluviosi temporis, vel ferenti, que sunt apta diversis negotijs.
Et quantum ad hoc dicitur & sunt in signa. Et hoc est secundum
dum manus astrorum erga hominis beneficium.

105 Sed sciendum est ex Aug. P. 5. de Civit. Dei
cap. 1. quod stellæ nec cause nec signa sunt humanarum ac-
tionum: Illi vero, inquit, qui positionem stellarum quo-
dammodo decernentium qualis quisque sit, & quid ei pro-
veniat boni, quid ve mali accidat, ex Dei voluntate suspen-
dunt; si easdem stellas putant habere hanc potestatem tradi-
tam sibi à summa illius potestate, ut volentes ista decernant:
magnum ccelo faciūt injuriam, in cuius velut clarissimo sena-
tu, ac splendidissima curia opinantur seclera facienda decerni:
qualia si aliquat terrena civitas decrevisset, genere humano de-
crente fuerat evertenda. Quale deinde judicium de hominum
factis Deo relinquitur, quibus coelestis necessitas adhibetur,
cum Dominus ille sit, & syderum, & hominum? Aut si non
dicunt, stellas, accepta quidem potestate à summo Deo, ar-
bitrio suo ista decernere, sed in talibus necessitatibus ingeren-
dis illius omnino jussa completere: itane de ipso Deo sentiendum
est, quod indignissimum viuum est de stellarum voluntate sen-
tire? Quod si dicuntur stellæ significare potius ista, quam
facere: ut quasi locutio quedam sit illa positio prædicens futu-
ra, non agens: non enim mediocriter doctorum hominum fuit
ista sententia: non quidem ita solent loqui Mathematici,
ut verbi gratia, dicant, Mars ita positus homicidam signifi-
cat; sed homicidam non facit. Idem docet Aug. P. lib. 2. de
Gen. ad lit. cap. 17. ubi Astrologos acriter redarguit. Com-
munis est inter PP. & Catholicos DD. hæc sententia. Unde
Angel. Præc. 1. p. q. 70. art. 2. ad 1. dicit, quod luminaria
sunt in signa corporalium transmutationum; non autem eorum,
quæ dependent ex libero arbitrio. Hinc in proverbium abiit:
Sapiens dominabitur astris.

106 ET TEMPORA. Id est, in articulos temporum,
seu diei partes. Sic explicat Aug. P. 2. de Gen. ad lit. cap.
14. dicens: Sed certè hora, & dies, & anni, quos usitate no-
vimus, non fierent nisi motibus syderum. Itaque si hoc modo
intelligamus tempora, dies, & annos, ut tempora articulos
quosdam, quos per horologia computamus, vel in cœlo notissi-
mos, cum ab Oriente usque ad meridianam altitudinem Sol in-
sur-

surgit, atque inde rursus usque in Occidentem vergit, ut possit
deinceps ad verti vel luna, vel aliquod sydus ab Oriente statim
post occasum Solis emergere &c. Vel potest significare ista
clausula munus ad faciendam quatuor anni tempora, ut do-
cet Aug. P. in Imperfec. de Gen. ad lit. cap. 13. dicens. An
,, in signis dixit, quibus certum iter significatur navigandi:
,, in temporibus autem, velut est vernum tempus, & astas, &
,, autumnus, & hyems, quia & ita circumactu syderum va-
,, riantur, suasque vices, atque ordinem servant: in diebus
,, autem, & in annis, sicut expositum jam est accipendum?
Utilitas, & beneficium hominum in hoc munere astrorum
clarissimum est; quoniam dono veris omnes fruges vire-
cunt; astas, maturescunt; autumni, decidunt, & colliguntur;
& denique hycinis beneficio, ad novos partus se se terra ac-
cingit.

107 ET DIES. Hoc est, ad dies naturales efficien-
dos rotatione Solis, & non solum ad præsidendum illis, ut
quidam dixerunt. Sic Aug. P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 14.
dicens: *Dies autem totos Solis ab Oriente usque ad Occidentem*
circumitus. Verum inquis, inanis videtur repetitio ista & dies
in narratione Moysis; cum antea jam dixerit, & dividans
diem ac noctem. Respondeo, quod ibi Moyses diem duntaxat
artificalem, nocti contrapositam declaravit: hic autem diem
naturalem, qui totam Solis, & astrorum fixorum revolatio-
nem importat, designat.

108 ET ANNOS. Hoc est Solares, lunares, & stellari-
rum. Sic Aug. P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 14. dicens: *An-*
nno vero vel istos usitatos Solis anfractus, non cum ad Orien-
tem quod quotidie facit, sed cum ad eadem loca syderum reddit,
quod non facit nisi per astris trecentis sexaginta quinque die-
bus, & sex horis, id est, quadrante totius diei, que pars qua-
ter ducta, cogit interponi unum diem, quem Romani byflex-
tum vocant, ut ad eundem circuitum redeatur: vel etiam ma-
iores, & occultiores annos: nam complexis aliorum syderum spa-
tijs, maiores anni fieri dicuntur. Si ergo ita intelligamus tem-
pora, dies, & annos, nemo dubitat, haec syderibus & lumina-
ribus fieri. Astrorum erga homines beneficentia in faciendis
annis notissima est. Hic notandum cum Aug. P. in Imperfect.
de Gen. ad lit. cap. 13. quod Moyses ob id non denominavit

mensis, quod mensis vere, & propriè annus lunaris censatur: Non enim, inquit, dixit, O mensibus; quia fortasse mensis, annus est luna.

§. XV.


VERSCULUS DECIMUS QUINTUS EXPONITUR.

109 **U**T LUCEANT IN FIRMAMENTO CÆLI, ET ILLUMINENT TERRAM. ET FACTUM EST ITA. Aug. P. de Gen. Imperfet. cap. 13. legit: Et sicut in splendore, O in firmamento cœli, ut luceant super terram. Idem autem sonare videtur utraque lectio. Et sensus est: ut luceant, non æqualiter. Sic docet Aug. P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 16. ubi hoc probat ex Apost. 1. ad Cor. 15. dicente: Alia gloria Solis, alia gloria Luna, O alia gloria stellarum: stella erim a stella differt in gloria. Et post discussionem evasionis quorundam, concludit dicens: Sed dicant quod volunt de cœlo, alieni à Patre, qui est in cœlis. Nobis autem de intervallis, & magnitudine syderum subtilius aliquid querere, talique inquisitioni rebus gravioribus O membris necessarium tempus impendere, nec expedit, nec congruit. Et melius credimus ea esse ceteris majora luminaria, que S. Scriptura ita commendat: Et fecit Deus duo luminaria magna, que tamen non sunt æqualia; nam consequenter dicit, cum eæ ceteris præposuerit, inter seipsa differre: ait enim, lumina majus in inchoationem diæ, O luminare minus in inchoationem noctis. Ceterè enim vel hoc concedant oculis nostris, ut ea manifestum sit amplius ceteris lucere super terram, nec diem clarere nisi luce Solis, nec noctem tot stellis apparentibus ita lucere si Luna desit, quemadmodum presentia illustrantur.


110 Et vorandum, quod ly O sicut in splendore, O in firmamento cœli, ut luceant super terram, ut legite Aug. P. hic non repetitur ad denotandum quod ferant semen ad similiūm productionem, sed ut sicut, & sint. Sic habet Magn. P. in Imperfet. de Gen. ad lit. cap. 13. dicens: Et sicut in splendore, O in firmamento cœli, ut luceant super terram: cur putamus esse repetitum? Alioquin modicū est de stirpibus, n*on*

ART. VI. EXPOSITUR AD LITERAM, &c. 399
ferant semen, & sit in eis semen secundum genus suum, & similitudinem: ita è contrario dictum est de luminaribus, Fiant, & sint; id est, fiant, & non gignant, sed ipsa sint, & sic factum est? Ordo ille servatur, & fecit Deus duo luminaria, lumenare maius initium diei, & lumenare minus initium noctis, & stellas.

III. ET ILLUMINENT TERRAM. His verbis designatur utilitas luminarum erga homines quantum ad visum, ut explicat Ang. Præc. i. p. q. 70. art. 2. in corp. dicens: Primo enim provenit utilitas hominibus ex luminaribus quantum ad visum, qui est directivus in operibus, & maxime utilis ad cognoscendas res; & quantum ad hoc dicitur, ut luceant in firmamento, & Illuminent terram. Et factum est ita, id est, in mente Angelica, ut art. 5. dictum est.



s. XVI.



VERSICULUS DECIMUSSEXTUS, ET SEQUENTES,
usque vigesimum exponuntur.

112 **F**ECITQUE DEUS DUO LUMINARIA MAGNA: LUMINARE MAIUS UT PRÆSET DIEL: ET LUMINARE MINUS UT PRÆSET NOCTI: ET STELLAS. Tertia hæc repetitio luminarum productionem actu & formaliter in propria natura significat, ut ex Aug. P. in superioribus sèpè dictum est. *Luminaria magna*, id est, luce, super steillas, ut nuper ex Aug. P. 2. de Gen. ad lit. cap. 16. dictum est. *Luminare maius*, ut præset diei. Maius dicitur luce, ut expositum est. Ut præset diei: id est, lucis eminētia; ut docet Aug. P. in Imperfect. de Gen. ad lit. cap. 13. dicens: *Ut præsent diei ut nocti.* *Dicitur et at tritium diei*, & *initium noctis*, quod hic exponit dicendo, *præsent diei*, & *nocti*: ergo initium illud, principatum intelligere debemus, quia & in die nihil est inter illa, que videntur, *Sole excellentius*, & in nocte nihil *Luna*, vel *stellis*. Unde, ut præset diei sic accipiendo est, ut sit in dominium, principatum, & potestatem diei; quod præsentia sua Sol diem efficiat, adeò ut dies esse nequeat, nisi ex præsentia ipsius Solis, qui in dominationem, & potestatem, ut Princeps diem agat. Hinc pro-

venit, quod sua superexcellenti, & dominante luce cuncta operetur, quæ in die fieri conspicimus; quod videlicet illuminet, calefaciat, gignat, vegetet, foveat, exhilaret; quæ quidem partes sunt Principis, dominantis, & potestate fungentis.

113 LUMINARE MINUS. Consequenter ad dicta, *ly minus de minoritate in luce intelligendum est.* An autem Luna à Sole lucem emendi et, an à se illam habeat, Aug. P. ex mente aliorum refert euāratione in psal. 10. Lunam à Sole illuminari: *Alij autem dicunt, non habere Lunam lumen proprium, sed à Sole illustrari.* Hanc sententiam appobat D. Thom. in 2. dist. 15. q. 1. ubi, dicendum, inquit, quod sicut Philosophi probant, & etiam Dionysius afferit in 4. cap. de Divin. Nomin. à Sole illuminantur omnia corpora, & superiora, & inferiora, & non tantum Luna. Nec tamen hoc impedit, quin alia corpora luminaria dicantur: quia cum lumen Solis, ut Dionysius dicit, recipiatur diversimodè diversis in corporibus secundum eorum proportionem; quedam corpora recipiunt lumen prædictum, ut lucentia, & radios emittentia, sicut Luna, & stelle; & talia possunt luminaria, & vasæ luminis dici: quedam autem recipiunt, non ut radios ex se emittentia; & hoc dupliciter, vel in profundo, ut aer; vel in superficie, ut corpora opaca; quorum neutrum luminare dici potest. Quantum denique nocti dominetur Luna virtute, & efficacia, omnibus compertum est; Luna enim noctis regia est, & mirificos in ea exercet influxus, & multum solacium afferit hominibus pro nocturnis negotijs explendis.

114 ET STELLAS. Hic etiam primam stellaram à Deo emanationem debemus accipere, ut docet Aug. P. de Gen. Impfect. c ip. : 3. dicens: *Et posuit illa Deus in firmamento cœli ut lucaret super terram.* Quomodo dixit, hanc in firmamento: & quomodo nunc dicit, fecit Deus luminaria, & posuit in firmamento: quasi extra sint facta, & positi ibi posita, cum jam dictum sit, ut ibi facerent? An hinc etiam arque etiam significatur, non ita Deum fecisse, ut homines solent, sed ita narratur, ut hominibus potuit; scilicet, ut apud homines aliud sit fecit, aliud posuit: apud Deum autem utrumque idem sit, qui faciendo ponit, &

ART. VI. EXPOНИTUR AD LITERAM, &c. 401
ponendo fecit? Utilitas stellarum erga homines explicatur ab Aug. P. lib. 2. de Gen. ad lit. cap. 13. his verbis: *Nec nox indecora remaneret, sed Luna, & syderibus consolarentur homines, quibus operandi nocturna necessitas incumberet.*

VERSICULUS 17. nihil habet speciali discussione dignum præter jam ex Aug. P. determinata, diximus enim ex ipso, quod ly posuit eas in firmamento, perinde est apud eum, ac fecit; ponendo enim fecit, & faciendo posuit; licet hominibus, quasi duæ res significantur. Ut lucerent super terram, & præcessent diel, ac nocti &c. Per hæc officium generale luminarium iteratum significatur; quod propterea repeatitur, ut beneficium omnium præstantissimum hominibus commendetur, ut magis mortalium memorie mandaretur. Duo etiam versiculi sequentes jam sèpè explicati manent; & significant approbationem operis, & consummationem ejusdem. Sed cave, ne diem istum quartam, naturalem intelligas; quoniam ut supra notatum est, licet dies naturales à productione luminarium cuperint, Moyses tamen illos in operibus sex diecum non recensuit.

*** §. XVII. ***

VERSICULUS VIGESIMUS EXPOНИTUR.

116 **D**IXIT ETIAM DEUS: PRODUCANT AQUE REPTILE ANIMA VIVENTIS, ET VOLATILE SUPER TERRAM SUB FIRMAMENTO COEILI. Post ornatum supremæ partis mundi corporalis, procedit S. historicus Moyses ad enarrandum ornatum media partis ejusdem, aeris scilicet, per volatilia; & aquæ, per natatilia. Unde Aug. P. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 1. dicit: *Nunc in inferiore parte mundi, ea que spiritu vita mouentur, sunt, & primum aquarum, quod aeris qualitatè proximum elementum est: quia huic cœlo, in quo sunt lumina, ita vicinus est aer, ut & ipse cœli nomen acceperit, sed nescio utrum etiam firmamentum possit vocari.* Verum ante expositionem operis quintæ diei aliqua præmittenda fuit. Primò, quod elementum ignis, cœlo Lunæ contiguum,

non est capax ornatus, propter summariam edacitatem suam, qua cuncta consumeret: unde nec Scriptura S. illius partis mundi meminit, nec ornatus ejusdem. Ratio ultimi est jam assignata. Primi autem ea est, quod Moyses terra & aquarum nomine cuncta elementa compendio perstrinxit. Sciendum est secundò, quod productio avium, & piscium facta fuit hac die secundum rationem seminalem horum animalium, ut art. 3. ex Aug. P. fusè ostensum est: unde anticipata locutione jam facta ista narratur à Moyse quinta die. Sciendum est tertio, quod in illis verbis dixit etiam Deus, Scriptura S. præcavet errorem Platonis, quem his verbis memorat Aug. P. 12. de Civit. Dei cap. 26: *Ita si fane Plato minorum & a summo Deo factos deos, effectores essent, voluit animallum ceterorum, ut immortalem partem ab ipso sumerent, ipse vero mortalem attexerent; proinde animalium nostrarum eos creatores esse noluit, sed corporum. Quem errorem hoc Moysis testimonio impugnat ibi dicens: Et si Deus, quod assidue Plato commemorat, sicut universi mundi, ita concordia, totum animalium species æterna intelligentia continebat, quomodo non ipse cuncta condebat? An aliquorum esse artifex nollet, quorum efficiendorum artem ineffabilis ejus, & ineffabiliter laudabilis mens haberet? Merito igitur vera religio, mundi universi eum, animalium quoque universorum, hoc est, & animalium, & corporum conditionem, agnoscat, & predicat.*

117 Quibus præmissis, Aug. P. ly producant aquæ sic intelligit, hoc est, producendi accipient virtutem, ut art. 3. ex ipso dictum est. Hic dubitari solet, ex qua materia fuerint productæ aves, & pisces? Resolutio difficultatis habetur in D. Thont. 1. p. q. 71. art. unico, ubi cum distinctione respondet ad 2. dicens, quod corpora avium, & piscium possunt dupliciter considerari. Uno modo secundum se: & sic necesse est, quod in eis magis terrestre elementum dominetur: quia ad hoc quod fiat contemptatio mixtionis, in corpore animalis, necesse est, quod quantitative abundant in eo elementum, quod est minus activum, scilicet terra. Sed si considerentur secundum quod sunt natae in veri talibus motibus, sic habent affinitatem quamdam cum corporibus, in quibus moveantur. Et sic eorum generatio

hic describitur. Unde cum hac distinctione optimè fœderantur textus Gen. 2. ubi dicitur: *Productis igitur de humo cunctis animalibus, & litera hujus diei, nempe producari aquæ reptile;* ita ut qua parte hac animalia habent motum in aqua, & aere, his elementis contente; qua parte autem in illis est materia apta mixtioni, sint ex terra.

118. REPTILE. Hic pisces omnes sub nomine *reptile*, vel *reptilium* Moyses appellavit; idcirco quod eorum genera omnia reptant, vel semper, vel ut in plurimum, & magis propriè. Unde Aug. P. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 8. ait: *Quamquam enim sint & animalia terrestria, que reptant super terram, tamen ex multo maiore numero pedibus moventar, & tam paucâ fortasse in terris repunt, qui in pauca in aquis gradiuntur.* Et D. Thom. I. p. q. 71. hoc argumentum proposuit: *Non omnes pisces reptant in aquis, cum quidam habeant pedes: non ergo sufficienter producio, pisces designatur in hoc quod dicitur, producant aquæ, reptile animæ viventis.* Respondet: Ad quartum dicendum, dum quod natura de uno extremo ad aliud transit per medium. Et ideo inter celestia & aquatica animalia sunt quatuor media, quæ communicant cum utrisque, & computantur cum illis, cum quibus magis communicant, secundum id, quod cum eis communicant, non secundum id, quod communicant cum alio extremo. Tamen, ut includant omnia hujusmodi, quæ habent aliquid speciale in ter pisces, subjungit, postquam dixerat, producant aquæ, reptile animæ viventis: *Creavit Deus cete grandia,* Dicendum ergo, quod generica vox omnia genera piscium reptilia appellantur, in quantum reptare, & pedibus solis ambulare, vel alis volare, invicem distinguuntur: quæ enim parvis pedibus, vel in mari, vel extra ambulant, ut crocodili, & similes, non tantum pedibus, sed yentre etiam se impellant: quapropter, cum piscium omnes classes, vel pedibus careant, vel saltari illos debiles habeant, consequens est, ut reptilia, hoc est, sine pedibus, vel cum illis debilibus, appellari queant.

119. ANIMÆ VIVENTIS. Dixit hic Moyses *animæ viventis*, ut animam sensibilem denotaret, quæ sola videtur vivere; ut docet Aug. P. in Imperfet. de Gen. cap. 15. di-

cens: Ejlicant aque reptilia animarum vivarum. Cur additum est, vivarum? An possunt esse animæ, nisi vivant? An istam manifestorem vitam commendare voluit, que inest animalibus sentientibus, quoniam stipites eacarent? Sequitur Augustinum P. Cayetanus hæc adjiciens: *Et dixit animæ vitæ, vulgo sermonem conformando. Vulgus enim non existimat vivere, nisi ea, que sentiunt. Propter hoc enim animæ vivæ non attribuit superius vegetabilibus, sed reservavit animalibus; ex sensu quicquidem, & motu locali manifestatur anima viva in talibus motibus manifestis: ad differentiam siquidem vegetative animæ, dixit animæ vivæ, tamquam vegetabilia vivant non per animam, sed per viriditatem. Unde hic viventis, pro sentientis accipendum est.*

120 ET VOLATILE SUPER TERRAM. Hic primò disquirendum, cur aves simul cum piscibus produci memorentur? August. P. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 7. hauc rationem dedit: *Aquarum enim natura bipartitum locum sortita est: inferiorem scilicet, in unda labili; superiorem vero in aura flabili; illum deputatum natantibus, istam volantibus. Causa ergo ea est, quod inter aquam, & aerem, quæ hoc die exornantur, magna est sympathia; utrumque enim est humidum, utrumque molie, utrumque permeabile, utrumque perspicuum, utrumque simul illustratum, vel obscuratum, utrumque ventis agitatum, ac concitatum videmus, ut rectè observat hic Ascanius: quare utrumque simul locupletari, venustarie debuit. Rursus, ambo media sunt elementa. Tandem, tum aves, tum pisces animantibus terrestribus longe sunt ignobiliores, proceduntque ex aquis, ut exoruent elementa lucis susceptibilia.*

121 Dices: aves quiescunt in terra: ergo potius ad terræ ornamentum, quam aeris pertinent. Respondeo, quod animalia illius partis Universi dicuntur ornamenta, in qua proprium motum habent; aves autem, licet in terra quiescant, manifestum est, suum motum in aere exercere. Sic Albertus Magn. lib. de 4. coquævis q. 12. art. 15. dicens: *Quod motus avium est in aere, & quietis in terra: & istud elementum dicuntur ornari illo genere animalis, quod est locus motus ejus, & non quietis. Unde plantæ à SS. dicuntur non pertinere ad ornatum, quia immobiles sunt secundum locum: omnia*

nia enim natatilia generaliter pertinent ad ornatum aquæ: & volatilia ad ornatum aeris: & gressibilia ad ornatum terre. Natatilia enim non natant, nisi in aqua: & volatilia non volant, nisi in aere: & gressibilia non graduntur, nisi in terra.

122 SUB FIRMAMENTO COELI. Augustinus P. legit secundum firmamentum; & dicitur secundum firmamentum, & non in firmamento, quia in hoc aëre humido, qui est secus illum supernum, producuntur aves. Sic August. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 7. dicens: Cùm dixisset Script. Educant aquæ reptilia animarum vivarum, & volatilia, inquit, super terram: addidit sanè dicens: secundum firmamentum cœli; in quo potest aliquanto manifestius apparere illud, quod anteà videbatur obscurum. Non enim ait, in firmamento cœli, sicut de luminaribus: sed volantia, inquit, super terram, secundum firmamentum cœli: quia videlicet hoc caliginosum, & humidum spatum, in quo aves volant, illi spatio contiguum est, ubi volare non possunt: quod jam merito tranquillitatis, & quietis pertinet ad firmamentum cœli. In cœlo ergo volant aves, sed in isto, quo ille psalmus etiam terræ nomine includit: propter quod cœlum vocantur multis locis volatilia cœli, non tamen in firmamento, sed secundum firmamentum,

§. XVIII.

VERSICULUS VIGESIMUS PRIMUS
exponitur.

123 **C**REAVITQUE DEUS CETE GRANDIA, ET OMNEM ANIMAM VIVENTEM, ATQUE MOTABILEM, QUAM PRODUXERANT AQUE IN SPECIES SUAS, ET OMNE VOLATILE SECUNDUM GENUS SUUM. ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM. Hic verbum creare non est accipendum rigorosè, ut diximus ad versiculū primum, & ingeniosè notat Cayetanus Comment. in Gen. dicens: Ubi perspicaciter adverte, quod non absolute dicit, quod Deus creavit hec, quemadmodum absolute dixerat, quod creavit cœlos, & terram; sed adiungit, quam reptilificaverunt aquæ; ad significandum, quod non

non creavit ex nihilo, sed illamet Deus creavit, que aquæ reptilis creverunt : Ut intelligamus, quod Deus effectus illa mediantibus aquis. Nota etiam, quod Deus hic Auctor certe memoratur, ad præcavendum errorem Platonis dicentis, à Deo dijs secundis demandatam suisse animalium productionem; de quo vide ex Augustino P. dicta, ad illa verba producant aquæ reptile. Unde sensus illorum verborum est: Deus ut agens principale, non de nihilo, ut cœlum & terram, sed de præjacenti materia, sua virtute disposita, creavit, hoc est, fecit, plasmavit, & maxima, ut cete sunt, & omnem viventem animalia, motabilemque, hoc est, omnes pisces, cuiuscumque generis sint, & omne motabile, hoc est, volucres. Et notandum, quod ceterorum nomine intelligitur omne genus vastorum pisceum, ut docet Theodoreus in Catena dicens: Cete ergo ea omnia vocat, que inter aquæ vasta sunt, quamquam eorum quoddam sit discrimen; quam nobrem addidit, magna. Nota etiam, quod dicitur animam viventem à primo actu animali, qui est vita; & motibilem, à secundo, qui est motus; ut docet Albertus Magnus t. p. surim q. 12. art. 15. In species suas, dicitur tantum de his, quæ per propagationem reparantur, ut docet Augustinus P. in Imperfect. cap. 14. dicens: Memineribus sancto, secundum suum gesus (idem intelligendam per ly in species suas,) de his creaturis dici, quæ seminali propagine reparantur: nam de herbis jam hoc, & de arboribus dictum est. Et vidit Deus quod esset bonum, hoc est, approbavit opus jam factum, ut sèpè dictum est.

§. XIX.

VERSIQULUS VIGESIMUS SECUNDUS
exponitur.

¹²⁴ **B**ENEDIXITQUE EIS, DICENS: CRESCITE, ET
MULTIPLICAMINI, ET REPLETE AQUAS MARI
AVESQUE MULTIPLICENTER SUPER TER-
RAM. Benedictio hec ad uberae propagationem
data his animalibus censetur ab Aug. P. in Imperfect. cap. 15.
Benedictionem, inquit, ad fecunditatem valere voluit, que in
successione prolixis apparet, ut ea benedictione, qua insuna-

Omortalia creata sunt, genus suum nascendo custodiant.

125 Quid benedictio hæc dictioni, & productioni animalium addat, & quam largum donum ipsis animalibus conferat, egregie explicat Ascanius ad hunc locum dicens:

,, Perpendo quatuor diversa admodum in Scripturis S. reperi-

,, ti: dicere, & non dicere; benedicere, & maledicere. Rursum
,, hæc in Dei, hominisve ore, diversa admodum denotare.

,, Dicere Dei, facere est; dixit Deus, fiat, & factum est. Non
,, dicere, non facere est. Quare quæ non dixit, nec facta sunt;

,, omnia enim per Verbum facta sunt, & sine ipso factum est;

,, nihil. Benedicere vero est augere, & res ad quid melius,
,, quam ut sint, promovere. Maledicere autem in peius ut de-
,, cident, permittere, quam ut non sint. Nam sicuti cum
,, Deus dixit, fecit, & ea quæ fecit bona sunt; quandoquidem
,, de cunctis Dei operibus per Verbum effectis scriptum est,
,, vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona: ita
,, cum benedit, quod optimum est efficit; & quando male-
,, dicit, quod pessimum est permittit. Cum igitur Deus sen-
,, sibilia rationis expertia creans dixit, dedit illis esse; cum
,, benedixit, aliud quid perfectius, quam esse, superaddidit,
,, quod illorum natura, ac conditio maximè exigebat, quod
,, est perennitas. Nam congestis rebus ex elementis, ob id-
,, que corruptioni, & interitui obnoxij, superintulit perpe-
,, tutatem formarum, seu specierum, eamque non simplicem,
,, sed ubertate, & affluentia, ac omnium bonorum prosperi-
,, tate insignem; quod quidem esse longè præstantius est, &
,, excellentius, quam esse singulare. Cum maledixit, ad eum
,, corruere permisit calamitatum, & malorum cumulum,
,, quo melius illis non esse foret. Animæ vero, & Angeli, quia
,, spiritus sunt, cum Deus dixit, naturale ipsis esse imperti-
,, tus est: cum benedixit, superaddidit & gratiam, & post glo-
,, riam; quæ nobilius, perfectiusque esse conferunt, quam
,, naturæ, cum præter existentiam, divinum ferè quoddam
,, esse largiantur. Rursum, quando Angelum, & animam ma-
,, ledixit, ita exigentibus gravissimiis eorum erratis, adeò
,, eos damnavit, ut quamvis esse ipsorum non diruerit, ad
,, tantas tamen ærumnas, & talem dolorum acervum eos de-
,, pulit, ut acerbior & molestior, quam non esse existimetur,



„ juxta illud : Melius illi erat, si natus non fuisset homo ille:
 „ cùm in infernum detrussi pœnarum acerbitatibus adeo
 „ plectantur, ut non vivere sibi ad fœlicitatem deputarent.
 „ Ceterum quod ad nostrum propositum exspectat, benedic-
 „ tio hæc à Deo avibus, piscibusque collata, non inepte pro-
 „ fectò perpetuitatem specificam, ac copiam uberrimam illis
 „ tributam significare videtur. Hæc pro præsenti Augusti-
 niana textus intelligentia aptissimè dicta judico.

126 Sed rogas, cur benedixerit Deus avibus, & pis-
 cibus, & non platis. Responso Augustini P. est, quod ger-
 minibus sensu carentibus præceptum illud, *crescite, & multi-
 plicamini*, indici non debuerit. Sic docet in Imperfœt. de
 Gen. cap. 15. dicens : *Sed cùm etiam stipes nascendo te-
 neant similitudinem pretereuntium, cur non eas benedixit? An
 quia sensu carent, qui rationi vicinus est?* S. Thomas videtur
 hanc rationem sequutus 1. p. q. 72. art. unico ad 4. dicens:
*Plante verò nullum habent propaganda prolis affectum, ac sine
 ullo sensu generant. Unde in signe iudicata sunt benedictionis
 verbis. Fortassis etiam hujus rei causa erit, quod mox germi-
 na maledicenda essent.*

127 **CRESCITE, ET MULTIPLICAMINI.** Hæc im-
 perativa expressio confirmat expositionem præcedentium ver-
 borum ab Aug. P. datam : quoniam supervacaneum est præ-
 ceptum multiplicationis, ubi voluntaria non est coitio ad
 multiplicandum : ut docet Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 13.
 dicens: *An fortè que nullum haberent propaganda prolis af-
 featum, ac sine ullo sensu generarent, indigna judicavit illis
 benedictiōns verbi crescere.* Quomodo autem præceptum
 Domini ad aves, & pisces, nondum in se actu existentes, di-
 rigi intelligatur, art. 3. num. 79. ex Aug. P. dictum est. *Vr-*
de ibi, & in sequentibus dicta. Versiculus sequens sic habet:

*Et factum est vespere, & mane dies quintus. Quis sit
 hic dies, & quod vespere, & mane art. 3.
 dictum est,*





VERSCULUS VIGESIMUSQUARTUS EXPOΝITUR.

128 **D**Ixit quoque deus: producat terra animalam viventem in genere suo, iumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita. Postquam cœlum, quod supremum est inter corporalis mundi principales partes, quarto die luminaribus fuerat venustatum; quinto autem pars media, aer nempe, & aqua, piscibus, & avibus exornata; jam nunc consequens erat,

,, inquit Aug. P. lib. 3. de Gen. ad lit. cap. 11. Ut alteram , partem, quæ propriè terra dicitur, infimi hujus loci, quem , totum cum omnibus abyssis, & nebuloso aere universaliter, ter vocabulo terræ alibi Scripturæ complectitar, ornaret animalibus suis. Verum quare animalia hoc die cum homine producuntur; cum homo ratione sit prædictus, animalia autem terrestria ratiouis sint experitæ? Cæterum causam hujus rei dedimus art. 5. quia nimirum, dies productioni rerum destinantur, secundum quod res vel ad distinctionem, & formationem, vel ad ornatum alicujus partis principalis ordinantur, & non secundum, quod se invicem in perfectione excedunt. Vel etiam, quia utraque ex terra facta sunt, ut soprà ex utroque S. D. dicebamus. Et nota, quod hic animalium terrestrium, hominumque productio causaliter accipienda est; sicut de plantis tertio die, & de avibus, & piscibus quinto die, ex Augustino dictum est. Quantum ad materiam ex qua animalium terrestrium, & hominis, citra dubium est, fuisse terram; dicitur enim hic de animalibus: *Producat terra animam viventem;* & cap. 2: *Producet igitur de humo cunctis animalibus.* Et de homine ibidem: *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es.*

129 Occurrat hic dubium, qua ratione dicatur: *Producat terra animam viventem;* cum in productione avium, & piscium dictum sit: *producant aquæ reptile animæ viventis?* Respondeo ex D. Thom. 1. p. q. 72. art. unico ad 1. ubi ait:

,, *Sed terrena animalia vocat animam viventem, propter per-*

„ fectionem vitæ in eis; ac si pisces sint corpora habentia ali-
 „ quid animæ, terrestria verò animalia propter perfectionem
 „ vitæ sint quasi animæ dominantes *corporibus*. *In genere suo*, eodem modo intelligendum est, ac suprà in plantarum productione.

130 *JUMENTA, ET REPTILIA, ET BESTIAS TERRÆ.* Hic Moyses *quadrupedia*, quæ ad escam sunt homini, non tamen sub hominis cura; *reptilia*, serpentes; *bestias*, feras; *pecora*, quæ in usu, & sub cura hominis sunt, designavit: ut intelligit Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 11. dicens:

„ *Et manifesta quidem sunt animalium genera, quæ in verbo Dei terra produxit.* Sed quia sàpè nomine *pecorum*, vel nomine bestiarum animalia omnia rationis expertia solent intelligi; meritò queritur, quas nunc proprie bestias, & quæ nunc pecora dicat. Et repentina quidem, sive reptilia terrena, non est dubitandum, quod omnes serpentes intelligi voluit, quamquam, & bestie dici possint, *pecorum autem nomen non usitatè serpentibus convenit.* Rursum, leonibus, & pardis, & tigribus, & lupis, & vulpibus, canibus etiam, & simijs, atque id generis ceteris, usitatè convenit vocabulum bestiarum. *Pecorum autem nomen his animalibus accommodatiùs aptari solet*, quæ sunt in usu hominum: sive adjuvandis laboribus, ut boves, & equi, &c: sive ad lanificium, vel ad vescendum, ut oves, & sues. Quid ergo sunt quadrupedia? Quamquam enim hæc omnia, præter quædam serpentia, quatuor pedibus gradiantur; nisi tamen hoc proprio nomine quædam vellet intelligi, non utique hæc etiam quadrupedia nominaret, quamvis de his in repetitione tacuerit. An cervi, & damulæ, & onagri, & apri, quia neque illis bestijs, ubi leones sunt, conjungi possunt, similes enim sunt illis pecoribus; neque tamen sub humana cura sunt; propriè quadrupedia nuncupara sunt: quasi reliqua essent hæc animalia, quibus ista appellatio, generalis quidem cum multis propter numerum pedum, sed tamen speciali significacione tribueretur?

131 Sequitur Aug. P. D. Thomas 1. p. q. 72. art. unico ad secundum, dicens: *Quod per jumenta, vel pecora intelliguntur animalia domestica, quæ homini serviunt*, qua-

, qualitercumque. Per bestias autem intelliguntur animalia
 „ sœva , ut ursi & leones. Per reptilia verò , animalia , quæ
 „ vel non habent pedes, quibus cleventur à terra , ut serpen-
 „ tes: vel habent breves, quibus parùm elevantur, ut lacerte,
 „ & formicæ. Sed quia sunt quædam animalia , quæ sub nullo
 „ horum comprehendantur, ut cervi , & caprei , ut etiam if-
 „ ta comprehendenderentur , addidit , quadrupedia.

132 Vel quia ter Scriptura repetivit secundum ge-
 nus , tria genera animalium significavit. Sic Aug. P. loco nu-
 „ per citato dicens: *An* quia ter dixit secundum genus suum
 „ tria quædam genera nos invitat attendere? Primo , se-
 „ cundum genus quadrupedia , & reptilia , ubi arbitror sig-
 „ nificantum quæ quadrupedia dixerit , scilicet , quæ in gene-
 „ re sunt reptiliū , sicut sunt lacerti , stelliones , & si quid
 „ hujusmodi est. Ideòque in repetitione quadrupedum no-
 „ men non iteravit , quia reptiliū vocabulo fortasse com-
 „ plexus est: unde ibi non simpliciter ait , reptilia; sed addi-
 „ dit , omnia reptilia terra. Ideò terræ , quia sunt & aqua-
 „ rum ; & ideò omnia , ut illic intelligantur , quæ quatuor
 „ etiam pedibus nituntur , quæ superius quadrupedum nomi-
 „ ne propriè significata sunt. Bestias autem , de quibus item
 „ ait , secundum genus , quidquid ore , aut etiam angibus
 „ fœvit , exceptis serpentibus. Pecora verò , de quibus ter-
 „ tiò ait , secundum genus , quæ neutra vi lacerant , sed aug-
 „ cornibus , aut ne hoc quidem. Prædixi enim , & quadru-
 „ pedum nomen quæ late pateat , ipso pedum numero faci-
 „ lè agnosci ; & nomine pecorum , vel bestiarum , omne irra-
 „ tionale animal aliquando comprehendi. Sed etiam ferarum
 „ vocabulum solet in latina lingua tantumdem valere: non
 „ ideò tamen negligenda fuit consideratio , quomodo possint
 „ hæc nomina , quæ non frustrâ in hoc Scripturarum loco po-
 „ sita sunt , etiam speciali distinctione discerni ; quod in
 „ usu loquendi quotidiano facile animadverti possit. Nota ,
 quod Aug. P. prædictam trinam repetitionem observavit se-
 cundum literam . quam ipse legit ; Vulgata autem bis
 habet , in genere suo , bisque , secundum
 species suas.



VERSICULUS VIGESIMUS QUINTUS
exponitur.

F33 **E**T FECIT DEUS BESTIAS TERRÆ IUXTA SPECIES SUAS , ET IUMENTA , ET OMNE REPTILE TERRÆ IN GENERE SUO , ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM. Hęc tertia repetitio quid denotet, dedimus abundè art. 3.& 5. Et nota , quòd licet reptile memoretur quinto die factum,& propterea hic inutiliter videatur repetitum ; tamen aliud esse genus reptilium quinti diei, ac sexti, satis apertè declarat Scriptura , cùm addit , terre , ad distinguendum à reptili aquarum ; ut etiam advertit Aug. P. verbis nuper relatis.

I34 ET VIDIT DEUS QUOD ESSET BONUM. Supposito , quòd hęc verba approbationem operis facti significant , quæri potest : Utrum Dei approbatio supra animantia , etiam noxia , cadat ? Responso est affirmativa ex Aug. P. de Gen. contra Manichæos cap. 16. dicente : *Et certè omnia animalia , aut utilia nobis sunt , aut pernicioſa , aut se perflua.* Adversus utilia non habent quid dicant. De pernicioſis autem , vel punimur , vel exercemur , vel terremur , ut non vitam istam multis periculis & laboribus subditam , sed aliam meliorem , ubi securitas summa est , diligamus , & desideremus , & eam nobis pietatis meritis comparemus. De superfluis vero quid nobis est querere ? Si tibi displicet quòd non prosunt , placeat quòd non obsunt : quia et si domui nostra non sunt necessaria , eis tamen completur hujus universitatis integritas , quæ multò major est , quam domus nostra , & multò melior. Hanc enim multò melius administrat Deus , quam unusquisque nostrum domum suam. Usurpa ergo utilia , cave pernicioſa , relinqu superflua. S. Thom. i. p. q. 72. art. unico ad 6. usus fuit eleganti hac doctrina Aug. dicens , quod Augustinus dicit in primo super Gen. contra Manich. quod si in aliquis opificis officinam imperitus intraverit , videt ibi multa instrumenta , quorum causas ignorat : & si multum est insipiens , superflua putat. Nam vero si in fornacem intus reciderit , aut.

aut ferramento aliquo acuto se vulneraverit, noxia existimat ibi esse multa, quorum usum quia novit artifex, insipientiam ejus irridet. Sic in hoc mundo quidam audent multa reprehendere, quorum causas non vident. Multa enim, et si domini nostra non sunt necessaria, in eis tamen completur universitatis integritas. Ecce causas egregias, ut quæ noxia nobis videntur, à Deo benedictionibus impleantur; quia nimis rūm quæ pernicioſa sunt homines erudiant, vel puniendo, vel terrendo, vel exercendo, quæ omnia tandem in hominis utilitatem cedunt; vel si illis utilia non sint, universitatis integritati proficia fuit; replet enim hunc mundum à Deo in numero, pondere, & mensura conditum, in quo elucet artificis sapientia, ut docet Aug. P. loco citato dicens: *In omnibus tamen cum mensuras, & numeros, & ordinem vides, artificem quere.* Nec alium invenies, nisi ubi summa mensura, & summus numerus, & summus ordo est, id est, Deum, de quo verissimè dictum est, quod omnia in mensura, & pondere, & numero disposituerit. Sic fortasse ubiorem capies fructum, cum Deum laudas in humilitate formicæ, quam cum transsis fluvium in alicujus jumenti altitudine.

135 Rogas, cur quinto die aves, & pisces benedictantur, hujusmodi autem benedictio sexto die, productis animalibus terrestribus, omittatur? P. Aug. 3. de Gen. ad lit. cap. 13. causam reddidit dicens, quod in uno creaturæ genere dicendum fuit, ut in ceteris consequenter intelligeretur, quæ generationibus crescunt. Et post: Ubi propagandæ prolixi esset effectus, ibi primum hoc dixit, ut in terrenis animalibus, etiam non dictum intelligeretur. Causa hæc clarissima appetet: Cur autem productio homine, ipsum benedixerit, ibi explicat Augustinus P. dicens: *Necessarium autem fuit hoc in homine repetere, ne quisquam diceret in officio gignendi filios ullum esse peccatum, sicut est in libidine, sive fornicandi, sive ipso conjugio immoderatus abutendi.* Angelic. Præcept. communis Magistri Aug. N. doctrinam sequutus 1. p. q. 72. art. unico ad 4. hec habet: *Dicendum, quod benedictio Dei dat virtutem multiplicandi per generationem.* Et ideo quod positum est in avibus & piscibus, quæ primò occurrunt, non fuit necessarium repeti in terrenis animalibus, sed intelligitur, *In hominibus autem iteratur benedictio, quia in*

414 DISP. DE DIEBUS ANGELICIS AUGUSTIN.
eis est quedam specialis multiplicationis ratio , propter com-
plendum numerum electorum : & ne quisquam diceret , in offi-
cio gignendi filios ullum esse peccatum.

s. XXII.

VERSICULUS VIGESIMUSSE XTUS
exponitur.

136 **E**T AIT : FACIAMUS HOMINEM AD IMAGINEM,
ET SIMILITUDINEM NOSTRAM , ET PRÆ-
SIT PISCIBUS MARIS , ET VOLATILIBUS CGE-
LI , ET BESTIIS , UNIVERSÆQUE TERRÆ , OM-
NIQUE REPTILI , QUOD MOVETUR IN TERRA. Considerandum
(inquit Augustinus P. in Imperfet. de Gen. ad lit. cap. 16.)
etiam illud quod in cæteris non dicit Deus , faciamus ; ut hoc
quoque modo voluerit Spiritus S. humanae naturæ insinua-
re præstantiam. Præstat enim homo cunctis , quæ in mundo
corporali sunt, in multis: idcirco , quod omnium , quæ in eo
sunt, veluti compendium , & epilogus existit , & quæ in ip-
so dispersa sunt, in se recolligit ; cum omnium aliquid sit,
etiam Angelorum. Constat enim corpore , & anima : ani-
ma autem in libero arbitrio , & spiritualitate , Angelum repræ-
sentat : in voluntate , quæ cæteras animæ potentias rapit,
supremum cœlum , quod sibi inferiores ad suum motum uni-
formiter girat : in concupiscibili , firmamentum. Rursus , sep-
tem passionum impulsu , septem varios planetarum motus:
duplici intellectu , possibili nempè , & agente , duo lumina-
ria magna , Solem , & Lunam : quinque sensibus , quinque
errantes stellas præmonstrat. Præcreâ, ut inquit Greg. Magn.
habet commune esse cum lapidibus , vivere cum plantis , senti-
tire cum brutis , intelligere cum Angelis. Denique , idælis
mundi , seu Archetypi , imago , & similitudo est. Hinc homo
delicium Dei Prover. 8. dicitus rectè intelligitur : quoniam
in ejus structura omne studium adhibuit: condens enim mun-
dum dixit tantum , & omnia facta sunt ; hominem formans,
consilium adjectit , faciamus hominem.

137 Amplius prærogativam hominis commendat,
quod omnia propter ipsum facta sunt; ut docet Augustinus P.
Opus-

„ Opuscul. de diligendo Deo dicens: *Totum igitur bonum ho-*
 „ *minis erat: & quod factum est propter ipsum, & propter*
 „ *quod factus est ipse.* Omnia enim, ut ait Apostolus 1. ad
 „ Corinth. 3. nostra sunt, superiora scilicet, & equalia, & infe-
 „ riora. Superiora quidem nostra sunt ad perfruendum, ut
 „ Deus Trinitas: & equalia nostra sunt ad convenientium, sci-
 „ licet Angeli, qui et si modò sunt superiores nobis, in fu-
 „ turo erunt & quales: & inferiora nostra sunt quæ ad usum
 „ nobis sunt, sicut res dominorum dicuntur esse famulorum
 „ non privatione à domino, sed quia sunt *ad usum eorum.*
 Dominum hoc hominis erga creaturas ad atendum eis, ex-
 plicatur egregiè à Mellif. Bernardo serm. 14. in psalm. *Qui*
 „ *habitat, ubi ait: Factamus hominem ad imaginem, & simi-*
 „ *litudinem nostram.* Quid verò postea? Et præstis pescibus
 „ maris, & bestijs terræ &c. Nam & cœlestia fæcile elementa in
 „ usus creasse tuos, antè docuerat. Nempe facta memoran-
 „ tur, ut essent in signa, & tempora, & dies, & annos. Cui
 „ putas? Nulli utique nisi tibi. Ceteræ siquidem omnes crea-
 „ turæ, aut in nullo egēt his omnibus, aut non intelligunt ea.
 „ Quā copiosus in hoc secùdo beneficio, quam liberalissimus
 „ fuit? Quanta igitur largitus est ad sustentationem, quanta
 „ ad eruditionem, quanta ad consolationem, quanta ex hoc
 „ jam ad correptionem, quanta etiam ad delectationem?

138 Infuper præstantia hominis quantum ad dona
 supernaturalia, satis commendatur in Scriptura S. cùm Eccl.
 7. dicitur: *Deus fecit hominem rectum.* Quid exponens Au-
 gustinus P. 14. de Civit. Dei cap. 11. subdit, id est, *bona*
voluntatis; in phrasi autem Augustiniana bonam voluntatem
non facit nisi charitas: unde cùm gratia, & charitate fuit crea-
tus primus homo. Idem docet S. P. 6. de Gen. ad lit. cap. 24.
Sed præcipue audiendus est 14. de Civit. Dei cap. 26. ubi
eleganter describit bonorum affluentiam, & malorum immu-
nitatem, quibus primus homo, ex quo conditus est, donec
peccavit, gaudebat. Dicit itaque ibi: *Vivebat itaque homo*
in paradiso sicut solebat, quandovis solebat quod Deus iuserat.
Vivebat fruens Deo, ex quo bono erat bonus. *Vivebat sine ulla*
egestate: ita semper vivere habens in potestate. *Cibus aderat,*
ne esuriret, lignum vitæ, ne illum senecta dissolveret: nihil
corruptionis in corpore, vel ex corpore ulla molestias ullis
eius.

ejus sensibus ingerebat. Nullus intrinsecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinsecus. Summa in carne sanitas; in anima tota tranquillitas. Sicut in paradyso nullus aestus, aut frigus; sic in ejus habitatore nulla ex cupiditate, vel timore accedebat bona voluntatis offensio. Nihil omnino triste, nihil erat inaniter letum: gaudium verum perpetuabatur ex Deo, in quem flagrabit charitas ex corde puro, & conscientia bona, & fide non facta: atque inter se conjugum fida ex honesto amore societas, concors mentis corporisque vigilia, & mandati sine labore custodia. Non lassitudo fatigabat ociosum, non somnus premebat invitum.

139 Hæc Aug. P. egregie cumulum, & aggregacionem bonorum status justitiae originalis explicans: Quæ sic expendit Ang. Præc. Opusc. 2. cap. 185. Homo, inquit, in sui conditione taliter est institutus à Deo, ut corpus omnino esset anime subjectum; rursumque inter partes anime inferiores vires rationi absque repugnantia subjicerentur, & ipsa ratio hominis esset Deo subjecta. Ex hoc autem quod corpus erat anime subjectum, contingebat, quod nulla passio in homine posset accidere, que dominio anime supra corpus repugnaret; unde nec mors, nec infirmitas in homine locum habebat. Ex subjectione vero inferiorum virium ad rationem erat in homine omnimoda mentis tranquillitas; quia ratio humana nullis inordinatis passionibus turbabatur. Ex hoc vero quod voluntas hominis erat Deo subjecta, homo referebat omnia in Deum, sicut in ultimum finem, in quo ejus justitia, & innocentia consistebat. Horum autem trium ultimum erat causa aliorum; non enim hoc erat ex natura corporis, si ejus componentia considerentur, quod in eo dissolutio, sive quecumque passio vite repugnans, locum non haberet; cum esset ex contrarijs elementis compositum. Similiter non erat ex natura animæ, quod vires etiam sensibiles absque repugnantia rationi subjicerentur; cum vires sensibiles naturaliter moveantur in ea, que sunt delectabilita secundum sensum, que multoties recte rationi repugnant. Erat igitur hoc ex virtute superiori, scilicet Deo, qui sicut animam rationalem corpori conjungit, omnem proportionem corporis & corporearum virtutum, cuiusmodi sunt vires sensibiles, transcendens; ita dedit anime rationali virtutem, ut supra conditionem corporis ipsum continere posset, & vires sen-

sensibiles; secundum quod anima rationali competebat. Ut igitur ratio inferiora sub se contineret, oportebat, quod ipsa firmiter sub Deo contineretur, a quo predictam virtutem habebat supra conditionem nature. Fuit ergo homo sic institutus, ut nisi ratio ejus subduceretur a Deo, neque corpus ejus subdici poterat a nutu anima, neque vires sensibiles a rectitudine rationis: unde quadam immortalis vita, O impossibilis erat; quia felicet, nec mori, nec pati poterat, si non peccaret; peccare vero poterat, voluntate ejus nondum confirmata per adepti-
nem ultimi finis; O sub hoc eventu poterat mori, O pati. Ecce præstantiam primi hominis in sui a Deo emanatione accep-
tam, ex utroque SS. Doct. apprimè explicatam.

140 Ceterum rogaz, cum adeò homo ceteris rebus antecellat, cur postremò omnium conditus sit? Respondeo, quod multipli ex causa. Primo, ut jam dictum est, quia ad ornatum terræ producitur, quæ est infimum elementum. Secundo, quia est perfectior omnibus mundum corporalem constituentibus, & ex usu naturæ ab imperfectis ad perfectio-
ra proceditur. Tertio, quia ut dominus piscium, avium, & terrestrium animalium producitur; & oportebat, ut subditi ejus dominio prævenirent. Quarto, quia omnia propter ipsum creata sunt; finis autem, licet prior sit in intentione, est tamen posterior in executione; O ideo (inquit noster Phi-
lippus loco supra cit.) cunctis, que ante eum, O propter eum fecerat, sic prefecit, quemadmodum fructus arbori judi-
cio cultoris antefertur, cum in illius cultura, nisi propter pos-
ma, ejusdem cultoris diligentia non adfertur. Homo igitur,
propter quem mundus factus est, ipsius mundi quodammodo
fructus est; causa quidem, O utilitate prior, quamvis pos-
terior tempore; sicut ponum longè utilius, et si posteriorius, pro-
cedit ex arbore. Quinto, quia Deus mundum condidit, ut ho-
minis regiam, ut ex Aug. P. art. 3. dictum est; & propterea
novissimus omnium homo fuit productus; cui mundus, ut
habitatio, & amplissimum ejus imperium; cuius pavimen-
tum, terra floribus decorata; cuius piscine, maria, lacus;
cuius columnæ, montes & colles; cuius regumentum aura-
tum, cœlum; cuius lumina magna & parva, Sol, Luna, &
stelle; cuius subditi, animantia omnia; cujas pabulum her-
ba edet. Hanc rationem dedit Gregorius Nazian, orat. in

nov. Domin. dicens: *Nil verò mirum, si homo novissimus prolatus est manus Dei, & imagine decoratus: oportebat enim, tamquam Regi, prius regiam constituere; & ita demum Regem, omnibus jam stipatum, introducere.* Tandem, quia homines quædam media est inter creaturas pure spirituales, & corporales; proindeque ab utroque extremo participans.

141 Cùm ergo omnibus recensitis prærogativis insignitus fuerit à Deo conditus primus homo, optimè infert M. Basil. hom. 10. in Hexam: *Brudire igitur hinc, ô homo, & disce, quanti unus tu existimandus venias.* Neque enim generationem tuam velut pretij vulgaris, communi creaturarum mandato censuit attexendam. In Deo prægreditur consultatio, quemadmodum tantum hoc animal provehi debeat ad vitam; faciamus ait: en consultat sapiens, & quid secum statuerit artifex, proponit decernendum. Reverendum, subdit Petrus Damianus, revera privilegium, nec ulli traditum creature. Creatur illa sublimior numero sitas Angelorum, & elementorum omnium ordinatur variata connexio; sed omnipotentis præsentia opus tantum alta taciturnitate prospicit. Ut verò venit ad hominem, & nobilis creatura disponitur; accingit se Trinitas ad creandum, & consilium accipit Sapientia, ut creature dignitas, creatoris privilegio clara esse monstretur. His præmissis, verba quibus hominis creatio describitur, perscrutemur.

142 FACIAMUS HOMINEM. Primo rejiciendus occurrit hic error Platonis in Thimæo, & Philonis in de mundi opificio, qui dixerunt, quodly *faciamus*, denotat Dei cum Angelis, tamquam cooperatoribus suis in hominis productione, locutionem. Contra quem errorem vide ex Aug. P. dicta num. 116. Et insuper ex contextu Moysis manifeste colligitur, solum Deum fuisse hominis Auctorem; dicitur enim ibi: *Et creavit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam:* & rursus Eccles. 17. dicitur: *Deus de terra creavit hominem.*

143 Dicitur ergo hic *faciamus*, eidem, cui antea dictam fuerat fiat, scilicet Verbo; ut docet Augustinus P. in Imperfet. de Gen. ad lit. cap. 16. dicens: *Cui autem nunc dictum est, faciamus, nisi cui dicebatur in ceteris, fiat?* Omnia

nia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.
 Dicitur autem in productione hominis *faciamus*, in ceteris
 autem *fiat*; ut ipse homo, propter quem facta est Scriptura,
 cum in ea sui a Deo emanationem legeret, cognosceret, quod
 ea, quae Filius dicente Patre facit, etiam ipse Pater facit. Sic
 Aug. P. loco proxime citato, dicens: *An omnia, que facit*
Pater, per Filium facit: & ideo nunc faciamus dictum est,
ut ipsi homini, propter quem Scriptura facta est, ita in se
ipso demonstraretur, ea quae Filius dicente Patre facit, etiam
ipsum Patrem facere: ut quod in ceteris dicebatur, fiat, &
factum est, hic exponatur, non separatim fuisse dictioinem,
& separatim effectiōnēm, sed utrumque simul, cum dici-
tur hic, faciamus?

144 Dicitur ulterius *faciamus*, ad insinuandam
 Trinitatem Personarum in Deo, cuius Trinitatis in essen-
 tia unitas infra declararetur, cum dicitur: *Et fecit Deus ho-*
mīnem ad imaginem suam. Sic Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap.
19. dicens: Nunc tamen, ut opera sex dierum nostra inqui-
sito pertractatioque concludat, hoc primum breviter dici-
mus, non indifferenter accipiendum quod in alijs operi-
bus dicitur, dixit Deus fiat; hic autem dixit Deus: facia-
mus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram: ad
insinuandam scilicet, ut ita dicam, pluralitatem persona-
rum propter Patrem, & Filium, & Spiritum S. Quam ta-
men Deitatis unitatem intelligendam statim admoneat di-
cens, & fecit Deus hominem ad imaginem Dei: non quasi
Pater ad imaginem Filii, aut Filius ad imaginem Patris;
alioquin non verè dictum est, ad imaginem nostram, si ad
Patris solius, aut Filii solius imaginem factus est homo: sed
ita dictum, fecit Deus ad imaginem Dei, tamquam dicere-
tur fecit Deus ad imaginem suam. Cum autem nunc dicitur,
ad imaginem Dei, cum superius dictum sit, ad imaginem
nostram: significatur, quod non id agat illa pluralitas per-
sonarum, ut plures Deos, vel dicamus, vel credamus, vel
intelligamus: sed Patrem, & Filium, & Spiritum S, prop-
ter quam Trinitatem dictum est, ad imaginem nostram,
unum accipiamus Deum, propter quod dictum est ad ima-
ginem Dei.

145 Denique, congrue dictum intelligitur, *facia-*
miss,

¹⁷²⁴⁵, ad ostendendam hominis dignitatem, & præstantiam, ut ex Aug. P. dictum est, & ulterius docent Magn. Greg. & D. Thomas, quorum ille lib. 9. Moral. cap. 9. dicit: *Cum
,, hominem facere decrevit, hoc, quod reverenter pensandum
,, est, præmittit dicens, faciamus hominem ad imaginem, &
,, similitudinem nostram, &c. ut videlicet, quia rationalis
,, natura condebatur, quasi cum consilio facta videretur. Qua-
,, si per studium de terra plasmatur, & inspiratione condito-
,, ris, in virtute spiritus vitalis exigitur: ut scilicet, non per
,, fusionis vocem, sed per dignitatis operationem existeret,
,, qui ad conditoris imaginem fibat.* Et S. Thom. 1. p. q. 92.
,, art. 4. ad 1. *Dicendum*, inquit, *quod sicut Augustinus dicit
,, in 6. super Gen. ad lit. cap. 12. non in hoc præminet ho-
,, mo alijs rebus, quod Deus fecit ipsum hominem, quasi alia
,, ipse non fecerit, cum scriptum sit: Opera manuum tuarum
,, sunt cœli; & alibi: Aridam fundaverunt manus ejus; sed in
,, hoc, quod ad imaginem Dei factus est homo. Utitur tamen
,, Scriptura in productione hominis speciali modo loquendi,
,, ad ostendendum quod alia propter hominem facta sunt. Ea
,, enim, quæ principaliter intendimus, cum majori delibera-
,, tione, & studio *confuevimus facere*. Idem habes in verbis
D. Basili, & Petri Damiani.*

¹⁴⁶ HOMINEM. In primis his productionis homini-
nis verbis accipiendus est homo procedens in rationibus
idealibus ejusdem, sicut de alijs mixtis dictum est art. 3. In
repetitione autem productionis ejusdem emanatio in mente
Angeli, & in propria natura. Et nota, quod simul in hac
voce *homo* intelligitur, & comprehenditur mulier, quæ por-
tio viri est, & satis innuunt verba illa Moysis infra subjunc-
ta: *Masculum, & fæminam creavit eos.*

¹⁴⁷ AD IMAGINEM, ET SIMILITUDINEM NOS-
TRAM. Circa imaginem sciendum est primò ex Aug. P. lib.
83. qq. q. 51. *Quod ubi est imago, continuo est similitudo, sed
ubi est similitudo, non continuo est imago.* Ex quo patet (in-
quit S. Thom. 1. p. q. 93. art. 1. in corpore) quod simili-
tudo est de ratione imaginis, & imago aliquid addit supra
rationem similitudinis, scilicet, quod sit ex alio expressum.
Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem al-
terius. Unde ovum quantumcumque sit alteri oyo simile,

„ & aquale, quia tamen non est expressum ex illo, non dici-
 „ tur ad imaginem ejus. Aequalitas autem non est de ratione
 „ imaginis; quia ut Augustinus ibidem dicit, ubi est imago,
 „ non continuo est equalitas, ut patet in imagine alicujus in
 „ speculo relucente: est tamen de ratione perfectæ imaginis;
 „ nam in perfecta imagine non deest aliquid imagini, quod
 „ insit illi, de quo expressa est. Manifestum est autem, quod
 „ in homine invenitur aliqua Dei similitudo, quæ deducitur
 „ à Deo, sicut ab exemplari: non tamen est similitudo secun-
 „ dum aequalitatem; quia in infinitum excedit exemplar hoc
 „ tale exemplatum. Et ideo in homine dicitur esse imago
 „ Dei, non tamen perfecta, sed imperfecta. Et hoc significat
 „ Scriptura, cum dicit, hominem factum ad imaginem Dei;
 „ præpositio enim ad accessum quemdam significat, qui com-
 petit rei distanti.

148 Idem docet S. Doct. quantum ad hoc ultimum,
 i. p. q. 35. art. 11. ad 3. dicens: *Ad designandum in hominie*
imperfectionem imaginis, homo non solum dicitur imago, sed
ad imaginem, per quod motus quidam tendentis in perfectio-
nem designatur. Sed de Filio Dei non potest dici, quod sit ad
imaginem, quia est perfecta Patris imago. Doctrinam hanc
desumpsit D. Thom. ex Aug. P. lib. 7. de Trinit. cap. 9. ubi
ait: Non omnino aequalis siebat illa imago Dei, tanquam non
ab illo nata, sed ab eo creata, hujus rei significandæ causa, ita
imago est, ut ad imaginem sit, id est, non aequatur parilitate,
sed quadam similitudine accedit.

149 Sciendum etiam ex D. Thom. i. p. q. 93. art.
 4. quod cum homo secundum intellectualem naturam ad ima-
 ginem Dei esse dicitur, secundum hoc est maximè ad imaginem
 Dei, secundum quod intellectualis natura Deum maxime imi-
 tari potest. Imitatur autem intellectualis natura maxime
 Deum, quantum ad hoc quod Deus se ipsum intelligit, & amat.
 Unde imago Dei tripliciter potest considerari in homine. Uno
 quidem modo secundum quod homo habet aptitudinem natura-
 lem ad intelligendum, & amandum Deum. Et haec aptitu-
 do consistit in ipsa natura mentis, que est communis omnibus
 hominibus. Altero modo secundum quod homo actu, vel ha-
 bitu Deum cognoscit, & amat, sed tamen imperfectè.
 Et hac est imago per conformitatem gratiae. Tertio modo
 secundum

Secundum quod homo Deum actu cognoscit, & amat perfecte. Et sic attenditur imago secundum similitudinem glorie. Unde super illud psalm. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, Glossa distinguit triplicem imaginem, scilicet creationis, & recreationis, & similitudinis. Prima ergo imago invenitur in omnibus hominibus: Secunda, in iustis tantum: Tertia vero, solum in beatis. Habemus ergo ex utroque SS. Doct. quod homo est imago Dei, quia est in illo similitudo expressa a Deo; non tamen perfecta, quia summa excedit exemplaris perfectio exemplati excellentiam, & dignitatem: ad quod significandum signanter dictum est in Scriptura Sacra, quod homo est ad imaginem Dei factus, hoc est, non perfecta imago, sed imperfecta; quia imperfectio per prepositionem ad denotatur, significat enim motum tendentis ad perfectionem. Habemus insuper ex D. Thom. quod secundum multiplicem similitudinem hominis ad Deum, & modum imitandi ipsum, multipliciter etiam dicitur imago Dei; tripliciter nempe, & secundum quod homo habet aptitudinem naturalem ad intelligendum, & amandum Dei, quae omnibus hominibus inest. Secundo in quantum competit ei cognoscere, & amare Deum in ordine supernaturali, sed tamen imperfecte, & hoc competit homini justo, qui sicut dicitur Filius Dei, sic etiam in hoc ordine est imago ipsius. Tercio denique, secundum quod perfecte, & actu intelligit, & amat Deum: & haec similitudo propriæ est beatorum, juxta illud Joan: Similes ei erimus, quia similebimus eum sicuti est. Ex his modis similitudinis, & imaginis, solum duo primi competebant homini in prima sui conditione, & sic intelligitur homo ad imaginem Dei factus.

150 Sed ex his inferri videtur, quod postquam homo dictus est ad imaginem Dei conditus, superflue addi videatur, quod ad similitudinem Dei sit creatus; quippe ipsa imago similitudinem importare ex dictis Aug. P. & D. Thom, manifestum est. Ceterum aliquid addere imaginis præmissæ ipsam similitudinem in litera Moysis, dicendum arbitror ex „ August. P. lib. 83. q. 51, dicente: Sunt qui non frustra „ intelligunt, duos dicta esse, ad imaginem, & similitudinem, „ cum si una res esset, unum nomen sufficere potuisset. Duo er-


ergo significata habent ly ad imaginem, & ly similitudinem. Quæ autem illa sint, ut determinemus, sciendum ex D. Thom. I. p. q. 93. art. 9. in corp. quod similitudo potest considerari dupliceiter in imagine; primò ut præambula ad imaginem, in quantum est communior, quam imago. Secundò, ut pedis equa, in quantum significat quādam imaginis perfectionem. Dicitur enim alicujus imaginem esse similem, vel non similem ei cuius est imago, quia perfectè, vel imperfectè representat ipsum. Unde duplice modo potest similitudo ab imagine distingui, scilicet, ut præambula ad ipsam, in quantum scilicet, ratio communis, & superior ab inferiori ipsam determinante distinguitur. Secundò, in quantum pedis equa ad imaginem, supponens ipsam, addensque eidem perfectionem. Diximus autem ex D. Thom. quod tripliciter dici potest in homine imago Dei, scilicet, secundum naturam mentis, & liberi arbitrij communis omnibus hominibus; & secundum dona gratuita in via imperfectè aptitudinem ad cognoscendum & amandum Deum importantiam; & denique, secundum perfectam cognitionem & amorem Dei. Ex his autem prima imago etiā similitudinem importet, secunda additæ primæ perfectionem, & tertia utriusque.

151 Dicimus ergo, quod similitudo imagini addita in litera Moy^ses, non est similitudo imagini præambula, sed ad ipsam subsecuta, addensque imaginis, quæ attenditur secundum liberum arbitrium, quæ est communis omnibus hominibus, similitudinem, & imaginem secundum dona gratuita ordinis supernaturalis: *Erat enim Deus, ut inquit Aug. P. simul condens nataram, & largiens gratiam.* Cū ergo homo sit ad imaginem Dei secundum naturam, & in ordine gratiæ, convenienter Moyses postquam dixerat, hominem ad imaginem Dei creatum, addidit imagini similitudinem, ad denotandam duplē recensitam rationem imaginis: & congruē etiam nomine similitudinis secundam rationem imaginis, nempe secundum dona gratuita, expressit; quia majorem similitudinem præferebat ad Deum secunda imago, quam prima, addit enim primæ similitudini plurima ornamenta gratiæ, donorumque supernaturalium, & venustatem status innocentia, supra ex utroque SS. Doct. explicatam. Sententia hæc manifestè docetur à Mellif. Doct. serm. 1. de Annuntiatione, di-

,, cente: *Ad imaginem, & similitudinem Dei factus est homo;*
 „, in imagine arbitrij libertatem, virtutes habens in similitu-
 „, dine; & similitudo quidem petijt, veruntamen in imagine
 „, pertransit homo: *imago siquidem in gehenna ipsa ura po-*
 „, *test, non exuri; ardere, non deleri.* Non ergo idem signifi-
 „, cant in litera Moysis *ly ad imaginem*, & *ly ad similitudinem*,
 ac per consequens nihil superfluum in litera Moysis inven-
 tur; quinim duplex utriusque vocis significatum ab Aug.
 Bernardo, & Ang. Præc, convenientissimè excogitatur.

152 NOSTRAM. Hoc est, non Patris tantum, aut
 Filij, aut Spiritus S. solum, sed totius Trinitatis, ut docet
 Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 19, dicens: *Non quasi Pater*
 „, *ad imaginem Filij, aut Filius ad imaginem Patris, alioquin*
 „, *non verè dictum est, ad imaginem nostram, si ad Pa-*
 „, *tris solius, aut Filiij solius imaginem factus est homo.*

153 ET PRÆSIT PISCIBUS MARIS &c. In his om-
 nibus absolutè significatur principatus, & dominium homi-
 nis respectu omnium animalium, ut constat ex dictis SS. PP.
 supra hominis dignitatem explicando, adductis. At si consi-
 derentur ista verba, ut relata ad immediate antecedentia, de-
 notant, quod homini convenit principatus erga animalia, ex
 eo quod est ad imaginem Dei factus, ut docet Aug. P. 3. de
 Gev. ad lit. cap. 20, dicens: *Hic etiam illud non est præ-*
 „, *terconfum, quia cum dixisset, ad imaginem nostram, sta-*
 „, *tus subiunxit, & habeat potestatem piscium maris, & vo-*
 „, *latilium cœli, & cæterorum animalium rationis expertium;*
 „, *ut videlicet intelligamus, in eo factum hominem ad*
 „, *imaginem Dei, in quo irrationalibus*
animantibus anten-
cellit.



VERSIGULUS VIGESIMUS SEPTIMUS
exponitur.

ET CREAT DEUS HOMINEM AD IMAGINEM SUAM: AD IMAGINEM DEI CREAT ILLUM. MASCULUM, ET FEMINAM CREAT EOS.

Quid sit in hac creationis hominis repetitione intelligendum, ex Aug. P. art. 3. & 5. explicatum est. Dic-tum etiam est ad versiculum primum, & vigesimumprimum, quod verbum *creare* in praesenti non sumitur in rigorosa significatione, pro rei ex nihilo productione; sed large, pro formatione ex prejacente materia. Explicatum etiam est, quid significet illud ad *imaginem Dei*. Illud denique, *masculum*, & *femina* *creavit eos*, dictum est, ne quisquam putaret, solum hominem spiritualem & interierem sexto die fuisse produc-tum; ut docet Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 22. dicens: *Ne quisquam putaret, solum spiritum hominis factum, quamvis secundum solum spiritum fieret ad imaginem Dei, fecit illum, inquit, masculum, & feminam, ut jam etiam corpus factum intelligatur.*

155 Dubitari hic potest, cur hic masculum, & fœminam determinaverit Moyses, cum in prima hominis produktione solum hominem in singulari memoraverit? Respondeo, quod prius in singulari productio hominis memoratur, propter coniunctionis unitatem, & quia de viro mulier facta est, & denique ne quisquam arbitraretur, in homine singulari utrumque sexum factum. Sic Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 22. dicens: *Rursus ne quisquam arbitraretur ita factum, ut in homine singulari uterque sexus exprimeretur, sicut interdum nascentur, quos androginos vocant, ostendit se singularem numerum propter coniunctionis unitatem posuisse. Et quod de viro mulier facta est, sicut postea manifestabitur, cum id quod hic breviter dictum est, diligentius cōsperit explari: & ideo pluralem numerum continuo subjecit, dicens: fecit eos, & benedixit eos.* Et nota, quod masculus, & femina hic memoran-tur facta, cum tamen semina, non nisi post aliquod tempus à

creatione hominis fuerit ex costa Adæ ædificata, ut constat ex dictis art. 3. num. 61. & 76. & seq. Hoc autem confirmat Aug. P. positionem ibi statutam, quod nimirum aliter producuntur tunc primi homines, aliter postea; tunc causaliter, potentialiter, & seminaliter; post verò adiu, & formaliter, ut cit. art. 3. conclus. 1. fuisse ostensum est.

S. XXIII.

VERSICULUS VIGESIMUS OCTAVUS
exponitur.

BENEDIXITQUE ILLIS DEUS, ET AIT: CRESCITE,
ET MULTIPLICAMINI, ET REPLETE TERRAM,
ET SUBIICITE EAM, ET DOMINAMINI PI-
CIBUS MARIS, ET VOLATILIBUS COELI, ET
UNIVERSIS ANIMANTIBUS, QUÆ MOVENTUR SUPER TER-
RAM. Quid Dei benedictio significet, & cur hominis produc-
tioni adjungatur, non autem pecorum, suprà ad versum 25.
ex Aug. P. dictum est; quia scilicet, homo longè præstantio-
ris erat naturæ, quam animantes, cum ad imaginem Dei con-
ditus sit: & ut in officio gignendi filios omnis tolleretur pec-
cati suspicio, ijs nimirum, qui legitimo matrimonio sunt
coniuncti; & tandem quia benedictio hominibus communi-
cata, animalia etiam ejusdem diei complectebatur. Et scien-
dum, quod illud crescite, & multiplicamini, quidam intelle-
xerunt de augmento, & multiplicatione spirituali, secundum
illud psalmi: *Multiplicabis in anima mea virtutem.* At Augus-
tinus P. 14. de Civit. Dei cap. 22. intelligit de dono nuptia-
rum, dicens: *Sed sicut evidentissimè apparet in diversi sexus*
*corporibus, masculum, & feminam ita creatos, ut prolem ge-
nerando, crescerent, & multiplicarentur, & implerent terram:*
enī sententia tam evidenti, magne absurditatis est reluctari.
Neque enim de spiritu qui imperat, & carne que obtemperat;
aut de animarationali, que regit, & irrationali cupiditate,
que regitur: aut de virtute contemplativa que excellit, & de
*activa que subditur: aut de intellectu mentis, & sensu corpo-
ris: sed aperte de vinculo conjugali, quo iavicem sibi uterque*
*sexus obstringitur, Dominus interrogatus, utrum licet quacum-
que*

que ex causa dimittere uxorem? Respondit, atque ait: Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori sue, & erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una earo; quod ergo Deus coniunxit, homo non separat. Certum est igitur masculum & feminam ita primitus institutos, ut nunc homines duo diversi sexus videamus, & novimus. In ceteris verbis dominium, & principatus hominis, de quo suprà, repetitur.

G. XXIV.

VERSICULUS VIGESIMUSNONUS,
& trigesimus exponuntar.

DIX ITQUE Deus: ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quae habent in semet ipsis semente genitris sui, ut sint vobis in escam: & cunctis animalibus terra, omniisque volucri cœli, & universis, quae mouentur in terra, & in quibus est anima vivens, ut habeant ad vesendum. Et factum est ita. In his duobus versiculis nullus, apparet offendiculum in intelligentia literæ Moysis; manifestum est enim, quod cibus hominibus, & universis animalibus, à Deo provissus, intimatur: quapropter aliqua duntaxat notatu digna adjiciam. Sciendum est igitur primo, quod illud ecce dedi vobis, emphasis habet; significat enim, quantam Deus providentiam, & curam geserit hominis, & animalium, quibus protinus omnia, quæ necessaria, vel opportuna, & commoda erant ad vivendum donaverit. Observandum eriam, quod in hoc, quod ligna ad escam dedit Deus hominibus, satis aperte innuere videtur Moyses, quod arbores cum fructibus creaverit Deus; neque enim arbores sine fructibus comedenter primi homines. Sed tamen per anticipatam locutionem hoc die arbores inserviantur productæ cum fructibus, ut constat ex dictis art. 3. conclus. i. præcipue in solut. argum. Observandum insuper est, quanta in statu innocentia futura esset hominum in victu simplicitas, atque frugalitas; ut perspectum habeatur, quod tam multa, & varia;

quæ deinceps in cibo & potu quæsita , & reperta sunt , vel infirmitas , vel intemperantia hominum adinvenerit ; cùm in illo primo statu tenuitate herbarum , & fructuum arborum duntaxat homines essent contenti .

158 Dubitabis cum Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 21: *Quomodo homo immortalis factus sit , & acceperit escam cum alijs animalibus herbam pabuli ferentem semen , & lignum fructiferum & berbam viridem ? Si enim peccato mortalis effectus est , utique ante peccatum non indigebat talibus cibis : neque enim posset illud corpus fame corrumpi . Difficilem esse hujus dubij solutionem , fatetur Aug. P. ibi : solvit tamen illam ; cujus responsio ad hoc reducitur , quod ciborum refectio optimè cum immortalitate componitur . Verba August. P. sunt : Sed non etiam hoc quisquam dicere audebit , ciborum indigentiam , quibus reficiebantur , nisi mortalibus corporibus esse non posse . Solutio hæc Aug. P. ex eo solidè apparet , quod Christus Dominus à mortuis surrexit immortalis ; Christus enim resurgens ex mortuis jam non moritur , mors illi ultrà non dominabitur , ut dicitur ad Rom. 6. ¶ 9. & nihilominus post resurrectionem cum discipulis manducavit , & bibit , ut legitur Act. 10. ¶ 40. & 41 : *Hunc Deus suscitavit tertia die , & dedit eum manifestum fieri , non omnī populo , sed testibus preordinatis à Deo : nobis , qui manducavimus , & bibimus cum illo , postquam surrexit à mortuis : ergo nus ciborum non est in manducante mortalitatis argumentum . Benè verum est , quod post mortem Christus Dominus non ex indigentia , & necessitate manducavit cum Apostolis ; sed ut ipsos de se certiores efficeret . At primi parentes aliter erant immortales in statu innocentia , & Christus D. post resurrectionem ; unde potuerunt ex indigentia cibum sumere .**

159 Pro quo sciendum est ex D. Thoma r. p. q. 97. art. 1. in corp. quod aliquid potest dici incorruptibile tripli-citer . Uno modo ex parte materia , eò scilicet , quod vel non habet materiam , sicut Angelus , vel habet materiam , quæ non est in potentia , nisi ad unam formam , sicut corpus cœlestis : & hoc dicitur secundum naturam incorruptibile . Alia modo dicitur aliquid incorruptibile ex parte forme , quia scilicet , rei corruptibili per naturam inheret aliqua dispositio , per quam totali-

429

ter à corruptione prohibetur: & hoc dicitur incorruptibile secundum gloriam; quia ut dicit Aug. in epist. ad Diosc. tam potenti natura Deus fecit animam, ut ex ejus beatitudine redundet in corpus plenitudo sanitatis, & incorruptionis vigor. Tertio modo dicitar aliquid incorruptibile ex parte cause efficientis: & hoc modo homo in statu innocentia fuisset incorruptibilis, & immortalis; quia ut Aug. dicit in lib. de qq. nov. & veter. Testam. Deus hominem fecit, qui quandiu non peccaret, immortalitate vigeret, ut ipse sibi auctor esset aut ad vitam, aut ad mortem. Non enim corpus ejus erat indissolubile per aliquent immortalitatis vigorem in eo existentem; sed inerat anime vis quedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praservare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset.

160

Aliter ergo Christus D. immortalis erat, & incorruptibilis post resurrectionem; quia scilicet, erat in ea aliqua dispositio redundans ex ejus beatitudine in corpus tribuens ipsi sanitatis & incorruptionis vigorem: aliter primus Parens, scilicet, ex parte causa efficientis; quatenus à Deo supernaturaliter donata erat anima ipsius vis quadam, per quam poterat corpus ab omni corruptione praservare, non quidem quod vis illa, intransitivè ad aliud, esset vigor preservativus à corruptione corporis; sed quia ratione illius poterat corpus optimè regere, & quæ erant ad restaurandam deperditionem humidi per actionem caloris naturalis necessaria quadrere, de omnibusque incorruptioni necessarijs providere. Unde ut ex Aug. P. supra diximus: cibus aderat, ne esuriret; potus, ne sitiret; & lignum vita, ne senectus eum dissolveret. Ex quibus patet, quod immortalitas primi hominis in statu innocentie non obserat, quominus cibis uteretur, ut ad vitæ conservationem necessarijs. Pro quo amplius vide D. Thom. loco citato art. 3. & 4.

161

Et PACTUM EST ITA. Notandum ex Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 23. quod hæc verba non debent referri ad omnia superius relata, quasi illa omnia actu & secundum visibiles species fuerint hac die producta. Verba „ Aug. P. ibi sunt: Nunc animadvertisendum est, quod posita „ quam dixit, & sic factum est: statim subjecit, & vidit Deus „ omnia & quæ fecit, & ecce bona valde: Ubi intelligitur po-

, testas , & facultas ipsa data naturæ humanae sumendi ad et
 „ cam pabulum agri , & fructus ligni. Ad hoc enim intulit,
 „ & sic est factum : quod ab illo loco inchoaverat , ubi ait:
 „ Et dixit Deus, ecce dedi vobis pabulum seminale &c. Nam
 „ si ad omnia , quæ suprà dicta sunt , retulerimus quod ait,
 „ & sic est factum : consequens erit , ut confiteamur , etiam
 „ crevisse illos jam , & multiplicatos implevisse terram in eo-
 „ dem sexto die , quod , eadem Scriptura testante, post mul-
 „ tos annos factum invenimus.

§. ULTIMUS.

VERSICULUS ULTIMUS EXPONITUR.

162 **V**IDITQUE DEUS CUNCTA , QUÆ FECERAT , ET
 ERANT VALDE BONA. ET FACTUM EST
 VESPERE , ET MANE DIES SEXTUS. Jam se-
 pè diximus , hæc & similia verba approbatio-
 nem operis facti significare ; hic tamen occurrit difficultas ,
 cur anteà de quolibet opere seorsim dixerit Moyses : vidit
 Deus quòd esset bonum ; nunc autem de omnibus simul , quòd
 erant valde bona? Causam hujus differentiæ optimè assignavit
 Aug. P. 3. de Gen. ad lit. cap. 24. dicens : Non enim frus-
 tra est additum , valde ; quia corporis membra etiam si sin-
 gula pulchra sunt , multò sunt tamen in universi corporis com-
 page omnia pulchriora. Quia oculum v.g. placitum , atque lau-
 datum , tamen si separatum à corpore videremus , non dicere-
 mos tam pulchrum , quam in illa connexione membrorum cum
 loco suo positus in universo corpore cerneretur.

163 Occurrit etiam difficultas , cur homo seorsim
 post sui productionem non approbetur à Deo , sicut in eadem
 die bestiæ & pecora approbantur , & in quolibet alio die cæ-
 teræ creaturæ ; maximè cùm homo præ cæteris ad imaginem
 Dei sit conditus ? Movet hanc quæstionem Aug. P. loco
 proximè cirato , & postquam aliquas rationes , ab ipso dispu-
 tative assignatas , insufficientes ibi reputaverat , in eam tan-
 dem videtur propondere , quòd licet homo , quippè opus
 Dei , cuius perfecta sunt opera , perfectus etiam à Deo evase-
 rit ; quia tamen praticiebat Deus ipsum mox peccaturum;
 prop-

propterea videtur Moyses reticuisse ipsius approbationem seorsim, ut quodammodo insinuaret, statim futurum, ut Deo per peccatum displiceret. Verba Augustini sunt: *An quia præstiebat Deus hominem peccaturum, nec in sue imaginis perfectione mansurum, non singillatim, sed cum ceteris eum dicere voluit bonum, velut intimans quid esset futurum? Quia cum ea, quæ facta sunt, in eo quod facta sunt, quantum accepérunt, manent: sicut vel illa, quæ non peccaverunt, vel illa quæ peccare non possunt: & singula bona sunt, & in universo bona valde sunt::: Ea verò, quæ peccando amittunt decus proprium; nullo tamen modo efficiunt, ut non etiam ipsa rectè ordinata cum toto, atque universo bona sint. Homo igitur ante peccatum, & suo genere utique bonus erat: sed Scriptura prætermisit hoc dicere, ut illud potius diceret, quod futurum aliquid prænuntiaret.* Non enim falsum de illo dictum est. *Quia enim singillatim bonus est, magis utique cum omnibus bonus est.* Non autem quando cum omnibus bonus est, sequitur, ut etiam singillatim bonus sit. *Moderatum est itaque ut diceretur, & quod in presenti verum esset, & præscientiam significaret futuri.* Deus enim naturarum optimus conditor, peccantium verò justissimus ordinator est: ut etiam si qua singillatim sunt delinquendo deformia, semper tamen cum eis universitas pulchritudinam, cur Moyses silentio præterierit hominis approbationem singillatim; & unicè addere videntur doctrinam inter Theologos communem, ex Aug. haustam, quod nimis, licet Deus mala, & peccata non approbet, illa tamen justissimè ordinat, & cum eisdem sic ordinatis universitas pulcherrima est.

¹⁶⁴ Habet hanc doctrinam Augustinus P. lib. 11. de Civit. Dei, cap. 18. ubi pulchritù explicat commixtionem bogorum, & malorum in mundo ad ejus ornatum, & pulchritudinem pertinere: *Neque enim, inquit, Deus ullum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset; nisi pariter nosset quibus eos bonorum nisibus commodaret, atque ita ordinem seculorum, tamquam pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam quæ si antithetis honestaret. Antitheta enim, quæ appellantur in ornamentis eloctionis, sunt decentissima, quæ latine*

appellantur opposita, vel quod expressius dicitur, contra-
posita. His antithetis etiam Paulus Apost. in 2. ad Cor. 6.
epist. illum locum suaviter explicat, ubi dicit: Per arma
justitiae à dextris, & à sinistris, per gloriam, & ignobilita-
tem, per infamiam, & bonam famam, ut seductores, &
veraces &c. Sicut ergo ista contraria contrarijs opposita
sermonibus, pulchritudinem reddunt: ita quadam non ver-
borum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione
sæculi pulchritudo componitur. Apertissimè hoc positum
est in libro Ecclesiastici hoc modo: Contra malum bonum
est, & contra mortem vita. Sic contra piuum peccator. Et
sic intuere in omnia opera Altissimi bina, & bina, *unum*
contra unum. Hæc Aug. P. pulchritudinem Universo ex op-
positione, & contradictione rerum provenientem, pulchre
explicans. Decor autem, & venustas ex mira creaturarum ad
invicem consonantia, & discordi concordia Universo accres-
cens, eleganter explicata manet ex N. Joanne Zanh art. 3. §
num. 37. Et factum est vespere, O' mane dies sextus. Satis
in disputatione ad mentem Aug. P. examinavimus horum ver-
borum significationem, quibus nihil in præsenti occurrit ad-
dendum.

Hæc habui, quæ in expositionem 1. cap. Gen. ex M.D.
Aug. pro virium mearum tenuitate proferrem. Plurima sanc-
& maxima discussione digna, examinanda restant: sed quia non
cam ex litera hujus cap. quam ex sequentibus dubitandi ra-
tionem sibi vendicant, literæ 1. cap. innixus, omitienda duxi.
Hæc verò pauca, quæ scripsi, in Dei, ejusdemque Genitricis
Marie laudem, in M. P. & Legislatoris N. Aug. gloriam, in
Augustinianæ doctrinæ obsequium, in Aug. discipulorum uti-
litatem dicta sint. Et ut qui cœpit, ipse perficiat, aucteis verbis,
quibus Augustinus libros de Trinitate concludit, Opusculo
coronidem imponam: Domine Deus Unus, Deus Trinitas,
quæcumque dixi hic de tuo, agnoscant O' tui:
si quæ de meo, O' tu ignosce,
O' tui. Amen.





INDEX RERUM, QUÆ IN HOC OPUSC. CONTINENTUR.

A

Aëris cur nō meminet Moy.
fol. 388. n. 93.

Alegorie fructus post sensum
literalem capitut. fol. 16.
num. 22.

Affirmandi temeritas in re-
bus difficillimis Script. S.
fugienda, fol. 3.

Anima hominis 6. die in
aliquo simili secundum ge-
nus producta. fol. 63. n.
94. & seq.

Anima quoad unionem edu-
citur de potentia materiæ,
fol. 68. n. 100.

Anima continetur in poten-
tia materiæ quoad in esse,
non quoad esse. fol. 69.
n. 101.

Animæ duplex conceptus. fol.
69. n. 102.

Anima quomodo pertineat
ad mundi constitutionem.
fol. 276. n. 436.

Ambroſij rationes diluun-

tur. fol. 133. n. 204.
Animalia terrestria cur 6. die
cum homine producātur?
fol. 409. n. 128.

Animalia terrestria, & homo
ex qua materia? fol. 409.
n. 128.

In animalium terrestrium pro-
ductione cur dicam, pro-
ducat terra animam vi-
ventem; in product. autem
avium, & piscium, produ-
cat aquæ reptile animæ vi-
ventis? f. 409. n. 129.

Animalia noxia, & superflua
quomodo tandem ad uti-
litudinem hominis ordinata?
fol. 413. n. 134.

Angelus.

Angeli simul cum corpori-
bus cœlestibus fuerūt crea-
ti. f. 80. n. 118.

Non constituant per se unum
Universum. fol. 96. num.
144.

Sunt partes integrates mun-
dum.

dum. fol. 99. n. 149.

Se habent in mundo , sicut partes in corpore humano. fol. 101. n. 152.

Congruè cœli nomine significantur. fol. 120. n. 184. & fol. 342. n. 16. & deinceps.

Primò omnium à Deo creantur, & curi f. 161. n. 253. & deinceps.

Sunt Imago Dei &c. f. 163. n. 253.

Sunt secundi splendores primi splendoris administrati. f. 168. n. 264.

In gratia fuerunt creati. fol. 163. n. 265. & seq.

Non fuerunt creati in beatitudine supernaturali. fol. 170. n. 267 & deinceps.

Creati fuerunt in beatitudine naturali. f. 170. n. 268.

Cognoscunt res in Verbo naturali cognitione, sed imperfecte. f. 185. n. 295.

Sunt expertes omnis materię. f. 195. n. 317.

Non sunt suum esse , vel intelligere. fol. 196. n. 318.

Discrimen inter bonos , & malos. f. 198. n. 322.

Habuerunt à principio notitiam omnium rerum. fol. 199. n. 323.

Cognoscendo se, simul omnia quodammodo cognoscunt. f. 227. n. 364.

Possunt simul habere plures

cognitiones diversæ rationis. f. 230. n. 368.

Possunt unica cognitione atttingere plura , ut faciunt unum. f. 231. n. 371.

Dupliciter possunt universum unica cognitione atttingere. f. 232. n. 373. & deinceps.

Se applicuerūt libere à principio ad cognoscendum. fol. 234. n. 376. & deinceps.

Ad recipiendam gratiam se dispositiss vero simile. f. 237. n. 380.

In beatitudine simul habent vespere , & mane. f. 239. n. 382.

Ex vespertina profecerunt in matutinam , quomodo propositio vera? fol. 240. n. 383.

Vident res in Verbo ordine ex parte objecti relatè ad cognitionem. fol. 251. n. 400.

Conversione ad Deum illuminari , non est locutio intransitiva , & formalis. fol. 261. n. 414. & deinceps.

Sic se habent cum gratia ad gloriam , sicut terra cum virtute seminali ad platas. f. 265. n. 420. & seq.

Quomodo prius viderint in Verbo, quæ ab ipso erant fienda. f. 273. n. 430. & seq.

Habue,

Habuerunt notitiam mixtorum in proprio genere, priusquam hæc fierent in se. f. 274. n. 433.

Ang. cur non significetur in Script. S. ut in mente ejusdem factus. f. 301. n. 475.

Anselmus.

Anselmi sententia examinatur. fol. 136. n. 209.

Argumentum.

Argumentum firmum contra infideles ex Script. S. literali sensu sumitur. fol. 4. & fol. 6. n. 5. & 6.

Approbatio.

Approbatio cur opere 2. diei non addatur. fol. 378. n. 78. & seq.

Approbatio 6. die noxia animalia comprehēdit. f. 412. n. 134.

Approbatio omnium operum, quid importet distictū ab operibus in particulari? f. 430. n. 162.

Aqua.

Super firmamentum quid. f. 371. a n. 68.

Verè sūt aquæ super firmam. f. 372. n. 69.

Non sunt cœlum christallinū.

f. 374. n. 71.

Aquæ supercœlestes ad fidem pertinent. f. 374. n. 73.

Non posse esse veras aquas super cœlum astrigerum, infeliciter probatur ex pôdere elementorum. f. 375. n. 74. & seq.

Anticipata locutio.

Anticipata locutione narrantur plura Gen. 1. fol. 52. n. 75. & seq. att. 3.

Aves.

Aves, & pisces ad eundem diem pertinent. fol. 255. n. 405. & 404. n. 120.

Ex aqua prodierunt. fol. 255. num. 406. & fol. 402. n. 147.

Cur aves ad ornatum aëris pertincent. fol. 404. num. 121.

Cur præceptum multiplicatiois int̄. netur ipsi. fol. 408. n. 127.

Aug. P.

Augustinum P. sequuntur Iudas, Beda, Rupert. Euacher. & in ejusdem sent. inclinant Albert. Magn. D. Thomas, & Alen. fol. 287. n. 455.

Iij

Non

Non præcisè humanis ratio-
nibus firmat suam exposi-
tionem. fol. 326. n. 508.
& seq.

sicut avibus, & piscibus?
f. 413. n. 135.
Cur homini statim confe-
rat? f. 413. n. 135.

B

S. Bonavent. valdè rationa-
bilem censem sent. Aug. P.
fol. 86. n. 127.

Eiusdem dicta discutiuntur.
fol. 135. n. 208.

Bonitas lucis quid significet
in liter. Moy. fol. 364.
num. 55.

Bonum Universi in ejus in-
tegritate consistit. fol. 101.
num. 151.

Bonum Universi consurgit ex
ordine partium. fol. 101.
num. 151.

Bonorum, & malorum mix-
tio in Universo, ad ejus de-
corem confert. fol. 431.
num. 164.

Benedictio.

Benedictio animalium quid
significet? fol. 406. num.
124.

Quid dictioni & productioni
addat? fol. 407. n. 125.

Cur avibus, & piscibus data,
non autem plantis? f. 408.
num. 126.

Cur statim terrestribus ani-
malibus non conferatur?

C

Causa efficiens unica omniū
terum in i. earum instit.
Deus. f. 61. n. 90.

Cayetani opinio. fol. 87.
num. 128.

Opinio Mag. Cano. fol. 87.
num. 128.

Censura Peterij nimis rigi-
da. f. 98. n. 148.

Ceti dicuntur creari impro-
priè. f. 405. n. 123.

Ceti nomine quodcumque ge-
nus vasorum piscium ac-
cipitur. f. 406. n. 123.

Cælum.

Cælum in principio creatum
Angeli informis produc-
tionem designat. fol. 260.
n. 413. & fol. 262. num.
416. & fol. 342. num. 16.
& seq.

Quid ab Script. S. hoc nomi-
ne consuetus significari?
f. 282. n. 446. & f. 344.
num. 20.

Non omnino impropriè hoc
nomine significantur An-
geli. fol. 344. num. 20.



Chris-

Christus Dominus.

Christus Dominus est lux vera, hoc est, non figuralis &c. fol. 25. num. 34. & seq.

Chrysothomus.

S. Chrysoth. argum. solvitur. fol. 134. num. 206.

Classis.

Classes, & genera rerum, mundum constituentium, non sunt distinguenda penes quamcumque earum distinctionem. fol. 253. n. 403. & deinceps.

Sex classes rerum cum fundamento in re distinguuntur secundum exposit. P. Aug. f. 234. n. 404.

Cognitio.

Cognitio matutina, & vespertina explicantur. f. 174. n. 274. & deinceps.

Differentia inter utramque unde sumatur? fol. 176. n. 278. & seq.

Inter utramque in ratione cognitionis nihil cadit medium. fol. 178. n. 282.

Matutina entitative supernaturalis est: vesp. vero permittit utrumque. f. 172. n. 283. & seq.

Vespertina de cōnotato im- portat relationem in laudem creatoris. fol. 182. num. 290.

Cognitio creatoris per creataram vesp. est. fol. 182. num. 291.

Quo ordine se habeant mar. & vesp. fol. 183. à n. 302. & fol. 243. num. 389. & seq.

Vespertina multiplicatur. f. 226. num. 303.

Cognitio, qua Ang. omnes res in se ipso cognoscit, insufficiens videtur ad constitūendum vespere omnium dierum. fol. 228. num. 366.

Cognitio unica numero sufficiens est ad cōstituendum vespere quinque dierum post primam. fol. 231. num. 370.

Vespertina non est multipli- canda ad quilibet ob- jectorum multiplicationē. f. 231. n. 370.

Vespertina duplex. fol. 234. num. 375.

Phares cognitiones Angel. unum diem constituant. fol. 235. à num. 378.

Cognitio naturalis, fidei, & gloriae unum diem con- stituant. f. 238. n. 381.

Concordia.

Discors rerum mundi concordia admiranda. f. 29.
n. 41.

Congregatio.

Congregatio aquarum , & apparitio aridæ significat impressionem formarum elementariorum in materiam informem. fol. 116. num. 176. & fol. 380. n. 80.

Congregatio aquarum in locum unum, idest, in unam formam. f. 381. n. 83.

Connexio.

Connexio partium Mundi arcta , & eximia. fol. 29. n. 40.

Creare.

Creare. & facere distinguuntur. fol. 136. num. 208. & fol. 341. num. 14.

Creatio.

Creatio cur in symbolo fidei Patri duntaxat tribuatur? fol. 337. num. 8.

Creatio relata ad cetum , & hominem quomodo accipienda? f. 342. n. 15.

D

Dei perfecta sunt opera. f. 90.

num. 131. & fol. 96.
num. 144.

Dicere verbum , & dicere verbo , quo different? fol. 353. num. 54.

Delitix Dei esse cum filijs hominum, quomodo? fol. 217.

Dies.

Dies Gen. 2. non debet usurpari pro certo tempore. fol. 95. num. 141.

Dierum enumeratio non arguit successionem eorum, vel operum ad ipsos pertinentium. fol. 138. à num. 211.

Diei etymologiaz , & variaz acceptiones. fol. 144. à num. 219.

Dies creationis Mundi non fuerunt naturales. f. 148. n. 226. & seq.

Diem 4. pauperrimum redditus, qui additionem novæ virtutis duntaxat in eo statuant. fol. 154. n. 236.

Tres ultimi dies creationis, ejusdem rationis fuerunt cù primis. fol. 157. n. 241.

Dies spirituales necess. admittendi. f. 166. à n. 259.

Dies creationis Mundi non constituantur luce increata. f. 167. n. 261.

Dies non computantur pro opere creationis , sed pro formatione , & distinctione

ne rerum. f. 195. à n. 316.
Dies Angelici formantur ad
mentem Aug. P. f. 197. à
n. 321. & toto §.

Dies creationis rerum sub-
jective unus, & solù n ob-
jective multiplicatus. fol.
199. à n. 323.

Cur a vespere incipiunt? fol.
204. n. 329.

Dies primus non importat
cognitionem Ang. ad se-
ipsum terminatam in Ver-
bo. f. 205. n. 332.

Dies primus non habuit ma-
ne, nec 7. vespere. fol. 207.
à num 334.

Dies 1. vespere incipit, re-
liqui a mane. f. 211. à n.
341.

Diei secundo cor Moyses nō
præmiserit primum? fol.
220. n. 353.

Dies Angelici non distin-
guuntur per diversas cog-
nitiones. f. 240. n. 384.

Dierum multiplicatio ad plu-
ralitatem Angelorum se-
cuta omnino materialis
est. f. 243. n. 386.

Dies non ponuntur Gen. 1. ut
mensura creationis rerum.
f. 267. n. 423.

Dies non adscribitur creatio-
ni cœli, & terræ, & cur?
f. 268. n. 423.

Dies creationis Mundi quo
sensu simul cum Aug. pro-
ducti? f. 269. à n. 425.

Dies objectivè multiplican-
tur in textu Exodi 20. fol.
313. à n. 490.

Dies creationis Mundi quo
sensu reddantur pro causa
Sabbaritimi Exodi 20. fol.
314. à n. 492.

Dies in tota Script. S. non
accipiuntur pro humanis
præcisè, & materialibus.
f. 317. n. 495.

Dies cur repetitur in mone-
ribus astrorum? fol. 397. n.
107.

Quod dies creationis mundi
accipiantur in 1. instanti
causaliter, non importat
inconveniens. f. 272. n. 429.

Dignitas.

Dignitatem Scripturæ S. at-
testatur, quod sub una li-
tera plures sint sensus. fol.
13. n. 18.

Dicisio.

Divisio aquarum quomodo
facta per firmamentum.
f. 112. n. 170.

Divisio lucis à tenebris pri-
mo die facta, multipliciter
accipitur. fol. 270. n. 427.

Divisio lucis à tenebris quid
significet? fol. 288. n. 456.
& seq. & fol. 364. n. 55.

Divisio aquarum per firma-
mentum, quid significet?
fol. 370. n. 65. & seq.

E

Ecclesia in suis hymnis magis in usu habet communem PP. sent. de diebus creationis mundi, & curita? fol. 160, à n. 247.

Ecclesia certificat nos de Script. S. & ejus sensu. fol. 15. n. 20.

Efficiens in ratione principij & in ratione verbi quod differant? fol. 348. n. 27.

Elementa qualem influxum habuerint erga mixta. fol. 58. à n. 85.

Emanationis creaturarum à Deo series non uno modo docetur à PP. fol. 72. à n. 105.

Emanatio lucis à Sole frustrā differtur quoique Sol perveniat ad statum influxivum fol. 106. n. 159.

Aequalitas non est de ratione imaginis. fol. 420. n. 147.

Evangelium non est in verbis Script. sed in sensu. fol. 23. n. 33.

Eva extra opus sex dierum fuit acta producta. fol. 43. n. 61. & fol. 52. n. 76.

Expositio.

Expositio 1. Script. S. historia debet esse, 2. mystica. fol. 21. n. 30.

Expositio Augustini P. de diebus Angelicis &c. magis ab irrisione infidelium Script. S. defendens, subtilior, & rationabilior est. fol. 84. n. 124. & seq.

Expositionem Aug. P. patitur circumstantia literæ. fol. 84. à n. 124.

Expositio aliorum PP. quomodo literæ magis consona. fol. 84. & 85. n. 124. & seq.

Expositio Aug. nos solum sequitur viam philosophicam, sed etiam theologicam. fol. 86. n. 127.

Expositio B. Greg. coincidit ex parte cum sent. Aug. fol. 91. n. 134.

Expositio Aug. præfertur aliorum expositioni circa triuam repetitionem verbi facere. fol. 297. à n. 470.

Expositio Aug. non invertit, nec distrahit ordinem historie Moysis. fol. 309. n. 486.

Expositio Script. obscurę, ex ejusdem apertioribus locis, optima. fol. 311. n. 488.

Sic procedit Augustinus sibi dem, & deinceps. & fol. 325. n. 507.

Expositiones Aug. & aliorum PP. partim convenient, & partim differunt. fol. 88.

F

Facies hist. Moy. ejus sensus literalis. f. 329. n. 1.

Facere quid, ad differentiam creare, significet? fol. 341. n. 14.

Faciamus. Gen. 1. v. 26. denotat Trinitatem personarum. fol. 419. n. 144.

Factum est ita in phrasim Moy- sis non semper productio- nem actualem rei in se dea- notat. f. 49. n. 71.

Fœminæ creatio cur produc- tioni hominis superadda- tur. fol. 425. n. 154.

Filius dicitur principium de principio. f. 341. n. 13.

Filius cur sub ratione princi- piij exprimatur in opere creationis, in opere autem formationis sub ratione Verbi. f. 346. à n. 23.

Finis Moysis in historia crea- tionis mundi. f. 140. n. 214.

Fiat, fecit, factum est, quid significet in historia Moy- sis. fol. 293. n. 463. & seq.

Firmamentum.

Firmamenti opus variè à PP. exponitur. f. 109. à n. 164.

Firmamentum cœlum syde- reum. f. 111. n. 168.

Firmamenti opus impressio-

nem formarum coelestium significat. Ibi n. 169.

Firmamenti opus non sicut aliqua accidentalis immu- tatio, sive in cœlis, sive in regione aeris. f. 114. n. 173. & f. 117. n. 178.

Firmamentum ad distinctum diem pertinet, ac lumina- ria. fol. 254. n. 405.

Firmamentum vocavit cœ- lum, quid significet? fol. 377. n. 77.

Formatio.

Formatio Angeli sit conver- sione deliberata ipsius ad Verbum Dei. fol. 198. num., 322.

Formatio Angeli multiplex est distinguenda. f. 263. n. 417.

Formatio Angeli lucis nomi- ne significata. f. 284. n. 449.

Formatio Angeli lucis pro- ductione facta, &c. dies spi- rituales, &c. ex propria sent. afferuntur ab Aug. f. 284. n. 449.

Formatio Angeli lucis nomi- ne, & dies angelici &c. in literali sensu statuantur ab Aug. P. f. 284. à n. 450.

G

Gregorij Nazianeni ratio solvit. f. 132. n. 202.

KKK

Gre-

Gregorij Magni ratio dilati-
tor. fol. 135. n. 207.

H

Harmonia, & consonantia
exordiorum veteris, & no-
vi testamenti. fol. 298. n.
470.

Historia.

Historia stricta est, & evagan-
di non habet libertatem.
f. 16. n. 22.

Historia Moysis non est in
omnibus rindum Hebreo-
rum captio accommoda-
ta. f. 137. n. 217.

Historia Moysis Angelorum
genetim non prætermisit.
f. 278. n. 438. & seq.

Historia Moysis exigit Aug.
P. expositionem. fol. 277.
toto § 6 & probatur a fol.
292. n. 461.

In historia Moysis duo con-
sideranda. f. 325. n. 506.

Historici munera. fol. 279. n.
440. & f. 283. n. 447.

Homo.

Homo quomodo à principiis
in seminali ratione conti-
neretur. fol. 62. n. 92. & seq.

Verè generat hominem, quā-
vis nullum ipsius partem
causet quoad eum. fol. 67.
§ n. 29.

Ad utilitatem hominis cunc-
ta ordinata. fol. 128. n.
196.

Homo, & animalia terrestria
ad idem opus pertinent.
f. 256. à n. 407.

Hominis præstantia commen-
datur in illis verbis, facia-
mus hominem, collatis com
verbis productionis alia-
rum rerum. f. 414. n. 136.
& f. 420. n. 146.

Homo in quibus præstet ex-
teris creaturis. fol. 414.
num. 136.

Hominis prærogativam, quæ
commendat? fol. 415. n.
137. & f. 418. n. 141.

Hominis præstantia, quātum
ad dona supernaturalia.
f. 415. n. 138. & seq.

Homo novissimus omnium
producitur multiplici ex
causa. f. 417. n. 140.

Homo cur potius dicitur
creatus ad imaginem Dei?
quād imago Dei? f. 421.
n. 147. & seq.

Homo multipliciter dicitur
imago, seu ad imaginem
Dei. f. 422. n. 149.

Homo postquam ad imagi-
nem Dei referatur creatus,
cur additur ad similitudi-
nem ipsius factus. f. 423.
n. 150. & deinceps.

Homini convenit principa-
tus super omnia, ex quo ad
imaginem Dei fuit crea-
tus. f. 424. n. 153. Ho-

Homo cur in singulari primò memoratur productus, & postea masculus, & fœmina exprimuntur. fol. 425. num. 155.

Primorum hominum quanta in victu simplicitas, & frugalitas? f. 426. n. 157.

Hominij cur cibus præparatus, cùm immortalis sit creatus? fol. 428. à num. 158.

Homo cur seorsim ab alijs operibus non approbetur. fol. 430. num. 163.

I

Ignis cur non meminerit Moyses. f. 388. n. 93.

Ignis elementum non est capax ornatus. fol. 402. num. 116.

In particula quandoque in Script. S. pro, per, accipitur, & sic in exordio historie Moysis. fol. 333. num. 4.

Inceptio, & terminatio dieum Angelicorum. f. 248. num. 394.

Imago.

Imago quid? & quid addat si nullius dicitur? fol. 420. num. 147.

Imago Dei multipliciter di-

citur in creatura rationali. f. 422. n. 149.

Imagini addit similitudo in productione hominis. fol. 422. n. 150. & seq.

Immortalitas primi hominis cuius generis. fol. 429. num. 160.

Incorrumpibile aliquid multipliciter. f. 428. n. 159.

Intentio Auctoris multoties in Script. S. profunda, & cur? fol. 9. num. 10.

Intentio Moysis in historia Genesis. f. 28. n. 44.

Interpretatio aliqua ut dignoscatur, an sit literæ circunstantiæ accommodata, duo sunt observanda. f. 14. num. 20.

Interpretatio Augustiniana subtilis, at ex hoc minimè seductioni obnoxia. f. 321. n. 449. & seq.

Jumenta, reptilia &c. quid designant in opere 6. die. rum. fol. 410. num. 130. & seq.

L

Libertas Dei non magis ellucet in successiva rerum productione, quam in simultanea. f. 142. & seq.

Litera Moysis Gen. 1. histrio est, & literaliter expoundenda; nec tamen propere, alijs sensos excluden-

di. fol. 15. num. 21. & fol.
16. num. 22.

Locutio.

Locutio Dei quomodo ad primos PP. nondum existentes, directa? f. 54. num. 79. & 80.

Locutio Dei Gen. 1. v. 26. dicentis, faciamus, ad quem dirigatur? fol. 418. n. 143.

Luminaria.

Luminaria simul cum cœlis acta creata. fol. 45. n. 64.

Luminariam quarti diei munera. fol. 150. num. 228. & seq.

Luminaria quarto die quoad substantiam, & non solum quoad novam virtutem producta. fol. 152. num. 232. & seq. & toto art. 4.

Luminaria eur post plantas producta? f. 390. n. 96.

Luminaria non fuisse quarto die quoad substantiam producta, diversimode à diversis assertur; nulla causa opinio earum est à PP. antiquis edocta. fol. 392. num. 98.

Luminaria sunt quarto die in firmamento cœli, hoc est, in toca celesti machina. f. 393. n. 99.

Luminaria propter quam

causam producta? fol. 393. num. 100. & seq. usque ad 115.

Luminaria non prius extra firmamentum producta, & post in illo collocata. fol. 400. n. 114.

Lux.

Lux propriæ in spiritualibus dicitur. f. 18. n. 25. & toto art. 2.

Lux primò imposita ad significandum lucem materialē, postmodum extensa ad significandam manifestationem in spiritualibus. f. 18. n. 26.

Lux multiplex. fol. 25. num. 34.

Lux à manifestatione dicitur. fol. 20. num. 28. & f. 26. num. 35.

Lux secundū à virtutē prius, & verius convenit spiritualibus, quam sensibilibus. f. 26. n. 35.

Lux est qualitas activa consequens formam substantiam Solis, sicut calor est qualitas activa consequens formam substantiam ignis. f. 101. n. 153.

Lux simul cum substantia Solis producta. fol. 102. num. 153.

Lux proprietas Solis. f. 102. num. 153.

Lux.

Lucis separatio à Sole mirabilis. fol. 103. n. 155.

Lux nō faciebat primam triduum per emissionem, & contractionem illuminationis. f. 103. n. 156.

Lux primitiva non fuit immaterialis. f. 104. n. 156.

Lux proprietas Solis pro primo instanti. fol. 105. num. 158.

Lux, ut manifestativa, proprietas Solis pro omni statu. f. 103. n. 158.

Lucis productio formatio-
ne in Angeli per conversio-
nem ad Deum, & non in-
fusionem luminis glorie
significat. fol. 261. num.
414.

Lucis productio, bis tantum verbo fieri repetitur, & cur? f. 292. à n. 461.

Lux 1. diei, mox ut facta est, & ante divisionem illius à tenebris approba-
tur; è contra lux 4. diei, &
cur ita? fol. 303. n. 480.
& seq.

Lucis bina productio. f. 363.
n. 52. & 53.

Lucis, & aliorum operum discrimen in sei produc-
tione. f. 293. n. 462.

M

Mane, & vespere quid in die-

bis naturalibus. fol. 147.
n. 224. & seq.

Mane unius dici est mane omnium dierum. fol. 220.
num. 353.

Mane unius diei non dicitur tale, ut terminatur ad An-
gelum in Verbo. fol. 221.
num. 354.

Mane dici minus non ponit
in numero cum mane ce-
terorum. fol. 221. num.
355.

Mane secundi diei quomodo
præsupponat mane pri-
mæ diei? f. 222. n. 357.

Materia prima proprietates,
aptæ explicantur propriæ
tatis terræ. fol. 351. n.
31. & seq.

Materia spiritualis quomodo
in Angelo. f. 356. n. 424

Materia prima nō habet no-
men prop. f. 345. n. 31.

Metaphorica vocis usurpa-
tione cur Moyses conve-
nienter fuerit usus in prin-
cipio Gen. fol. 283. num.
4. 8.

Mira creaturarum mundi va-
rietas. f. 28. n. 38.

Miraculum nullum fuit in re-
turn instit. fol. 103.
num. 155.

Mixta seminaliter tantum 3.
die producta. toto art. 3.
& f. 383. à n. 85.

Moyses res simul factas per
dies enumeravit, ut rati-
onem

dium captui se accommo-
daret. f. 139. n. 212.

Moyses potuit enucleatiū
rerum à Deo processum
exprimere : ergo debuit,
mala conseq. fol. 139.
num. 213.

Moyses in sua historia sapiē-
tibus , & insipientibus
consylavit. fol. 140. num.
214.

Moyses in lib. Gen. multo-
ties Angelos memoravit.
f. 208. n. 443.

Moyses sham historiam etiā
propter Aug. scripsit. fol.
324. n. 504.

Motabilis anima quid? fol.
406. num. 123.

Mundus.

Mundus in tempore creatus.
f. 27. n. 36.

Mundus liberè , & non ex
necessitate naturæ condi-
tus. Ibidem.

Mundi acceptio quintuplex.
Ibi. n. 37.

Mundi perfectionem tria cō-
mendant. f. 28. n. 38.

Mundi partes in duplice dis-
ferentia. f. 31. n. 46.

Mundus quomodo perfectus
cum sola praicontinentia
mixtorum in seminali ra-
tione? f. 47. n. 68.

Mundus quoad omnia po-
tuit simul produci. fol. 71.
num. 103.

Mundus disputationi homi-
num traditus. fol. 1. & fol.
71. num. 105.

Mundus successivè conditus
docetur à multis PP. f. 73.
à num. 106.

Mundus ut ambit Angelos;
cœlos cum luminarib⁹, &
elemēta cum sua situatio-
ne &c. simul conditus fol.
89. & toto art.

Mundus potius cum tempo-
re , quam in tempore fuit
creatus. f. 338. n. 11.

Mundus quo tempore anni
productus? fol. 387. toto
§. 13.

N

Narratio Moysis Gen. 1. non
est figurativa , sed histori-
ca. f. 9. n. 10.

In Narratione rerum gesta-
rum res ipsæ prius intelli-
genda sunt ; tunc demum
si quid aliud significant,
fol. 16. n. 23.

Narratio Moysis non est pro-
phetica futurorum pre-
nuntiatio. f. 43. n. 61.

Natura rei quomodo in se-
mine. f. 47. n. 68. & f. 56.
n. 83.

Nomen.

Nomen quando dicatur pro-
priè , quando metaphorī-
cè? f. 17. n. 24.

De aliquo nomine dupliciter convenit loqui. f. 18.
num. 26.

Quæ nomina dicantur propriæ de Deo, quænam metaphorice? fol. 24. n. 34.

Nominum impositio quid designet Gen. primo? fol. 123. num. 188.

Nominum numeralium primitiva species, & ordinallium energia, & differentia. fol. 200. n. 325. & seq.

Nominis nominali, unus, cur à Moyse annectantur numeraliz ordinalia secundus, tertius &c. fol. 200. num. 325.

Numeri.

Numeri senarij perfectio. fol. 201. n. 326. & seq.

Numeri ratio non contemnenda in Script. fol. 252. mut. 412.

Cur ad numerum senarium reducantur prima Dei opera? f. 253. n. 402. & seq.
& f. 257. n. 409.

O

Omnipotentiam Dei magis commendat instantanea mundi productio, quam morosa, & successiva. fol. 118. n. 179.

Opus.

Opus creationis intra 6. dies perfectum. fol. 44. n. 64.

Opus suum, vocat Deus opus creationis. f. 45. n. 65. & seq.

Opus administrationis semiinaliter in opere creationis fuit factum. f. 265. n. 420.

Prima opera Dei ondequaque perfecta, in senario primo perfecto nun. sunt comprehensa. fol. 203. n. 328.

Opus creationis appropriatur scorsim cuiilibet Personæ. f. 336. n. 7.

Opus tertij diei cur non verbo fictionis exprimatur, sicut formatio aliarū creaturarum. f. 380. n. 82.

Ordo.

Ordo rerum mundanarum admirandus. f. 39. n. 39.

Ordo naturæ duntaxat intercessit inter productionem informis materiæ, & formationem ejus. fol. 80. n. 117.

Ordo partium universi in quo consistat. f. 101. n. 151.

Ordo originis, & naturæ tantum, sicut servatus in productione divinorum operum. f. 130. n. 200. & fol. 142. n. 217.

Ordo successionis impetrans

Bens est ad exaltandam di-
vinam sapientiam. f. 142.
n. 217. & seq.

Ordo effluxus creaturatum
a Deo. f. 250. n. 398. & seq.
& fol. 257. n. 409.

Ornatus.

Ornatus partium universi vi-
sibilem decorum impor-
tant, f. 156. n. 240.

P

Parabole.

In parabolis quid attenden-
dum. f. 12. n. 17. & seq.

Parabolæ, & dabis ænigma-
tum intelligentia non pos-
sunt ad authoritatem dog-
matum proficere. f. 16. n. 22.

Part.

Partes principales mundi in
æternum durantur, fol. 32.
n. 46.

Partes principales mundi si-
mul fuerunt productæ, fol.
80. & seq.

Pater.

Patrem per Eilium operari,
quomodo ac ipiendum,
f. 233. n. 5. & seq.

Personæ.

Tres divinae personæ usum
principium sunt relatae ad
creataram. f. 341. n. 13.

Plantæ.

Plantarum productioni cur
non adscribatur dies dif-
ficiens? fol. 383. n. 85.

Plantæ etiam noxæ, & in-
fructiferae 3. die fuerant
seminaliter productæ, fol.
384. n. 86.

Plantæ non essent homini
noxæ, si ipse non peccas-
set. f. 384. n. 86.

Plantæ non sunt dicenda in-
fructuosa, quia homini
non proflant. f. 385. n. 87.

Plantæ cur juxta genus suum
dicantur productæ, non
autem celi luminaria, &c.
f. 385. n. 88.

Plato.

Platohis error circa produc-
tionem animalium expliq-
uit, f. 402. n. 116.

Præcautio.

Præcautio idolatriæ Hebreos
rum non est sufficiens mo-
ritum, ut Moyses Angelos
reticuerit. fol. 289. a num.
441.

Principium.

Principium quid significet in
exordio historie Moyisis
f. 301. n. 2. & seq.

Multipliciter dicitur, fol. 337.
num. 2.

Dupliciter accipitur in exordio Gen. f. 338. n. 10.

Proprie dicitur de Filio, & ad literam, non præcisè secundum sensum spiritualem. f. 339. n. 12.

Principium sine principio solus Pater. fol. 341. n. 13.

Propriæ.

Dupliciter accipi potest, fol. 17. n. 24.

Q

Quiescere Deus dicitur, cum nos quiescere facit. f. 215. num. 346.

R

Ratio.

Rationis indagine erueur multoties sensus Scrip. literalis, & cuius f. 7. n. 6.

Ratio dupliciter potest se habere circa ea, quæ in Scrip. S. ad fidem pertinent. fol. 325. n. 506.

Dupliciter potest se habere etiam circa ea, quæ fidem supponunt. fol. 325. n. 507.

Rationibus quomodo exponna Script. S. f. 325. n. 507.

Reptilia.

Reptiliū nomine pisces omnes appellavit Moyses. f. 403. n. 118.

Reptiliū productioni cui anima viventis subjungatur. f. 403. n. 119.

Repetitio.

Repetitio tria verbi facere, quid ad sensum aliorum PP. significet. fol. 297. n. 469.

Requies.

Requies, & sanctificatio dies 7. quid significet. f. 214. n. 345. &c deinceps.

Requievit Deus, cum se re quievisse monstravit. fol. 216. num. 347.

Rupertus.

Ruperti expositiō textus Esa clesiast. 18. impugnat⁹ ex Aug. f. 92. n. 135.

S

Sapientia.

Ad sapientiam Dei pertinet, quod nec totum separatum à partibus principali⁹ bus, nec partes separatas à toto producat. fol. 97. num. 146.

Sapiēntia Dei non magis
emicit in successionis quā
naturā ordine. f. 142. n.
1217. & seq.

Sabbatiūmī p̄ceptum cur
Judeis datum. fol. 125. &
seq.

. *Sensus.*

Sensus literalis 1. cap. Gen.
profundissimus, & difficil-
limus. f. 1. 2. & 3.

Sensus Scriptorū quadruplex
fol. 5. num. 2.

Sensus literalis rigorosus ex
propria vocum significa-
tione usurpatur. f. 5. n. 3.

Sensus literalis in eodem tex-
to Script. S. potest esse
multiplex. f. 5. n. 3. & f. 13.
n. 18. & 19.

Sensus literalis multiplex, cō-
fert, ut facilius contra in-
fideles Scrip. veritas de-
fendatur. f. 13. n. 18.

Nullus sensus eorum, quos
litteræ circumstantia admit-
tit, excludendus. fol. 13.
n. 18. & seq.

Sensus literalis Scrip. pro-
funda scrutatione inves-
tigandus. f. 6. n. 4. & seq.
& f. 8. n. 8. & 9.

Sensus parabolicus sub lite-
rali continetur. f. 12. n. 17.

Seminalis ratio mixtorum
ubi inveniatur? fol. 57.
num. 84.

Similitudo dupliciter se ha-

bet ad imaginem. f. 423.
num. 150.

Significatio propria vocum
qualis sit judicanda. fol. 5.
n. 3. & f. 6. n. 4.

Situs aquarum duplex. fol.
141. num. 215.

. *Scriptura Sacra.*

Plerisque in locis partit diversi
Ios intellectus, etiam litera-
tales. f. 2. & 3.

Scriptorū verba Gen. 1. ac-
curate scrutanda. fol. 291.
num. 460.

Script. S. diversis ingenij
diversa ministrat. fol. 322.
n. 503.

. *Sol.*

Soli jam existenti non super-
accrescit nova qualitas.
f. 106. n. 160.

. *Spiritus.*

Spiritus Domini super
aquas, Spiritus S. intel-
ligitur. f. 356. n. 43. &
f. 359. n. 47.

Spiritus Domini quomodo
aquis superferri dicatur.
f. 357. n. 43. & seq. & f.
360. n. 49.

Stellæ nec ligna, nec causæ
sunt humanarum actio-
num. f. 396. n. 105.

Spirituialis interpretatio se-
qui

qui debet ordinem historiæ fol. 11. num. 15. & f. 15. n. 21.

D. Suarius.

Eximis Suarij dicta contra expositionem Aug. super trinam verbi facere repetitionem examinantur. f. 301. num. 475. & deinceps.

Successio cur inter Angeli productionem, & ejus glorificationem. &c. f. 267. num. 432.

T

Temeritas affirmandi in rebus Script. obscuris periculosa. f. 13. n. 20.

Tempus cōcreatum fuit cum celo & terra. fol. 338. num. 10.

Tempus non est creationis mensura. f. 338. n. 11.

Tenebrae lucem primigenitam prævenientes, non sunt materiales. fol. 122. num. 186.

Tenebrae super faciem abyssi infinitatem Angeli designant. fol. 353. num. 40. & seq.

Terra

Terra, seu materia prima,

cot per verbum i. erat, non denotetur aeterna Gen. 1. v. 2. fol. 353. n. 36.

Terra inanis nomine materiali significavit Moy. f. 121. n. 185.

Terra in principio creata, materia prima intelligitur. fol. 342. num. 16. & seq.

Terra nomine aptè rudibus explicatur informitas materialis. f. 350. n. 30. & seq.

Trinitas Personarum.

Trinitatis Beatisima mysterium, Iudei signatum, ex a Moysi in primis operibus Dei indicantur fol. 361. num. 50. & fol. 331. num. 2. & seq. & fol. 362. num. 51.

Tertia repetitio verbi facere, quid significet in historia Moysis. fol. 293. num. 463. & seq.

V

Verbum Dei non erat lux falsa, non figuralis, non participata; sed lux vera, id est, per sentiam. f. 25. num. 34.

Ex quo Verbum erat lux vera, aptè inferatur esse verum Deum. f. 25. n. 34.

Omnia in Verbo vita Verbi sunt. f. 92. n. 135.

Verbum divinum cur sub ratione *principij* exprimatur in opere creationis, & in opere formationis sub ratione *Verbi*: f. 346. n. 23. & seq.

Verba Script. S. plena sunt sensibus. fol. 291. num. 460.

Verbum præteriti perfecti quid, ad differentiam verbi præteriti imperfecti, solet in Scripturis denotare? f. 338. n. 10. & f. 353. num. 36.

Omnis veritas, quæ salva

literæ circumstantia, potest Divinæ Scrip. aptari, est sensus ejus. f. 13. n. 18.

Verum multipliciter dicitur f. 25. n. 34.

Universi apparatus, copia, & varietas ad bonum, & utilitatem hominum ordinatur. f. 30. n. 42.

Universi omnia conductunt ad notitiam Dei, & rerum scientiam. Ibidem.

Universum veluti magna regia. f. 32. n. 46.

Vocavit, quid significet Gen. 1. v. 8. & 10. f. 377. n. 77. & fol. 381. num. 84. & f. 365. n. 57.


FINIS.











3.324